ANALYSIS LOGICA

EVANGELII SECUNDUM JOHANNEM:

uNA CUM SCHOLIIS *& obſervationibus locorum doctrinæ.*

AUTORE
M. JOHANNE PISCATORE,
ſacrarum literarum in illuſtri
ſchola Herbornenſi
Profeſſore.

LONDINI,
Impenſis G. Biſhop.

1591



ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO, DOMINO ARNOLDO,

Comiti in Bentheim, Teckelnburg & Steinfurt: domino in Rheda & Wevelinghoven &c, domino ſuo benigniſs.

JOHAN. PISCATOR

GRATIAM ET PACEM A DOMINO.

ILLUSTRIS ac generoſe Comes, domine benigniſſime. Quemadmodum olim tempore Moſis Deus Iſraëlitis præcepit, ut ad ſacri illius tabernaculi ſtructuram pro facultatibus ſinguli, quorum animus ſponte moviſſet ipſos, conferrent: unde factum eſt, ut alii quidem aurum, argentum, gemmas, pannum pretioſum; alii veró pelles arietum aut pilos caprarum contribuerint: Ita dubium videri non debet, quin idem ille Deus hodie quoque ſingulos Chriſtianos dona ab ipſo accepta, ad Eccleſiæ coædificationem velit conferre: maximé veró eos quibus in Eccleſia docendi munus mandatũ eſt. huc enim ſpectat parabola illa Domini de talẽtis in fœnore collocandis: itemq; altera accommodari huc ſpeciatim poteſt, de operariis in vineam conductis. Quum igitur Dominus me quoq; in numero docentium eſſe voluerit: inde ab illo tempore quo docendi provinciam legitima vocatione mihi commiſſam ſuſcepi, omne mihi ſtudium duxi adhibendum, ut in vinea Domini fideliter laborarem, talentũ mihi creditum in fœnore collocarem, & deniq; quicquid pro facultate ab ipſo mihi conceſſa poſſem, ad tabernaculi illius cæleſtis, ſanctę inquam Eccleſiæ, ſtructuram atq; coædificationem in medium conferrem. Atq; hęc ipſa cauſſa me movit, ut ſacras literas in ſchola Herbornẽſi ad explicandũ mihi propoſitas, non ſolúm quám diligentiſſimé fideliſſiméq; fieri á me potuit, jam per ſex annos & eo amplius, auditoribus meis interpretatus ſim atq; enarrarim: verumetiá virorum piorum & doctorum atque authoritate præditorum judicio fretus, illas meas prælectiones typis chalcographicis deſcribi curarim, atque ita cum pluribus communicarim.

Etſi autem iſta mea munera fortaſſe non cum auro vel ar-

gento, ſed cum pellibus arietum aut pilis caprarum comparanda videantur: tamen hoc mihi quidem ſatis eſt, quód Dominus non ipſam muneris præſtantiam, ſed animum offerentis ſpectat: quem ſi ſincerus ſit & ipſius honorandi cupidus, acceptum gratumq; habet. Igitur editis per ſuperiores annos quarundam Pauli epiſtolarum analyſibus meis: viſum eſt hoc tempore illis addere analyſin Euangelii Johannis: quam ſexto abhinc anno in ſchola noſtra diſcipulis meis dictavi, nuper autem recognovi atque expolivi. Ad quam quidem divulgandam ſtimulos mihi addidit hortatus amicorum quorundam, doctrina & pietate præſtantium virorum: tum veró etiam, quód putabam, accuratam hujus libri explicationem hoc tempore quam-maximé neceſſariam eſſe: ut nimirum ſalutari hujus Euangeliſtæ de vera Chriſti domini ac ſervatoris noſtri deitate doctrina, pectora noſtra muniamus contra hæreſin Arianorum & Samoſatenianorum: quam utramque hæreſin diabolus non ita ante multos annos in Tranſſylvania & Polonia atque Hungaria rurſum ab inferis excitavit: qui hæretici utrique veram Chriſti deitatem, licet diverſa ratione diverſisq; argumentis, exitiali errore negant & oppugnant. Nos veró ſalutarem noſtram de vera Chriſti domini ac ſervatoris noſtri deitate fidem, clariſſimis Spiritus ſancti teſtimoniis ſolidiſſimisq; rationibus, ex verbis tum Euangeliſtæ & Apoſtoli Joannis, tum veró ipſius Chriſti ab illo recitatis, poſſumus ac debemus confirmare. Et ſané operæ pretium facturus mihi videor, ſi illa teſtimonia illasque rationes (ſaltem pleraſque) hîc recitem, & in omnium piorum conſpectum proponam: præſertim quum hic Euangeliſta id inprimis & ex profeſſo (ut loquuntur) egiſſe videatur, ut veram Chriſti deitatem contra Ebionem & Cerinthum jam tum exortos hæreticos quam-ſtudioſiſſimé aſſereret.

Ut autem doctrinam hanc compendio proponam: non obſervabo ordinem capitum hujus libri, ſed argumenta omnia ad certa genera revocabo: & quæ ad unum aliquod genus pertinent, ex diverſis locis colligam. Ac primum quidem argumenti genus pono ipſa Apoſtolica pronuntiata, quippe quæ apud nos vim divinorum teſtimoniorum obtinent. Quid igitur Apoſtolus Johannes de quæſtione propoſita pronunciat? Pronunciat diſertè, Chriſtum eſſe Deum. *Et ſermo ille*, inquit, *erat Deus*, cap. 1. v. 1. quis autem ſermo? nempe ille ipſe de quo paulo-póſt pronunciat, ipſum factum eſſe carnem, id eſt, aſſumſiſſe naturam humanam, & gloriam ejus ab Apoſtolis conſpectam eſſe,

tanquam

tanquam unigeniti egressi á Patre. Is autem extra controversiam est dominus noster Jesus Christus. Atque hanc ipsam sententiam adhuc expressiús enunciat sub finem epistolæ suæ primæ, quum de Christo loquens ait, *Hic est ille verus Deus*. Sed occurrit in hoc ipso libro alterum quoque pronunciatum, cap. 20. v. 28. non quidem ipsius Euangelistæ, sed Apostoli Thomæ: qui CHRISTO post resurrectionem ejus conspecto & agnito, exclamavit, *Domine mi & Deus mi.* quam illius pronuntiationem atque confessionem Dominus approbavit.

Secundum argumenti genus duco à Dei natura seu attributis, quæ sunt proprietates ejus essentiales: cujusmodi sunt æternitas, immensitas seu infinitas, omniscientia. Ac *æternitatem* quidem Christi insinuat Euangelista statim in libri principio, quum ait, *In principio erat Sermo ille.* Si Sermo ille (*id est Christus*) in principio, hoc est quum mundus creari inciperet, jam erat: ergo erat ante mundum conditum. si erat ante mundum conditum: ergo erat ab æterno. Id ipsum significat quoque Johannes Baptista, quum Christo testimonium perhibens, inter alia dicit, *Prior me erat*, cap. 1. v. 15. & 30. At secundum naturam humanam Christus illo erat posterior, quippe junior sex mensibus. Significat igitur Baptista, Christum se esse priorem secundúm deitatem, atque adeó fuisse ab æterno. Quin Christus ipse æternam suam essentiam innuit: quum Judæis ex ætate ipsius argumentantibus, quód fieri non possit ut Abrahamum vidisset, opponit hoc pronuntiatum: cap. 8. v. 58. *Antequam Abraham existeret, ego sum.* Et adhuc clariús æternam suam subsistentiam indicat, quum in solenni illa sua precatione quam ut summus Ecclesiæ sacerdos, paulo póst sese oblaturus, ad Patrem habuit, glorificari ab illo petit *ea gloria quam habui* (inquit) *apud te priusquam hic mundus existeret.* capite 17. vers. 5. Jam *immensitatem* seu infinitatem essentiæ suæ innuit, ubi cum Nicodemo colloquens inter alia dicit, cap. 3. v. 13. *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit é cælo, filius hominis qui est in cælo.* At qua ratione Christus tunc erat in cœlo? Non certé secundúm naturam humanam, quippe secundúm quam in terra stabat vel sedebat cum Nicodemo: sed secundúm naturam divinam, qua cælum & terram replebat: id quod sibi Jehova apud prophetam Jeremiam tanquam proprium vendicat. cap. 24. v. 23. Porró *omniscientiam* Christi declarat Euangelista sub finem capitis secundi: ubi quum dixisset, multos in nomen ejus credidisse, eó quód conspicerent signa quæ edebat: subjungit, *Ipse autem Jesus non*

credebat ſe ipſis : eó quód noſſet omnes, nec opus eſſet ut quiſquam ei teſtaretur de homine : ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine. Quibus verbis ſatis perſpicuè indicat, Chriſtum eſſe καρδιογνώστην, id eſt cordium cognitorem : quod ipſum Petrus quoque ei tribuit; quum poſt ipſius reſurrectionem iterum atq; iterum interrogatus, an ipſum amaret: reſpondit, *Domine, tu omnia noſti : tu noſti, quód amem te. cap.* 21. *v.* 17. At hanc arcanorum atq; intimorum cordis affectuum notitiam Jehova ſibi vendicat, apud Jeremiam cap. 17. inquiens, *Ego Iehova ſcrutator cordis, probator renum.*

Atq; hæc paucis dicta ſint de ſecundo argumentorum genere, quod ducitur á Dei natura ſeu attributis. Tertium genus ſumo *á divinis operibus*, quæ ſua vi efficere præter Deum nemo poteſt : quæ ita diſtingui poſſunt, ut eorum alia intelligantur proficiſci ab ipſius tanquam creatoris omnipotentia : alia veró manare ex gratia ipſius tanquam redemtoris. Prioris generis ſunt creatio conſervatioq; mundi & miracula. *De creatione mundi* teſtatur Euangeliſta cap. 1. v. 3. *Omnia*, inquit, *per hunc Sermonem facta ſunt : & abſq; eo factum eſt nihil quod factum ſit.* De *conſervatione* veró *mundi* extat illuſtre pronuntiatum Chriſti, cap. 5. ubi contra Judæorum criminationem de ſabbato per ægroti illius ad piſcinam decumbentis ſanationem violato, ſeſe defendens, ait : *Pater meus uſq; adhuc operatur : etiam ego operor.* Porró *miracula* à Chriſto edita ſunt partim in rebus vitæ expertibus : quarum vel naturam atque ſubſtantiam mutavit, ut quum ex aqua fecit vinum in nuptiis, capite ſecundo : vel quantitatem auxit, ut quum quinq; panes & duos piſciculos in tantum multiplicavit, ut inde ſaturarentur quinquies mille viri, & ſupereſſent fragmentorum cophini duodecim, capite ſexto. Partim verò edidit miracula Dominus in hominibus : puta in ægrotis ſanandis, mancísve reſtituẽdis, atq; etiam mortuis excitandis. Capite quarto narratur, quomodo ſanaverit filium regii moribundum, corpore abſens, pronuntiatis tantúm illis verbis, *Vade, filius tuus vivit.* Capite quinto narratur, quomodo ſanũ fecerit quendam qui decumbebat ad piſcinã Hieroſolymis, expectans turbationem aquæ ab angelo, & quidem triceſimumoctavũ annum jam in morbo agens. hunc igitur quomodo ſanũ fecit? Dixit illi : *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille : & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat.* Capite nono narratur, quomodo viſum dederit cuidã qui cæcus erat natus. at quomodo? *Spuit humi, & fecit lutum ex ſputo; & illevit lutum oculis cæci; dixit q; ei, Vade, lava in piſcina Siloam. Abiit ergo & lavit,*

vit, rediitq; videns. Capite undecimo narratur, quomodo excitârit Lazarum, fratrem Mariæ & Marthæ, quum is jam quatriduum in ſepulchro jacuiſſet, & jam oleret. at quomodo rem tantam effecit? *Clamavit voce magna, Lazare, adesdum foras. Tum qui fuerat mortuus, prodiit manus & pedes vinctus fasciis: & Iesu jubente, solutus est & abiit*; ac poſtea cap. 12. Bethaniæ in cœna unâ cum Chriſto & aliis convivis accubuit. Imó quod plus eſt, ipſe ſeipſum ex morte excitavit: atque hoc ipſo miraculo Judæis jam antea cap. 2. demonſtravit, ſe poteſtatem habere repurgandi templum, quod illi mercimoniis exercendis contaminaverant. Etenim quum venditores boum & ovium & columbarum & numularios flagello é funiculis facto ejeciſſet: & argentariorum numulos effudiſſet, menſáſque ſubvertiſſet: rogatus á Judæis, Quod ſignum oſtendis nobis, quód iſta faciendi poteſtatem habeas? reſpondit: *Deſtruite templum hoc, & triduo erigam illud. Loquebatur autem* (ut Euangeliſta monet) *de templo corporis ſui:* ac proinde quum ſurrexiſſet á mortuis, recordati ſunt diſcipuli iſtud ſibi ab eo dictum fuiſſe. Atque hæc ſunt exempla prioris generis operum divinorum: quæ edidit Chriſtus ut omnipotens creator. Jam opera gratiæ ſeu potiùs operationes gratioſæ quas exercet ut miſericors redemtor, ſunt variæ: ut electio ad vitam æternam, donatio Spiritus ſancti, converſio ſeu donatio fidei & vivificatio cordium, conſervatio fidei, exauditio precum, denique donatio vitæ æternæ. De hiſce ſingulis teſtimonia in Euangelio Johannis paſſim occurrunt. ut de *electione* ait cap. 13. verſ. 18. *Non de omnibus vobis loquor: ego ſcio quos elegerim.* quibus verbis Judam Iſcariotem á numero Electorum ſuorum excludit. Rurſus cap. 15. verſ. 19. ad diſcipulos ait: *Si ex mundo eſſetis, mundus quod ſuum eſt amaret: quia veró ex mundo non eſtis, ſed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.* De *donatione* veró *Spiritus S.* occurrunt hi loci. Capite quarto v. 10. & 14. in colloquio cum muliere Samaritana ad fontem, promittit ſe electis ſuis daturum aquam vivam: ex qua quiſquis biberit, non ſitiat in æternum: ſed fiat in eo aqua illa fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Per quam aquam intelligit Spiritum ſanctum: ſicut exponit ipſe Euangeliſta cap. 7. verſ. 38. 39. ubi Dominus promiſſionẽ hanc repetens ait, *Qui credit in me: ſicut dixit Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent ex ventre ejus.* Atque hanc Spiritus ſancti donationem ac operationem per illum, inſinuavit quoq; per ſuaviſſimam illam ſimilitudinem qua cap. 15. ſeſe viti, nos autem palmitibus comparat: ſignificare volens, quemadmodũ

vitis in palmites ſuccum ſuum infundit, quo illi & vegetantur & fructuoſi redduntur: ita ſeſe infundere in nos Spiritum ſuum, cujus virtute & vegetemur in vita ſpirituali & ſuaves fructus bonorum operum Deo feramus. Sed hanc Spiritus ſancti donationem expreſſius promittit ſub ejuſdem capitis finem: ubi diſerté dicit, ſe miſſurum á Patre paracletum illum, Spiritum veritatis. Jam quód Chriſtus *corda convertat, fide donet atq; ita viviſicet*, affirmat ipſe cap. 5. verſ. 25. ubi ait, *Veniet tempus, & nunc eſt, quum mortui audient vocẽ filii Dei; & qui audierint, vivent.* In quibus verbis non loquitur de excitatione corporum: quippe de qua pauló póſt, tanquam diverſam ab hac ſententiam pronuntians, mentionem facit: ſed loquitur de excitatione cordium per vocem Euangelii, qua corda electorum ad Deum convertuntur, fide donantur, atq; ita ex morte æterna excitantur & ſpiritualiter vivificantur. Quód autẽ idem Chriſtus *fidem*, poſtquam illam electis ſuis ſemel donavit, *perpetuó conſervet*, ne illâ per diaboli tentationes priventur, claré docet cap. 10. v. 28. ubi de ovibus ſuis (id eſt, electis in ipſum credentibus) ſic loquitur: *Ego vitam æternam do eis; nec peribunt in æternum; neque rapiet eas quisquam é manu mea.* Jam quód Chriſtus *exaudiat piorum preces*, ipſe nobis teſtatum facit ſuaviſſima promiſſione quę extat cap. 14. v. 13. ubi ait: *Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam; ut glorificetur Pater in Filio.* Denique quód Chriſtus nobis *author* ſit *vitæ æternæ*, plurimis in locis teſtatur. ut cap. 3. v. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum dederit; ut quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Sic cap. 6. v. 40. *Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: ego veró ſuſcitabo eum ultimo illo die.* Et cap. 11. v. 25. *Ego ſum reſurrectio & vita; qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet; & quiſquis vivit & credit in me, non morietur in æternũ.* Et cap. 14. v. 6. *Ego ſum via & veritas & vita.* Et cap. 17. v. 2. *Dediſti ei* (ait ad Patrem) *authoritatem in omnem carnem: ut quotquot dediſti ei, det eis vitam æternam.* Et cap. 20. v. ult. *Hæc ſcripta ſunt* (inquit Euangeliſta) *ut credatis Ieſum eſſe Chriſtum filium illum Dei; & ut credentes, vitam habeatis per nomen ejus.*

Atque hæc dicta ſint de tertio argumentorum genere, quod ſumtum eſt á divinis operibus. Quartum genus petitur *á cultu Dei proprio*, id eſt, qui ſoli Deo debetur: cujuſmodi eſt fides ſeu fiducia & adoratio. Maledictus enim in Scriptura pronuntiatur qui confidit in homine, nempe tali qui nil niſi homo ſit: & de adoratione præcipitur, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli

ſoli ſervies. *Fiduciam* autem Chriſtus in ſe collocari vult, quoties credentibus in ipſum vitam æternam promittit: cujuſmodi promiſſiones pauló anté á nobis ſunt recitatæ. *Adorationem* autem ſibi ut filio Dei ac vero Deo exhibitam approbavit tum in illo cui viſum donaverat, capite nono; tum in Apoſtolo Thoma, quum illi apparuiſſet poſt reſurrectionem, capite viceſimo.

Sequitur quintum argumentorum genus, quod ſuppeditat nobis *relatio Chriſti ad Deum Patrem*, unde intelligitur illi ὁμοούσιος, id eſt ejuſdē cum ipſo eſſentiæ. quippe quum ſit *filius Dei unigenitus*, ut affirmat Euangeliſta cap. 1. v. 14. & 11. item quū ſit *unum cum Patre*; nempe unius ejuſdemq; eſſentiæ, ac proinde & potētiæ; ſicut ipſemet affirmat cap. 10. v. 30. Adhæc, quum *Pater ſit in ipſo, & ipſe viciſſim in Patre*, cap. 10. v. 38. & cap. 14. v. 10. & 11.

Huc etiam pertinet dulciſſima illa promiſſio quæ extat cap. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit: & pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus.* Ejuſdem generis eſt, quód de illuminatione Spiritus ſancti loquens ait, *Ille me glorificabit: quia de meo accipiet quod renuntiabit vobis: Omnia quæ habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, illum de meo accepturum quod renuntiabit vobis.*

Reſtat ſextum argumentorum genus, quod colligitur ex *cohærentia ſententiarum*. Cujuſmodi eſt ſermo ille Domini de cæco nato, cap. 9. de quo quum interrogaſſent diſcipuli: ipſéne ille cæcus, an veró parentes ejus peccatis ſuis commeriti eſſent ut ille naſceretur cæcus: reſpondit Jeſus, *Neque iſte peccavit, neque parentes ejus* (nempe ut cæcus naſceretur) *ſed cæcus natus eſt, ut opera Dei manifeſta fiant in eo.* Et mox addit: *Oportet me operari opera ejus qui miſit me.* ubi ex cohærentia ſententiarum percipitur: ſanationem illius cæci ita fuiſſe opus Dei patris, ut ſimul eſſet opus filii, nempe Chriſti. Sic cap. 11. v. 4. de morbo Lazari ait, *Morbus iſte non eſt ad mortem: ſed immiſſus pro gloria Dei, ut per eum morbum glorificetur filius Dei.* ubi gloriam Dei patris ſibi communem facit. Cum primis autem illuſtris eſt locus ille qui habetur cap. 12. v. 39. 40. & 41. ubi Euangeliſta recitato vaticinio Eſaiæ de excæcatione Judæorum nolentium credere in Jeſum: ſubjungit, *Hæc dixit Eſaias quando vidit gloriam ejus*, nempe Jeſu. At Propheta Eſaias capite ſexto, unde vaticinium illud depromtum eſt, dicitur vidiſſe gloriam Domini, id eſt Adonai: quod nomen ſoli Deo tribuitur. Et illi Domino acclamarunt ibi Seraphim, hoc eſt Angeli: Sanctus, ſanctus, ſanctus eſt Jehova exercituum. unde jam plané efficitur: Jeſum eſſe Adonaī

ſeu

ſeu Jehovam,id eſt verum Deum; cui ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum, amen.

Sed hæc hactenus de ſingulari hujus libri ad hæc noſtra tempora utilitate,dicta ſufficiant. Tuo veró nomini,illuſtris & generoſe Comes, hunc meum cõmentarium inſcribere volui: ut te merito honore afficerem.Honorari enim ab hominibus literatis merẽtur illi domini,qui bonas literas ac inprimis ſacras in honore habent,& illarum ſtudium ſuis opibus promovent,ac apud ſubditos ſuos publicé tractari,atq; etiã liberos ſuos in illis erudiri curant. quæ omnia in te, generoſe domine, conſpicua ſunt. quippe bonis literis ipſe adoleſcens operã navaſti Argentorati in patria mea,prẽceptore uſus privatim quidem doctiſſimo viro Gerhardo Falkenburgio: publicé autẽ clariſſimo viro Dn. Johanne Sturmio: quem etiã quamdiu vixit (ſicut ex filiis tuis intellexi)ut veterem prẽceptorẽ coluiſti,prudentibus ejus conſiliis uſus,& ſolita eum munificentia proſecutus. Atq; hic amor bonarum literarum quẽ adoleſcens imbibiſti, haud dubiè etiam ſtimulos tibi addidit,ut publicum literarum ludum & bonarum artium gymnaſium ante biennium Schuttorfii aperires; quod quidẽ gymnaſium propter majorem (ut audio)loci commoditatem civiumq; ſingularem humanitatẽ Steinfurtum nuper tranſtuliſti. Jam de dulciſſimis pignorib.tuis,tribus inquam filiis tuis,generoſiſſimę indolis maximęq; ſpei adoleſcentibus, Eberwino-Wirico, Adolpho & Arnoldo-Jodoco, nuper Heidelbergam ſtudiorum cauſa miſſis, quid dicam? quorum ego educationem in ſchola noſtra Herbornenſi jam per annos circiter quinque, tam liberalem, tam ingenuam, tam honeſtam, tam denique piam conſpexi, & pro mea parte adjuvi: ut optimam de illis ſpem conceperim, fore ut ſi in præclaré cœpto curriculo ſtrenué pergant (id quod facturos confido) eximia lumina atque ornamenta ſui ordinis evadant. quid dico, evadant? Imó jam, pro ſua quidem ætate, in talia lumina evaſerunt,lumina inquam & exempla eruditionis, modeſtiæ,humanitatis,pietatis. quo fit ut non liceat eis retrogredi aut ſubſiſtere; progredi autem in hoc ſapientiæ & pietatis feliciter cœpto curſu omnino ipſos deceat. Deum patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti oro, ut corda eorum ſanctò ſuo ſpiritu ſemper gubernet,ut vera ſapientia inſtituti & vera pietate imbuti,aliquando ad rempub.capeſſendam quam-inſtructiſſimi accedant: & vobis parentibus dulciſſimis ſingulare gaudium afferant. Vale illuſtris ac generoſe domine Comes. Herbornæ.16.Martii 1591.

ANALYSIS LOGICA EVANGELII IOHANNIS; uNA CUM SCHOLIIS & Obſervationibus locorum doctrinæ.

ARGUMENTUM.

Icut reliqui tres Euangeliſtæ, ſic etiam Johannes hiſtoriam vitæ ac mortis Domini noſtri Jeſu Chriſti deſcribit. Hoc tamen ſingulare habet, quòd multos Chriſti ſermones, á reliquis omiſſos, quibus ille de perſona & officio ſuo copioſè diſſeruit, accuratè commemorat: nec non miracula nonnulla, de quibus reliqui prorſus tacent. Ac ſermones quidem á ſolo Johanne deſcripti, hi ſunt: cap. 3 ſermo cum Nicodemo de regeneratione: cap. 4. ſermo cum Samaritana de aqua viva: cap. 5 ſermo cum Judæis de miraculosè ſanato eo, qui 38 annos decubuerat: cap. 6. ſermo cum turba de pane vitæ: cap. 8. ſermo cum Phariſæis in templo, ubi eis exprobrat cæcitatem & malitiam: cap. 10. ſermo de bono paſtore, item de ovibus ſuis: cap. 11. ſermo cum Martha de reſurrectione: cap. 14. 15. 16. ſermo cum diſcipulis, peracta ultima cœna, de Spiritu ſancto paracleto: cap. 17. preces ad patrem pro Eccleſia: cap. 20. ſermo cum Thoma de fide: cap. 21. ſermo cum Petro de ſui dilectione. Miracula verò quæ apud ſolum Johannem reperiuntur, ſunt iſta: cap. 2. miraculum aquæ in vinum verſæ: cap. 5. miraculum ſanati ejus qui decubuerat annos 38. cap. 9. miraculum ſanati cæci à nativitate: cap. 11. miraculum excitati è morte Lazari. Vocatur autem hæc hiſtoria Εὐαγγέλιον, id eſt lætum ac felix nuntium, κατ' ἐξοχήν: quoniam conſcientiis ſenſu peccatorum conſternatis nihil lætius annuntiari poteſt, quàm gratia Dei in Chriſto nobis exhibita, ſicut hiſtoria hæc teſtatur. Tradit Hieronymus, Johannem noviſſimum omnium hiſtoriam Euangelicam ſcripſiſſe, idque rogatum ab Aſiæ Epiſcopis, adverſus Cerinthum & Ebionem, qui Chriſti divinitatem negabant: quam Johannes ſtatim in principio aſſerit ac demonſtrat. Quam etiam ob cauſam veteres, illi aquilam ex curru Ezechielis appinxerunt: quòd contemplatione deitatis Chriſti veluti in ſublime inſtar aquilæ ſubvolet, ac jubar illud majeſtatis divinæ oculis mentis intueatur.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Caput primum in tres principes partes diſtingui poteſt. In prima parte deſcribit Johannes perſonam Chriſti, uſque ad verſ. 15. In ſecunda parte deſcribit officium ejus, á verſ. 15. uſq; ad 35. In tertia ac poſtrema parte narrat, quomodo ad fidem in Chriſtum pervenerint Andreas & Simon-Petrus, & Philippus & Nathanaël.

DE PRIMA PARTE.

IN *principio erat Sermo ille, & Sermo ille erat apud Deum: erátque ille Sermo Deus.*

2 *Hic* Sermo *erat in principio apud Deum.*

3 *Omnia per hunc* Sermonem *facta sunt, & absque eo factum est nihil quod factum sit.*

4 *In ipso vita erat, & vita illa erat lux hominum.*

5 *Et lux illa in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt.*

6 ¶ *Fuit homo missus à Deo, cui nomen Johannes:*

7 *Is venit ad* dandum *testimonium,* id est *ut testaretur de illa luce, ut omnes per eum crederent.*

8 *Non erat ille lux illa, sed* missus fuit *ut testaretur de illa luce.*

9 Hic *erat lux illa vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.*

10 *In mundo erat, & mundus per eum factus est: sed mundus eum non agnovit.*

11 *In sua venit, sed sui eum non acceperunt.*

12 *Quotquot autem eum acceperunt, dedit eis* hoc *jus ut filii Dei essent,* nempe *iis qui crediunt in nomen ejus:*

13 *Qui non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt.*

14 *Et sermo ille caro factus est: & commoratus est inter nos, (& spectavimus gloriam ejus, gloriam* inquam *ut unigeniti* egressi *à Patre) plenus gratiæ ac veritatis.*

QUod ad personam Christi attinet, describit primúm ejus divinitatem, usque ad vers. 14. deinde humanitatem vers. 14. Statim igitur in principio asserit, Christum (nomine λόγου intelligi Christum, apparet ex vers. 14. & deinceps, quem vocat λόγον, id est Sermonem) esse Deum, & esse personam á Patre distinctam. Deitatem ejus ostendit primúm ex æternitate, ubi ait, *eum fuisse in principio.* Si enim fuit jam tum quum res creatæ esse inciperent; consequens est, eum fuisse ab æterno, ac proinde esse Deum: quum ante res creatas nihil fuerit præter creatorem Deum. Esse autem personam á patre distinctam, docet his verbis, ubi ait, *eum fuisse apud Deum,* nempe apud Deum patrem; κατ' ἐξοχὴν appellari solet Deus, propter originis principatum. Etsi enim filius Dei, itemque Spiritus sanctus, patri coæternus est; tamen uterque á patre originem habet: Filius quidem per æternam & ineffabilem generationem, Spiritus sanctus veró per æternam & ineffabilem processionem sive emanationem. Tertió diserté asserit, *Christum esse Deum,* nempe unius essentiæ cum Patre & Spiritu sancto. Λόγον autem, id est, Sermonem, appellat filium Dei, tum quód est Patris sapientia (sic nominatur Prover. 8.) per quam ille omnia condidit, ut affirmat vers. 3. tum quód est ejusdem legatus ad genus humanum, per quem pater arcanum suum consilium de hominum æterna salute nobis expossuit, ut dicet infrá vers. 18.

2 *Hic*] Repetit primum & secundum enuntiatum, eáque in unum conjungit.

3 *Omnia*] Addit secundum argumentum ad astruendam deitatem Christi: quod sumit ex effectis, videlicet ex omnium rerum conditarum creatione: quarum facit tres gradus. nam quædam solummodo *sunt,* ut res inanimæ: quædam etiam *vivunt,* ut res animatæ, nimirum plantæ & animantes: quædam denique *ratione sive luce intelligentiæ insuper præditæ sunt,* ut homines. Quem extremum gradum illustrat antithesi tenebrarum,

id

id est ignorantiæ, quam homo sibi per defectionem à Deo contraxit.

6 Fuit] Tertium gradum, nempe quód Christus sit author lucis in hominibus, confirmat testimonio Johannis Baptistę, cujus officium simul declarat; quod erat, testari de luce illa vera Christo, ut omnes (nempe auditores illius quotquot ad vitam æternam electi erant) per eum crederent.

10 *In mundo*] Repetit antithesin de ignorantia Dei in hominibus, tum universis, tum nominatim Judæis: eámque ignorantiam amplificat ex causis contrariæ cognitionis, videlicet ædificio mundi & familiari visitatione atque conversatione.

12 *Quotquot*] Ignorantiæ & incredulitati reproborum Judæorum, opponit fidem electorum: illiusque fidei tum effectum dignitatis & felicitatis plenum exponit, nimirum jus filiorum Dei seu υἱοθεσίαν, id est, adoptionem; tum veró etiam causam efficientem, quæ est regeneratio per Spiritum Dei: quam illustrat antithesi generationis naturalis: ut ostendat, fidem non proficisci ex viribus liberi (quod vocant) arbitrii, sed esse singulare Dei donum mentem illuminantis & assensum flectentis.

14 *Et sermo*] Hactenus asseruit deitatem Christi nunc asserit ejusdem humanitatem. Affirmat igitur, filium Dei esse incarnatum, id est, assumsisse carnem nostram é carne & sanguine Mariæ virginis: & commoratum esse, ut verum hominem, inter Judæos, maximé discipulos suos: atque ibi rursum inserit argumenta duo deitatis ipsius ab effectis, videlicet miracula ex quibus gloria ejus, id est, majestas divina eluxit: & communicationem gratiæ spiritualis per ceremonias legales olim adumbratæ.

DE SECUNDA PARTE.

15 *Johannes testatus est de eo, & clamavit, dicens, Hic est de quo dicebam, Is qui me sequitur, antepositus est mihi: quia prior me erat.*

16 *Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

17 *Nam Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Jesum Christum præstita est.*

18 *Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius qui est in sinu Patris, ille* nobis *exposuit.*

19 *Hoc autem est testimonium illud Johannis. Quando miserunt Judei ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas ut interrogarent eum, Tu quis es?*

20 *Tum confessus est, neque negavit: confessus est* inquam, dicens, *Non sum ego Christus.*

21 *Tunc interrogaverunt eum, Quid ergo es? Túne es Elias?* Ipse verò *dixit, Non sum.* Et illi, *Es tu Propheta ille? Tum* ipse *respondit, Non.*

22 *Dixerunt ergo ei, Quis* igitur *es? ut responsum demus iis qui miserunt nos: quid dicis de teipso?*

23 *Ait,* Ego sum *vox clamantis in deserto, Complanate viam Domini, prout dixit Esaias Propheta.*

24 *Qui verò missi fuerant, erant ex Pharisæis:*

25 *Et interrogaverunt eum, ac dixerunt ei, Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta ille?*

26 *Respondit eis Johannes, dicens, Ego baptizo aqua, sed in medio vestrum stat quem vos nescitis:*

27 *Hic ille est qui me sequitur, qui mihi antepositus est, cujus solearum ego non sum dignus ut solvam corrigiam.*

28 *Hæc*

28 *Hæc in Bethabara facta sunt secus Jordanem, ubi Johannes baptizabat.*

29 *¶ Postero die videt Johannes Jesum venientem ad se, & ait, Ecce agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi.*

30 *Hic est de quo dicebam, Sequitur me vir qui antepositus est mihi: quia prior mę erat.*

31 *At ego non noveram eum: sed ut manifestus fiat Israël, propterea veni ego baptizans aqua:*

32 *Tum*, inquam, *testatus est Johannes, dicens, Conspexi Spiritum descendentem quasi columbam è cælo*, qui *etiam mansit super eum.*

33 *Et ego non noveram eum: sed qui misit me ut baptizarem aqua, ille mihi dixerat, Super quem videris Spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu sancto.*

34 *Ego igitur vidi, & testor hunc esse Filium illum Dei.*

Sequitur secunda pars capitis, ubi tradit doctrinam de officio Christi, primùm in genere ostendens, eum esse nostrum servatorem, quippe qui bonorum omnium affluentiam in se contineat, ita ut nulla salutis gutta aliunde petenda sit: vers. 15. & 16. Quam sententiam vers. 17. illustrat antithesi, qua Christo opponit Mosen: & legem Mosis opponit gratiæ & veritati: qua antithesi docet, in Lege adumbratam duntaxat fuisse spiritualium bonorum imaginem, in Christo verò bona illa solidè præstari: videlicet spiritualem justitiam, quæ consistit in remissione peccatorum & cordis renovatione. Jer. 31. v. 31.

18 *Deum*] Expositio officio Christi in genere, nempe quòd sit noster servator, hic jam exponit primam officii speciem, videlicet officium propheticum, de quo ipse dixit Pilato, infrà 18. v. 37. *Ego ad hoc natus sum & ad hoc veni in mundum, ut dem testimonium veritati.* Deinde quum Apostolos mitteret in totum terrarum orbem ad prædicandum Euangelium, dixit, *Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos*: infrà 20. v. 21. Sic Paulus Rom. 15. v. 8. ait, Christum fuisse ministrum circumcisionis, id est ministrasse Judæis, nimirum docendo eos de seipso, de sua scilicet persona & officio. Sic ipse Christus infrà cap. 4. v. 34. ait, *Esca mea est, exequi voluntatem ejus qui misit me, & perficere ipsius opus*, id est, docere homines viam salutis: loquitur enim de sua concione habenda ad Samaritanos. Porrò de hoc prophetico Christi officio ait Johannes, *Deum nemo vidit unquam*, hoc est, nemo unquam cognovit viribus ingenii sui mentem Dei & arcanam illam voluntatem de salute sua æterna, tum addit, *Unigenitus ille Filius*, id est, Christus, *qui est in sinu Patris*, hoc est, qui novit arcana Patris in illius pectore quasi recondita: *Ille*, inquit, *nobis exposuit*, nempe arcanum illud consilium Patris de æterna nostra salute per ipsum.

19 *Et hoc*] Transit ad reliquas duas officii species, videlicet ad officium sacerdotale & regium: quæ ambo notantur appellatione *Christi*. Christum igitur esse Christum, id est, Messiam illum promissum Patribus, docet testimonio Johannis Baptistæ: cujus reddendi causam primò omnium exponit, videlicet petitionem Judæorum, qui missis ad illum legatis, petiverunt ut sibi confiteretur, anne esset ipse Christus. Quod quum ille negaret, quæsiverunt, essetne Elias, an Propheta ille per Mosen promissus, Deuteron. 18. Quod utrumque cùm similiter negaret: petiverunt ut sibi rationem vocationis suæ exponeret. tum Johannes professus est, se missum esse ut viam pararet Christo: sicut prædictum fuerat à propheta Esaia. Cæterùm quum Johannes instituisset novam ceremoniam, videlicet baptismum: quærunt amplius

ampliùs legati, qua authoritate id faciat, quum nec Christus sit, nec Elias, nec ille Propheta. Johannes respondet, se baptizare aqua: ubi intelligenda est antithesis ex Matth.3. v.11. nempe Christum baptizaturum Spiritu sancto. Quanquam ista antithesis non prorsus hic omissa est. Opponit enim hic sibiipsi Christum; & testatur, illum jam in medio ipsorum versari: & quanquam ipsum sequatur ut discipulus, tamen decreto divino sibi prælatum esse, idq; propter excellentiam cúm personæ tum officii; quam excellentiam declarat collatione minoris, his verbis, quòd ipse non sit dignus, qui solvat corrigiam solearum ejus, id est, qui vel abjectissimum & maximè servile servitium ei præstet. Ad extremum indicatur locus ubi Johannes hoc testimonium Christo reddidit.

29 *Postero die*] Sequitur aliud testimonium Johannis Baptistę de Christo, quod propriè ad officium ejus sacerdotale pertinet. nam digito eum commonstrans exclamat, *Hunc esse agnum illum Dei, qui tollat peccatum mundi*, hoc est, Jesum esse personam illam quæ à Deo ordinata sit, ut instar agni immaculati & innocentis mactetur in sacrificium expiatorium pro peccato illo generis humani admisso in paradiso, & omnibus inde ortis peccatis: quæ mactatio per mactationes agnorum sub lege fuerat adumbrata ac promissa. Deinde v.30. repetit Johannes Baptista testimonium de excellentia Christi, per collationem inter se & illum, ut suprà v.15. Postea v.31. rationem ac finem sui baptismi atque adeò ministerii exponit, se nimirum baptismo ac ministerio suo hoc agere, ut Judæis manifestum reddat Christum, adeoq; discipulos illi colligat. Postremo v.32.33. & 34. testimonium suum de Christo, confirmat testimonio divino, quod constat signo visibili, nempe columba, quæ in baptismo Christi super eum descendit ac requievit; quæ res testimonium divinum erat, hanc personam à Deo ordinatam esse in Messiam seu Christum, ac proinde donis Spiritus sancti ad hoc officium inungi. unde etiam factum est, ut Christus baptizatus & Spiritu sancto in humana natura unctus, officium suum propheticum, id est, munus docendi aggressus sit, antea tamen ad illud tentatione triplici in deserto præparatus: ut ex ipsa historiæ serie apud Evangelistas perspicuum est. Porrò testimonium hoc divinum concludit Johannes tali syllogismo:

Super quem videndus mihi erat Spiritus sanctus descendens ac requiescens; is est Messias: nam hoc dixit Deus. vers.33.
Atqui hic Jesus est is super quem videndus mihi erat S. S. &c. nam super hunc vidi. v.32. & 34.
Ergo hic Jesus est Messias. v.34.

DE TERTIA PARTE.

35 *¶ Postero die iterum stabat Johannes & ex discipulis ejus duo:*
36 *Et intuitus Jesum ambulantem, dixit, Ecce agnus ille Dei.*
37 *Audierunt autem eum duo illi discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum.*
38 *Conversus verò Jesus, & conspicatus eos sequentes se, dicit eis,*
39 *Quid quæritis? Illi verò dixerunt ei, Rabbi (quod dicitur, si interpreteris, Præceptor) ubi moraris?*
40 *Dicit eis, Venite & videte. Venerunt viderúntque ubi moraretur: & apud eum manserunt diem illum. hora enim erat quasi decima.*
41 *Erat Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant illa ex Johanne, & secuti fuerant eum.*

42 *Invenit*

42 *Invenit hic prior fratrem ſuum Simonem, & dicit ei, Invenimus Meſſiam, quod eſt, ſi interpreteris, unctus ille.*

43 *Et adduxit eum ad Jeſum. Intuitus autem eum Jeſus dixit, Tu es Simon filius Jona: Tu vocaberis Cephas, quod declaratur Petra.*

44 *Poſtero die voluit Jeſus abire in Galileam: invenit autem Philippum, & dicit ei, Sequere me.*

45 *Erat verò Philippus ex Bethſaida, civitate Andreæ & Petri.*

46 *Invenit Philippus Nathanaëlem, & dicit ei, Invenimus* illum *de quo ſcripſit Moſes in Lege, & Prophetæ,* nempe *Jeſum filium Joſephi illum Nazarenum.*

47 *Tum dixit ei Nathanaël, A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus, Veni & vide.*

48 *Vidit Jeſus Nathanaëlem venientem ad ſe, & dicit de eo, Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.*

49 *Dicit ei Nathanaël, Unde me noſti? Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Priuſquam te Philippus vocaret, quum eſſes ſubter ficum, videbam te.*

50 *Reſpondit Nathanaël, & dixit ei, Rabbi: tu es ille Filius Dei, tu es ille Rex Iſraëlis.*

51 *Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Quia dixi tibi, Vidi te ſub ficu, credis? maiora iſtis videbis.*

52 *Præterea dicit ei, Amen amen dico vobis, Ab hoc tempore videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes ac deſcendentes ſuper Filium hominis.*

Tertia pars capitis, de quatuor diſcipulis, quomodo in cognitionem Chriſti pervenerint. Ac primum Andreas cum altero quodam, cujus nomen reticetur, motus teſtimonio Johannis, Chriſtum ſecutus eſt. hoc narratur uſque ad v. 42. Deinde Simon-Petrus ab Andrea fratre ad Chriſtum deductus: v. 42. & 43. Tum Philippus ab ipſo Chriſto vocatus eſt: v. 44. & 45. Poſtremo Nathanaël à Philippo ad Chriſtum deductus eſt: v. 46. uſque ad finem.

SCHOLIA IN CAPUT PRIMUM.

1 *In principio.* ἐν ἀρχῇ. Id eſt, Quum inciperet mundus condi à Deo. Sic Gen. 1. v. 1. *Erat.* ἦν. Si jam tum erat: ergo ab æterno erat: nam tempus unà cum mundo cœpit: ante mundum autem fuit æternitas. *Sermo ille.* ὁ λόγος. Id eſt, Filius ille Dei unigenitus, qui arcanum Dei conſilium de noſtra ſalute nobis expoſuit: ſicut nos per ſermonem, animi noſtri ſenſa aliis exponimus. Metaphora. Confirmatur autem hæc expoſitio ex verſu 18. infrà. *Apud Deum.* πρὸς τὸν Θεόν. Scilicet Patrem. Synecdoche generis, qua ſcilicet ex vocabulo generali & tribus perſonis communi intelligitur res ſpecialis & propria, videlicet ſola perſona deitatis prima. *Erátque ille ſermo Deus.* καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. In Græco partes enunciati materiales, nempe antecedens & conſequens, ſeu (ut vulgò appellant) ſubjectum & prædicatum, ſunt trajectæ. Partem autem antecedentem ſive ſubjectum monſtrat articulus ὁ. Et nomen θεὸς ſine articulo, accipitur hic generaliter de ipſa deitatis eſſentia. Quaſi dicat Johannes, Sermo ille non ſolùm erat apud Deum (πρὸς τὸν Θεόν) ſcilicet Patrem: ſed etiam erat Deus (θεὸς) ſcilicet unà cum Patre

&

& Spiritu sancto. Hæc expositio confirmatur ex Euangelistæ instituto & ipsa sententiarum cohærentia. Planum est enim, propositum Euangelistæ esse doctrinam tradere de persona Christi quem vocat τὸν λόγον: de quo pronunciatum copulativum tria hoc versiculo pronunciat: sicut ergo duæ præcedentes sententiæ aliquid enuntiant de Logo illo, sic etiam ista tertia.

4 *In ipso vita erat.* ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. Id est, In Sermone illo (nempe in Filio Dei) erat vita, tanquam in fonte: hoc est, Ipse erat vita seu fons vitæ, tribuens scilicet vitam omnibus viventibus creaturis. *Et vita illa erat lux hominum.* καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. Id est, & ille ipse Sermo qui erat vita, erat quoque lux illuminans homines, nimirum luce rationis: ex collatione versiculi noni.

5 *Et lux illa in tenebris lucet.* καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει. Id est, Et ille ipse Sermo qui erat lux illuminans homines, lucet in mente hominis jam post lapsum obtenebrata, nempe tenebris ignorantiæ immersa: in hac inquam lux illa lucet, irradiando scilicet mentem obtenebratam notitiis quibusdam de natura & cultu Dei: nempe Deum esse, & esse bonum, justum, sapientem, omnipotentem &c. ac proinde humilima obedientia, timore, fiducia, ac dilectione colendum esse. *Sed tenebræ eam non comprehenderunt.* καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν. Id est, Sed mens obtenebrata notitias illas quibus à luce illa, hoc est Filio Dei irradiatur, non fovet, ut inde verum Dei cultum cum sua salute conjunctum extruat: sed evanescit in disceptationibus suis, ut docet Paulus Rom. 1. v. 21.

7 *De illa luce.* περὶ τοῦ φωτός. Nempe de qua dictum est vers. 4. & 5. nimirum de Filio Dei seu Christo. *Omnes.* πάντες. Nempe omnes electi Judæi qui ipsum de Christo testantem audirent. *Per eum.* δι' αὐτοῦ. Scilicet Johannem. Sic 1. Cor. 3. v. 5. Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos, nisi ministri PER QUOS credidistis?

9 *Hic.* Scilicet de quo Johannes fuit testatus, nempe Christus. *Lux illa vera.* τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν. Id est, Lux illa excellentissima ac verè cælestis seu divina, cum qua non sit ulla lux alia conferenda. Simili significatione usurpatur istud epitheton infrà capite 6. vers. 32. Pater meus dat vobis panem illum è cælo verum, τὸν ἀληθινόν. & cap. 15. vers. 1. Ego sum vitis illa vera, ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή. *Quæ illuminat.* ὃ φωτίζει. Scilicet luce rationis seu intelligentiæ. Nam quò minùs hoc intelligi possit de luce fidei, obstant verba quæ mox sequuntur. *Venientem.* ἐρχόμενον. Nempe per nativitatem ex utero matris.

10 *Sed mundus eum non agnovit.* καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. Hic nomen *Mundi* per ἀντανάκλασιν in diversa significatione accipitur, quàm in proxime præcedentibus. Illic enim propriè accipitur, & significat res omnes creatas: hîc verò per synecdochen integri de hominibus solis intelligitur.

In sua. εἰς τὰ ἴδια. Id est, In terram suam, nempe terram Israëlis, & ad populum suum in illa terra degentem. Etsi autem totus terrarum orbis Dei est: tamen singulari ratione Judæa dicitur esse Dei, quia populus ipsi confœderatus illic degebat.

Sui. οἱ ἴδιοι. nempe Judæi. Hoc intelligendum est de multo-maxima parte. nam quòd aliqui eum acceperint, testatur versiculus sequens. *Non acceperunt.* οὐ παρέλαβον. Nempe tanquam donum illud Dei: ut ipse Christus se vocat infrà cap. 4. vers. 10. hoc est, non crediderunt in eum: sicut ipse Euangelista mox exponit in fine versus duodecimi.

12 *Hoc jus.* ἐξουσίαν. Ἐξουσία, ab ἔξεστι, id est, licet, significat jus seu

poteſtatem: *Ut filii Dei eſſent.* τέκνα Θεῦ γένεσθαι. Ad verb. Ut filii Dei facti ſint. Sic Matth.5.verſ.45. ὅπως γένησθε υἱοὶ, ut ſitis filii. Item Marc.1.verſ.17. ποιήσω ὑμᾶς γενέσθαι ἁλιεῖς ἀνθρώπων, faciam ut ſitis piſcatores hominum. *In nomen ejus.* εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Id eſt, In eum quatenus per Euangelii prædicationem innotuit. nam fides ex auditu eſt, Rom.10. Sic Act. 4.verſ.12. Non eſt aliud nomen ſub cœlo,&c.

13 *Ex ſanguine.* ἐξ αἱμάτων. Ad verb. Ex ſanguinibus. Hoc verbo & duobus ſequentibus in ſumma hoc vult dicere, Fidem non oriri ex generatione naturali ſeu carnali,ſed ex regeneratione ſpirituali. *Ex Deo.* ἐκ Θεοῦ. pro ὑπὸ Θεοῦ, à Deo.Sic Rom.11.verſ.ult. Nam ex eo, ἐξ αὐτοῦ,&c.ſunt omnia. *Geniti ſunt.* ἐγεννήθησαν. Id eſt, Regeniti per Spiritum ſanctum : quæ regeneratio nihil aliud eſt quàm animi hominis renovatio atque immutatio,ut pulſis è mente tenebris Deum verè agnoſcat,& pulſis è corde pravis affectibus ac deſideriis,delectetur ſtudio pietatis.

14 *Caro factus eſt.* σὰρξ ἐγένετο. Scilicet aſſumendo ſemen Abrahæ, Hebr.2.verſ.16.*Caro.* σὰρξ. Id eſt,homo. Synecdoche membri,uſitata Scripturis. *Commoratus eſt.* ἐσκήνωσεν. Ad verb. Tabernaculum fixit. *Gloriam* δόξαν. Id eſt, Effecta & ſigna gloriæ ſeu majeſtatis divinæ in eo habitantis. Metonymia efficientis. *Gloriam ut unigeniti.* δόξαν ὡς μονογενοῦς. Id eſt, Gloriam qualis convenit unigenito Dei Filio. Vult dicere : Sicut ipſe verè erat unigenitus Dei Filius,ita etiam gloriam divinam ſpectandam præbebat. *Egreſſi à Patre.* παρὰ πατρός. Ante παρὰ ſupple τοῦ ἐξεληλυθότος. Hoc enim ſupplementum videtur poſtulare præpoſitio παρὰ : & iſta phraſi utitur Chriſtus ipſe de ſe infrà cap.16.v.28. ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρός. Niſi potiùs hîc ſupplendum, τοῦ γεγενημένου, id eſt,geniti. *Plenus gratiæ ac veritatis.* πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Quid his duobus vocabulis ſignificetur, intelligi poteſt ex verſiculo 17.ubi eis opponitur Lex Moſis. Lex autem Moſis *gratiæ* opponitur, quatenus minatur maledictionem & iram Dei tranſgreſſoribus : *Veritati* verò,quatenus continebat ceremonias,quibus res à Chriſto præſtandæ adumbrabantur. Chriſtus ergo conſpectus eſt plenus gratiæ ac veritatis : quia & à maledictione Legis nos liberavit,gratiámque Dei impetravit ſua morte, & ceremonias Legis ſacrificio ſuo implevit.

15 *Clamavit.* κέκραγε. Id eſt, alta & clara voce pronunciavit,digito illum demonſtrans. *Hic eſt.* οὗτος ἦν. Ad verb. *Hic erat.* Imperfecti temporis verbum modo quodam loquendi videtur referri ad id tempus, quo non ita pridem Johannes de Chriſto abſente verba fecerat : quem tunc præſentem digito demonſtrabat. ut ſi hodie quæram ex aliquo, Quis erat ille de quo heri dicebas ? pro, Quis eſt ille,&c. *De quo dicebam.* ὃν εἶπον. Pro, περὶ οὗ εἶπον. *Is qui me ſequitur,&c.* ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος. Ad verb. Qui poné me venit. Id eſt, Qui me ſequitur, ſcilicet tanquam diſcipulus præceptorem. Hoc enim ſignificari iſta phraſi Hebræa, colligi poteſt ex collatione hujus loci cum verſiculo duodecimo capitis octavi infrà, ubi Chriſtus ait, ὁ ἀκολουθῶν ἐμοὶ, οὐ μὴ περιπατήσει ἐν τῇ σκοτίᾳ, Id eſt, Qui ſequitur me, nequaquam ambulabit in tenebris. ubi Syrus interpres verba illa, ὁ ἀκολουθῶν ἐμοὶ, iiſdem planè verbis reddidit, quibus hoc loco illa, ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, nempe iſtis מד דבתי אתא Man debothri athe, id eſt,Qui poſt me venit, hoc eſt,qui me à tergo inſequitur,

Antepoſitus eſt mihi. ἔμπροσθέν μου γέγονεν. Ad verbum, Ante me factus eſt. Rurſum phraſis Hebraea : ubi τὸ γίνεσθαι non ſignificat *Fieri* ſimpliciter, ſed aliquo modo : ut quum Chriſtus dicitur γενόμενος ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων,

ἀνθρώπων, factus in similitudine hominum, pro, Similis factus hominibus, ad Philippenses secundo, versu septimo. Et adverbium ὀπίσω non tempus, sed locum notat. Sententia est: Etsi Jesus nunc me sequitur, ut discipulus præceptorem, ac proinde ut inferior superiorem: tamen decreto Dei mihi jam est antepositus: id est, Deus decrevit illum mihi paulo-post præferre, ut illius authoritas crescat & mea minuatur, denique ut discipuli illum pro unico magistro agnoscant.

Quia prior me erat. ὅτι πρῶτός μου ἦν. Nomen πρῶτος hic ponitur pro πρότερος. His autem verbis rationem exponit Iohannes Baptista, cur Deus decreverit Jesum ipsi præferre apud populum: quia nimirum ipso sit præstantior ut æternus Deus. quasi dicat: Ac meritò quidem Deus illum mihi ita præferre decrevit: quum ipse sit longè me præstantior: quippe qui erat prior me, nempe ut æternus Deus. nam ut homo, Jesus Johanne erat paulo posterior & minor natu.

16 Et ex plenitudine. καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος. Non liquet prima fronte utrum Euangelista hæc verba & quæ cum iis cohærent versiculo decimoseptimo & decimooctavo, loquatur in sua persona, an verò pergat recitare verba Johannis Baptistæ, quibus ille testimonium dedit Christo. Infrà quidem capite tertio, versu trigesimoquarto, similem huic sententiam Johanni Baptistæ apertè tribuit, nempe quòd Deus Christo non admetiatur Spiritum: Veruntamen hic videtur loqui ipse Johannes Euangelista. Omnino enim videntur cohærere hæc verba cum fine versiculi decimiquarti: ubi dixit, Christum inter Apostolos commoratum esse, plenum gratiæ ac veritatis: Nunc sententiam illam illustrans & amplificans addit, *Et ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Præterea idem liquet ex ipsa sententia. nam (ut rectè D. Beza observavit) ii quos tum alloquebatur Baptista, Christum adhuc ignorabant: & ut Christi officium nonnulli didicissent, tamen perobscura erat hæc cognitio: ut causa non videatur fuisse satis idonea cur uteretur particula universali, & quidem præterito tempore potiùs quàm præsenti aut futuro. Porrò *Plenitudinem* intelligit copiam sive abundantiam donorum Spiritus S. quibus Christus secundum humanam naturam fuit repletus, idque in hunc finem, ut ea cum fidelibus communicaret. quod ipsum significatum fuit unctione summi sacerdotis: cujus caput quum perfunderetur pretioso illo & fragrantissimo oleo, redundavit illud ac destillavit in barbam ipsius & oram vestium ejus: sicut de Aharone expressè dicitur Psal. 133. Hæc plenitudo donorum spiritualium in Christo, per species declaratur Esaiæ undecimo versu secundo & tertio.

Omnes πάντες. Nempe nos omnes, quotquot in ipsum credimus. *Accepimus.* ἐλάβομεν. nempe dona Spiritus sancti: unusquisque scilicet pro mensura donationis Christi, ut Apostolus loquitur, ad Ephesios quarto, versu septimo. *Et gratiam.* καὶ χάριν. Videtur *Et* idem hoc loco valere atque *Et quidem.* nam apparet esse amplificationem ex collatione majoris. quasi dicat, Non solum accepimus, sed accepimus magna copia. *Gratiam pro gratia.* χάριν ἀντὶ χάριτος. Mihi quidem probatur expositio eruditi illius (quisquis est) viri: qui, ut refert D. Beza, sic explicavit: *Gratiam supra gratiam*: ut ἀντὶ sit positum pro Hebræorum עַל. Etsi enim fortasse in libris Hebræorum nusquam ponitur עַל pro תַּחַת, quæ vox respondet Græcæ ἀντὶ: tamen hoc est certum, reperiri locum Novi Testamenti, in quo Hebræa particula עַל reddita est præpositione ἀντὶ: nempe Ephes. quinto vers. trigesimo primo, ἀντὶ τούτου; quod Hebraicè est עַל כֵּן. Genes. vigesimoquarto. Unde

probabiliter saltem dici potest, Johannem similiter quod Hebraicè dixisse חן תחת חן, id Græcè reddidisse χάριν ἀντὶ χάριτος. At objiciat quispiam, hæc non esse similia. nam ἀντὶ à Paulo adhiberi ad significandum causam, à Johanne non item: si scilicet ἀντὶ exponatur per *supra*. Fateor, ista hactenus dissimilia esse: Veruntamen eatenus similia sunt, quatenus uterque pro על posuit ἀντί. id quod de illo quidem certum est; de hoc autem verisimile. Deinde & hoc addo, posse illud, ἀντὶ χάριτος, etiam de causa exponi: & quidem de eodem genere causæ quod Paulus notavit, nempe de causa impulsiva: quasi dicatur, χάριν διὰ χάριν, id est, Gratiam propter gratiam. sicut Paulus dicit, ἀντὶ τούτου, pro διὰ τοῦτο: quomodo Græci verterunt Psal. 1. vers. 5. eas ipsas voces על כן. Atque ita hic locus exponendus erit ex illo dicto Christi: Habenti dabitur, & exuberabit, Matthæi decimotertio, vers. duodecimo. Nam etsi proprié loquendo Deum ad augendum fidelibus sua dona non impellit ipsorum pietas, id est, quòd donis sibi jam datis rectè utuntur: sed omnia Dei dona mere gratuita sunt, id est, ex mera ipsius gratia proficiscuntur: tamen quin istud per ἀνθρωποπάθειαν Scripturę usitatam de Deo dicatur, nihil vetat. Accepimus igitur gratiam propter gratiam: gratiam consequentem propter rectum usum gratiæ antecedentis: ac proinde accepimus gratiam supra gratiam, ita ut gratiis Dei cumulati simus. Non planè dissimile huic est loquendi genus, quo utitur Apostolus Roman. primo, vers. decimoseptimo, ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Porrò quò minùs hic locus exponi debeat de veteri ac novo fœdere, quasi illa per vocabulum gratiæ repetitum inter se opponantur: obstare videtur, quod sequente versu Vetus fœdus nomine Legis significatur: eique gratia (quo nomine significatur fœdus novum) opponitur. Non igitur probabile est, vetus fœdus hoc loco gratiam quoque nominari. Nec verò ista expositio confirmari potest ex particula causali, ὅτι, in principio sequentis versus. nam sequitur tantùm illustratio ejus quod dixerat, nos accepisse per Christum gratiam. Istud sequente versu illustrat antithesi Mosis: per quem scilicet non gratia data sit, sed Lex, quæ teste Apostolo iram operatur: & umbras tantùm continebat gratiæ in novo fœdere donandæ.

17 *Lex.* ὁ νόμος. nempe lex Dei. quod notat articulus, vim habens διακριτικὴν. Intelligendæ sunt autem omnes leges à Deo per Mosen datę populo Israëlitico: inprimis autem moralis & ceremonialis. id quod colligitur ex antithesi: ubi legi morali opponitur gratia, ceremoniali autem veritas.

Gratia. ἡ χάρις. Nempe gratia Dei qua electis remittit peccata & eos regenerat per Spiritum sanctum. Hæc gratia annunciatur per Euangelium: & opponitur Legi, in qua Deus minatur maledictionem transgressoribus, nec vires auditoribus præbet ad perfectè eam præstandam.

Veritas. ἡ ἀλήθεια. Id est, res ipsæ per ceremonias Legis significatæ atque adumbratæ. Sic Hebr. decimo, versu primo, Lex dicitur habuisse umbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.

Per Jesum Christum præstita est. διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο. Quatenus nimirum is sacrificio suæ mortis, per sacrificia Legis præfigurato, expiavit peccata electorum, eisque impetravit favorem Dei, unde is & peccata eis remittit, & spiritu suo eos regenerat.

18 *Vidit.* ἑώρακε. Id est, Cognovit: nempe quantum satis est ad vitam æternam: quippe quæ in cognitione Dei consistit, infrà 17. 3. Intellige autem, *Cognovit*, scilicet per se seu viribus & acumine sui ingenii. nam credentes

dentes cognoverunt ex patefactione, ſicut docet ſequens antitheſis.

Unigenitus. ὁ μονογενὴς. Pro ἀλλὰ ὁ μονογενής. Sed unigenitus. Ellipſis conjunctionis adverſativæ: ut intelligitur è ſententiarum inter ſe collatione, quæ connectuntur per antitheſin.

In ſinu. εἰς τὸν κόλπον. Pro, ἐν τῷ κόλπῳ. Enallage ſacris ſcriptoribus uſitata. Et ἀνθρωποπάθεια, id eſt, metaphora (eaque metonymica) à natura & moribus hominum: qui dicuntur in ſinu habere, ſi quid habent arcanum: & in ſinu fovere, ſi quid habent charũ. Significatur ergo, Filium Patri intimũ eſſe, ita nimirum, ut & unicè charus ei ſit, & arcana ipſius conſilia teneat.

Ille. ἐκεῖνος. Epanalepſis. πλεοναστικὴ Johanni uſitata, qua ſcilicet antecedens enuntiati per pronomen repetitur. Sic infrà verſ. 33. ἀλλ' ὁ πέμψας με βαπτίζειν ἐν ὕδατι, ἐκεῖνός μοι εἶπεν, &c. Similis epanalepſis per pronomen τοιοῦτος facta, reperitur 1. Cor. 5 verſ. 5. Hunc autem Euangeliſtæ morem quidam non attendentes, legendum cenſent, ἐκεῖνον: ut ſcilicet referatur ad nomen Θεόν. At duriuſcula phraſis ſit, ἐξηγεῖσθαι θεόν, Exponere Deum: pro, τὰ περὶ θεοῦ, vel τὰ πρὸς γνῶσιν θεοῦ ἀνήκοντα: id eſt, ea quæ ſunt de Deo quæve pertinent ad cognitionem Dei.

Expoſuit. ἐξηγήσατο. Scilicet, ut modò diximus, τὰ περὶ θεοῦ. Porrò τὸ ἐξηγεῖσθαι, pro exponere ſeu enarrare, dictum ex eo puto: non quia ὁ ἐξηγητὴς, id eſt, is qui aliquid exponit atque enarrat, diſcipulum ad cognitionem rei introducat (quod Græcè eſt εἰσάγειν, unde Porphyrii εἰσαγωγή) ſed quòd res obſcuras ac latentes quaſi è tenebris in lucem educat atque proferat. qua ratione apud Latinos quoque exponere dicuntur qui rem obſcuram declarant, quòd eam quaſi extra ſeu foris & in conſpectu ponant: quum antea lateret abſcondita: quo modo & inſtitores ſuas merces exponere dicuntur.

19 *Hoc autem.* καὶ αὕτη. Pro καὶ αὕτη δέ. Redit ad cõmemorationem teſtimonii Johannis, quam paucis propoſuerat v. 15. deinceps verò pleniùs & per circumſtantias teſtimoniũ illud exponit. Nam quò minùs vertẽdum ſit. *Hoc etiam*: quaſi ſuperiori teſtimonio hîc alterum adjungatur, obſtat primùm ipſa ratio loquendi, qua hoc loco utitur Euangeliſta, nimirum non dicens, Καὶ αὕτη ἐστὶ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου: id eſt, Hoc quoque teſtimonium eſt Johannis. ut ſubaudiatur τὸ. Sed dicit: Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου: id eſt, Et hoc (vel Hoc autem) eſt teſtimonium illud Johannis. ſcilicet, cujus paulo antè mentionem facere cœpi. Itaque textum hunc ſic judico diſtinguendum: Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου. Ὅτε ἀπέστειλαν οἱ Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων ἱερεῖς καὶ Λευίτας, ἵνα ἐρωτήσωσιν αὐτὸν, Σὺ τίς εἶ; καὶ ὡμολόγησεν, &c. Id eſt: Hoc autem eſt teſtimonium illud Johannis. Quando miſerunt Judæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, Tu quis es? tum profeſſus eſt, &c.

20 *Tum.* Καὶ. Conjunctio copulativa hîc more Hebræorum ſervit annectendo conſequenti enunciati relativi temporis: itaque idem valet quod ὅτε: quum in antecedenti ſit ὅτι.

Confeſſus eſt. ὡμολόγησε. Sic malo quàm *Profeſſus eſt.* nam profitemur ultrò: cõfitemur rogati. Cic. pro Cecinna, loquens de Ebutio: Quid confiteretur? atque ita libenter confitetur, ut non ſolùm fateri, ſed etiam profiteri videatur, Recuperatores? *Neque negavit.* καὶ οὐκ ἠρνήσατο. Emphatica ejuſdem ſententiæ aliis verbis repetitio.

20 *Non ſum ego Chriſtus.* ὅτι οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ χριστός. Conjunctio ὅτι ſervit minimè ſi ſeu proſopopœiæ rectæ: quam equidem hîc retinendam cen-

seo, quia sic magis declaratur, quàm simpliciter ac planè respondérit Johannes.

21 *Propheta ille.* ὁ προφήτης. Articulo rectè expresso: qui est διακριτικὸς, & respicit ad promissionem, Deut. 18. v. 15. ubi singularis quispiam propheta, ab omnibus audiendus (videlicet ipse Christus) á Mose describitur.

25 *Aqua.* ἐν ὕδατι. Ad verbum, *In aqua.* Hebraismus: nam Hebræi literam Beth, quæ respondet Græcorum præpositioni ἐν, nominibus præfigunt ad notandum instrumentum. Sic Matth. 3. ver. 11. βαπτίζειν ἐν ὕδατι: item ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί.

27 *Qui me sequitur.* ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος. Vide suprá, scholia ad v. 15. *Cujus solearum ego non sum dignus ut solvam corrigiam.* οὗ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος. Syntaxis subobscura propter verborum trajectionem. Sententia tamen facilis est. Græca verba sic construenda: ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος ἵνα λύσω τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος αὐτοῦ. Ubi notandum, pronomen αὐτοῦ redundare ex more Hebræorum, quum præcesserit οὗ in principio sententiæ. Latinorum autem verborum syntaxis hæc est: Ego non sum dignus ut solvam corrigiam solearum ejus, pro quo postremo verbo dicitur *Cujus.* Magis perspicua fuerit oratio, si sic verba colloces: Cujus solearum corrigiam ut solvam, ego dignus non sum.

28 *Secus Jordanem.* πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Vel, Secundùm Jordanem: id est, in ripa Jordanis. Intelligenda autem hic ripa citerior respectu Hierosolymorum, ut in qua situm fuerit oppidum Bethabara: quippe situm in tribu Ephraim; sicut observavit D. Beza. Non rectè igitur hoc loco alii vertunt, *Trans Jordanem.* Omnino vox πέραν apud Euangelistas respondet Hebraicæ עבר éber: qua Hebræi utuntur etiam quum locum citeriorem notant: ut Deuter. 1. vers. 1. Ista sunt verba quæ locutus est Moses universo Israëli cis Jordanem: בעבר הירדן ad verb. in transitu Jordanis. Baptizabat. ἦν βαπτίζων. Ad verb. *Erat baptizans.* Sic Marc. 1. vers. 4. ἐγένετο βαπτίζων, pro ἐβάπτιζε.

29 *Postero die.* τῇ ἐπαύριον. Subaudi ἡμέρᾳ. Latini etiam dicunt per adverbium, *Postridie*, item per nomen *postero*, non addentes *die*: sicut doctissimus Lipsius annotavit ad lib. 1111. Annalium Taciti. *Ecce agnus ille.* ἴδε ὁ ἀμνὸς. Pro, οὗτος ἐστιν ὁ ἀμνὸς. hic est agnus ille.

Agnus ille. ὁ ἀμνός. Videlicet eximius ille agnus & singularis qui per agnos Sacerdotii Levitici adumbratus est. *Agnus ille Dei.* ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ. Id est, persona illa á Deo ordinata in victimam, ut scilicet instar agni macte tur & offeratur ad expiandum peccata electorum. Vocatur ergo Christus agnus per metaphoram ductam ab agnis, qui mactabantur in veteri Testamento. nam quemadmodum isti agni mactabantur ad expiandum peccata cēremonialiter: ita Christus mactatus est ad expiandum peccata reipsa. *Qui tollit.* ὁ αἴρων. Id est, aufert. nempe á credentibus: quatenus nimirum pro illis mactatus & sacrificatus est in cruce. Vel, *portat.* scilicet expiandi gratiá: quo modo dicitur de hirco illo qui Christi typus fuit, Levit. 16. v. 22. Et portabit hircus ille super se omnes iniquitates eorum, &c. Et sic de Christo etiam ipso dicitur Esa. 53. v. 4. Morbos nostros ipse portavit, & dolores nostros bajulavit. Item v. 11. Et iniquitates eorum bajulabit. Item v. 12. Et ipse peccatum multorum portavit. Similiter loquitur & Petrus 1. Pet. 2. v. 24. Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. *Peccatum mundi.* τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. Id est, peccatum illud cujus totus mundus reus est, seu totum genus humanum: nempe quod commisimus in paradiso:

paradiſo: de quo Apoſtolus Rom.5. á v.12. uſquè ad finem capitis. Per ſynecdochen autem metonymicam ſimul intelligenda ſunt cætera peccata, ex primo illo orta. nam ſanguis Jeſu Chriſti purgat nos ab omni peccato: 1.Johan.1,v.7. Item, Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nec pro noſtris ſolúm, ſed etiam pro totius mundi peccatis: 1. Joh.2.v.2.

30 *Sequitur me.* ὀπίσω μου ἔρχεται. Vide ſuprá ad v.15.

31 *Iſraël.* τῷ Ἰσραήλ. Id eſt, populo Iſraëlitico. Metonymia efficientis uſitata. *Veni.* ἦλθον. Scilicet, miſſus á Deo: ut ſuprá v.6. *Aqua.* ἐν τῷ ὕδατι. Ut ſuprá v.26 Sic infrá v.33.

32 *Spiritum.* τὸ πνεῦμα. nempe Spiritum ſanctum. quod innuit articulus διακριτικός. *Quaſi columbam.* ὡσεὶ περιστερὰν. Lucas cap.3.v.22. addit, σωματικῷ εἴδει. corporea ſpecie. E quibus verbis, εἶδος & ὡσεὶ, colligat aliquis, non fuiſſe veram columbam. Sed verba illa referuntur ad Spiritum ſanctum: ut doceatur, eum non eſſe corporea ſpecie in ſua natura, nec eſſe columbam: ſed tunc apparuiſſe & conſpectum eſſe Johanni in illa columba tanquam ſpecie atque imagine quadam: quum ipſe ſua natura ſit ἀόρατος. Sic in die Pentecoſtes apparuit in linguis igneis: de quibus dicitur Act. 2. v.3. Et viſæ ſunt eis diſpertitæ linguæ inſtar ignis, ὡσεὶ πυρός. *Manſit.* ἔμεινεν. Id eſt, ad tempus requievit: non continuò rurſum diſparuit & avolavit. *Super eum.* ἐπ' αὐτόν. Scilicet Jeſum.

33 *Spiritum.* τὸ πνεῦμα. Id eſt, columbam, ſymbolum Spiritus. Metonymia ſubjecti pro adjuncto, nempe rei ſignatæ pro ſigno. *Spiritu ſancto.* ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Ut ſuprá v.26. ἐν ὕδατι.

36 . *Ecce agnus.* Vide ſuprá v.29.

37 *Eum.* Nempe Johannem Baptiſtam. *Loquentem.* Id eſt, Pronuntiantem verba illa de Jeſu, Ecce agnus ille Dei. *Sequuti ſunt Jeſum.* Nempe ex fide quam modó hauſerant ex auditu prædicationis Johannis.

38 *Converſus, &c.* Imago pulcherrima ſummæ humanitatis ac facilitatis in Chriſto: qui prior alloquitur eos quos ſibi adhærere novit.

40 *Diem illum.* τὴν ἡμέραν ἐκείνην. In Græco ſubauditur χρόνος, in Latino *per.* quæſtio enim eſt, Quamdiu. *Quaſi decima.* ὡς δεκάτη. id eſt, Circiter decima. ac proinde non niſi duæ horæ illius diei reſtabant. nam Judæi diem in duodecim horas diſtinguebant: infrá 11.9.

42 *Unctus ille.* ὁ χριστός. Nam ut Euangeliſta Græcé ſcribens, vocem Hebræam declaraturus, convenienter expoſuit per vocem Græcam: ſic etiam convenit ut quivis interpres ea lingua vocem illam declaret, in quam ipſe Græca transfert.

45 *Civitate.* ἐκ τῆς πόλεως. Id eſt, ἐκ τῆς πατρίδος, ex patria. Sic Luc.2. verſ.3.& 4.

51 *Credis?* πιστεύεις; Bene convenit interrogatio, qua innuitur admiratio Chriſti, admirantis fidem Nathanaëlis: ut qui ſtatim crederet, uno tantúm miraculo Chriſti (nempe viſione abſentis) cognito. quaſi dicat Chriſtus: Si credis, unico hoc miraculo motus: quanto magis crediturus es, quum videbis miracula mea iſto majora?

52 *Dico vobis.* λέγω ὑμῖν. At modó præceſſit, Dicit ei, λέγει αὐτῷ. Verum quod hic dixit Dominus Nathanaëli, id cæteris quoque dixit qui unâ aderant. *Aſcendentes ac deſcendentes, &c.* Id eſt, Videbitis me mira opera edere virtute cœleſti ac divina, in quibus Angeli mihi miniſtraturi ſunt. nam eum de miraculis ſuis loqui, ex occaſione dicti colligitur: quam ſumſit ex verbis verſus præcedentis, Majora iſtis videbis.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX JOHANNE.

EX CAP. 1.

I. Ex v.1.& 18. Quum Christus sit Sermo ille per quem nobis Pater suum de nostra salute consilium exposuit: ergo eum audiamus, dum adhuc quotidie per prædicationem Euangelii nos alloquitur.

II. Christus in una eademq; persona Deus & homo est. Est enim filius Dei unigenitus, qui homo factus est. Versu 1. expressé nominatur Deus: ubi dicitur, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Deinde deitas ipsius confirmatur certis argumentis: ut ab æternitate, ubi dicitur: In principio erat Sermo ille. Si enim quum mundus inciperet, filius Dei jam erat: igitur ab æterno erat. deinde à rerum omnium creatione, v.3.& 10. Quo utroque argumento utitur & Paulus Coloss.1.v.15.16.17. Præterea deitatem Christi innuit Johannes Baptista, quum ait, eum sibi esse prælatum, vers.27.& 30. item expressé eum profitetur filium illum Dei, nempe unigenitum. v.34. Adhæc Christus ipse deitatem suam patefecit, dum tanquam καρδιογνώστης suam de integritate sive sinceritate Nathanaëlis sententiam pronuntiavit, eumque ablentem sub ficu vidit. vers.48.& 49. Porró de humana natura in unitatem personæ á filio Dei assumta, testatur Euangelista v.14.

III. De uuitate essentiæ Dei & distinctione personarum in illa una essentia. Patrem & Filium esse personas inter se distinctas, liquet ex verbis Euangelistæ quibus testatur, Filium fuisse apud Patrem, v.1.& 2. item per Filium á Patre omnia esse condita, vers 3.& 10. Filium autem ejusdem esse cum Patre essentiæ, liquet ex eo quód dicitur non solùm fuisse apud Deum, id est apud Patrem, qui est unicus ille & verus Deus: sed etiam ipse dicitur fuisse Deus, nempe ille ipse unicus & verus Deus, v.1.

IV. Ex v.5. Etsi mens hominis naturali luce rationis atque intelligentiæ est prædita: tamen tantis ignorantiæ tenebris immersa est, ut filium Dei conditorem suum non possit per naturam seu naturali ingenii vi cernere atque cognoscere. De qua cognoscendi impotentia testatur etiam Paulus 1.Cor.2.v.14. Animalis homo non capit &c.

V. Ex v.7.8 9.14.15.26 27.29 30.34.36. Euangelium est testimonium de luce illa vera, id est de Filio Dei manifestato in carne: quód nimirum ipse sit Christus, qui oblatione suiipsius expiare debuerit atque expiaverit peccata omnium Electorum totius mundi.

VI. Deus per ministros verbi efficax est, efficiens nimirum in cordibus Electorum fidem per prædicationem ipsorum. Sicut hìc de Johanne dicitur, eum venisse ad dandum testimonium de illa luce, ut omnes per eum crederent. Confer similem sententiam 1.Cor.3.v.5. Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos, nisi ministri per quos credidistis.

VII. Ex v.12. Fide adoptamur á Deo, ita ut simus filii Dei: quia fide scimus, Filium Dei unigenitum assumptione nostræ naturæ factum esse nostrum fratrem, ut nobis sua morte conciliaret paternum favorem Dei, nosq; hæredes Dei, suos verò cohæredes efficeret. Hebr.2.v.14. Gal.4.v.5. Ephes.1. v.5. Rom.8.v.17.

VIII. Ex

VIII. Ex v.13. Fides non oritur ex generatione carnali, ſed ex regeneratione ſpirituali: quum ſcilicet Spiritus ſanctus per prædicationem Euangelii illuminat corda cognitione myſterii de ſalute æterna per Chriſtum parta, ſimulque ea imbuit fiducia acquieſcente in gratia Dei per mortem Chriſti reconciliata. Sic Matth. 16. quum Petrus ſuam de Chriſto fidem confeſſus eſſet, nempe ipſum eſſe Chriſtum, filium illum Dei viventis: excipit Chriſtus, Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis hæc non revelavit tibi: ſed Pater meus qui eſt in cælis.

IX. Ex v.16. Quum Chriſtus ideo plenus ſit cæleſtium gratiarum ac ſpiritualium bonorum, ut nos ab illo accipiamus: ſequitur, nos bonorum illorum á natura inopes & vacuos eſſe.

X. Ex eod.v. Quum Deus in ſolo Chriſto, quicquid eſt ſpiritualium bonorum, reſidere voluerit: ſequitur, ſimulatque á Chriſto diſceſſimus, fruſtra nos vel guttam unam ſpiritualis ac cœleſtis boni quærere. Caveamus igitur, ne iſta bona apud angelos aut ſanctos homines quæramus.

XI. Ex eod.v. Quum Chriſtus ſit inexhauſtus fons cœleſtium bonorum: minimé timendum eſt, ne quicquam nobis deſit, ſi modó ex ipſius plenitudine hauriamus. Haurire autem licet fide & invocatione ex fide profecta.

XII. Ex v. 17. Gratia, quæ per ceremonias Legis fuit adumbrata, per Chriſtum reipſa eſt præſtita: videlicet gratuita peccatorum remiſſio & renovatio cordis. Cujus quidem gratiæ fideles ſub Lege quoque (ſed non tanta copia) fuerunt participes: Chriſtus enim eſt heri, hodie & uſque in ſeculum. Confer Coloſſ. 2. v. 17. & Heb. 10. v. 1.

XIII. Ex v. 18. Salutaris Dei cognitio non niſi ex Euangelio haberi poteſt.

XIV. Ex eod. v. Euangelium eſt doctrina per unigenitum Dei filium patefacta, qua exponitur arcanum Dei conſilium de ſalute Electorum per Chriſtum.

XV. Ex v.26. In ſacramentis diligenter diſtinguendum eſt inter actionem Miniſtri & actionem Chriſti. Miniſter tantummodó diſpenſat terrenum elementum: quemadmodum hoc loco ait Johannes, Se baptizare aqua. Chriſtus autem per Spiritum ſanctum efficax eſt in cordibus electorum, & intus implet quod Miniſter exteriús figurat. Sicut idem Johannes de Chriſto dicit, Ipſum baptizare Spiritu ſancto, infrá ver. 33. Errant igitur qui putant, miniſtros in diſpenſatione ſacræ cœnæ non ſolúm panem & vinum, ſed etiam ipſum corpus & ſanguinem Chriſti dare: quum ſolus Chriſtus hæc det, quatenus per Spiritum ſanctum confirmat communicantium fidem: qua fide ſola cibus ille & potus ſpiritualis edi ac bibi poteſt.

XVI. Ex v.29. Res illa qua peccata omnium totius mundi Electorum expiata ſunt, eorumq; remiſſio illis á Deo impetrata, eſt unicum illud ſacrificium Chriſti in cruce oblatum. Solus enim Chriſtus eſt agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi: dum ſcilicet in cruce mactatus & oblatus expiavit tum peccatum originis, tum omnia inde orta peccata Electorum. Sanguis enim Chriſti purgat nos ab omni peccato. 1. Johan. 1. Hinc ſequitur, ſolam obedientiam mortis Chriſti nobis ad juſtitiam coram Deo imputari: quippe quum juſtitia illa, qua coram Deo conſiſtimus, in remiſſione peccatorum ſit poſita: ſicut docet Paulus, Rom. 4. v. 6. & 7.

XVII. Ex v.32. Sunt qui doceant, ſicut columba quam Johannes vidit, ſymbolum fuit Spiritus ſancti præſentis, ſic panem ſacræ cœnæ ſymbolum

eſſe

esse corporis Christi præsentis. Sed sciendum, non esse hic parem rationem. nam quum Spiritus sanctus ubique sit, consequens est fuisse quoque in ista columba: at corpus Christi non est ubique, sed uno tantùm in loco, & jam quidem in cœlo: ac proinde nequaquam in pane sacræ cœnę. Deinde columba illa symbolum fuit non præsentiæ illius substantialis, qua Spiritus sanctus ubique est: sed præsentiæ cujusdam singularis, nempe singularis operationis, qua Christi animam donis suis replevit: at talis præsentia corpori Christi attribui non potest.

XVIII. Ex v. 33. Sicut columba, quam vidit Johannes super Christum descendere, appellatur Spiritus, quia fuit symbolum Spiritus, id est signum unde cognosceretur, Spiritum sanctum suis donis Christum repleviſse ac repleturum: sic panis sacræ cœnæ dicitur esse corpus Christi, quia est symbolum corporis Christi, id est signum, unde cognoscitur, corpus Christi pro nobis esse crucifixum.

XIX. Ex v. 37. 40 42. 43. 46. 47. Quum primùm audivimus testimonium Euangelii de Christo, aguo illo Dei seu Mediatore, officii nostri est, continuó illum sequi, id est, fide eum recipere, & in ejus cognitione proficere studere, item alios quoque ad ipsius cognitionem adducere. Vide Esa. 2. v. 3.

XX. Ex v. 49. & 50. Miraculorum Christi usus est, ut ex illis agnoscatur esse filius Dei & Rex Ecclesiæ.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Duæ sunt hujus capitis partes: In prima describit Euangelista primum miraculum Christi, quod edidit in nuptiis in Cana Galilææ, ubi aquam in vinum convertit: in altera narrat, quomodo Christus repurgarit templum, & quomodo factum illud suum defenderit apud Judæos.

DE PRIMA PARTE.

DIe autem tertio nuptæ factæ sunt in Cana oppido Galilææ: eratq; mater Jesu illic.

2 *Vocatus est autem etiam Jesus ac discipuli ejus ad nuptias illas.*

3 *Et quum defecisset vinum, mater Jesu dicit ei, Vinum non habent.*

4 *Dicit ei Jesus, Quid mihi tecum, mulier? nondum venit hora mea.*

5 *Dicit ejus mater ministris, Quodcunque dixerit vobis, facite.*

6 *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Judæorum, capientes singulæ amphoras binas aut ternas.*

7 *Dicit eis Jesus, Implete has hydrias aqua. Impleverunt eas igitur usque ad summum.*

8 *Tunc dicit eis, Haurite nunc, & offerte architriclino. Obtulerunt igitur.*

9 *Ut autem gustavit architriclinus aquam illam quæ facta fuerat vinum, (nesciebat autem unde esset: sed ministri sciebant, qui hauserant aquam) vocat sponsum architriclinus,*

10 *Et dicit ei, Omnes primo loco bonum vinum apponunt, & postquam* convivæ *affatim biberint, tunc id quod minus bonum* est: *tu servasti bonum vinum usque adhuc.*

11 *Hoc initium signorum fecit Jesus in Cana* oppido *Galilææ, & manifestam fecit gloriam suam: & crediderunt in eam discipuli ejus.*

In describendis nuptiis, in quibus Christus primum suum miraculum edidit, indicatur primò *tempus*: nuptias illas factas esse die tertio, videlicet postquam Jesus testimonium publicé accepisset á Johanne Baptista: ut percipitur ex collocatione hujus versiculi cum versiculo 29. 35. & 36. capitis præcedentis. Secundó indicatur *locus*, videlicet Cana Galilææ. Tertió *convivæ*: videlicet mater Jesu, Jesus ipse & discipuli ejus. Quartó *occasio miraculi*: videlicet defectus vini & admonitio matris. Quintó, *quid Jesus matri monenti responderit*: quo quidem responso reprehendit matrem ob usurpationem minuæ authoritatis, ut quæ ipsi vellet præscribere opis ferendæ tempus: simul tamen spem facit se suo tempore opem laturum. Sextó, *quomodo se gesserit mater Jesu ad illam reprehensionem*: hortata est ministros ut jussis Jesu obtemperarent: quo ipso significavit, se & reprehensionem illam æquo animo ferre, & ex verbis Jesu spem opis concepisse. Septimó indicantur *miraculi editi causæ instrumentales*: nempe vasa & ministri, *item materia*, nempe aqua. Ministri sex hydrias jussu Christi repleverunt aqua. Octavó narratur *testimonium architriclini*: qui vini ex aqua illa orti præstantiam & gustatu cognovit, & verbis apud sponsum professus est: illique testimonio conciliatur fides ex eo, quód architriclinus ignorabat, unde istud vinum esset allatum: quo significatur, illum non laudasse istud vinum in gratiam Jesu tanquam ex compacto, sed simpliciter dixisse quod sentiebat. Nonó subjicitur *epiphonema* quo miraculum hoc commendatur *ab effectu duplici*: primus est manifestatio gloriæ Jesu, id est, demonstratio deitatis ipsius: alter á priore dependens, confirmatio fidei discipulorum.

DE SECUNDA PARTE.

12 ¶ *Postea descendit Capernaum, & ipse & mater, & fratres & discipuli ejus: manseruntque illic non multos dies:*

13 *Nam propè erat pascha Judæorum. Ascendit igitur Jesus Hierosolymam.*

14 *Et invenit in templo venditores boum & ovium & columbarum, & nummularios sedentes:*

15 *Factóque flagello è funiculis, omnes ejecit è templo, & oves & boves: & argentariorum numulos effudit, mensásque subvertit.*

16 *Et columbarum venditoribus dixit, Tollite hinc ista: ne facite domum Patris mei, domum mercatus.*

17 *Recordati sunt autem ejus discipuli, scriptum esse, Zelus domus tuæ devoravit me.*

18 *Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei, Quod signum ostendis nobis quòd ista facias.*

19 *Respondit Jesus, & dixit eis, Destruite templum hoc, & triduo excitabo illud.*

20 *Dixerunt ergo Judæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est templum istud, & tu triduo illud excitabis?*

21 *At ille loquebatur de templo corporis sui.*

22 *Postquam ergo excitatus fuit à mortuis, recordati sunt discipuli ejus quòd*

hoc

hoc dixisset eis: & crediderunt Scripturæ, & sermoni quem Jesus dixerat.

23 ¶ *Quum autem esset Hierosolymis in pascha, in festo, multi crediderunt in nomen ejus, conspicientes signa ejus quæ edebat.*

24 *Ipse autem Jesus non credebat eis semetipsum, eò quòd nosset omnes:*

25 *Nec opus esset ut quisquam ei testaretur de homine. ipse.n. sciebat quid esset in homine.*

Sequitur historia de repurgatione templi: ubi primùm designatur *tempus* quo hoc gestum fuit, nempe pauló post nuptias illas in Cana Galilææ, idque pauló ante festum paschæ: deinde *occasio rei gerendæ*, videlicet præsentia eorum qui vendebant boves & oves & columbas, item numulariorum. Tertió *instrumentum & ipsa rei gestio*, vers. 15. & 16. Quartó exponitur *ratio facti*: quia nolit ferre istum templi abusum: quippe quod sit extructum ut ibi invocetur pater: non autem ut ibi exerceatur mercatus. Quintó, exponitur *eventus duplex*: unus in discipulis, alter in Judæis incredulis. Discipuli admirati sunt Domini zelum, & recordati sunt verborum Psalmi 68. Zelus domus tuæ devoravit me. Increduli Judæi cum Domino expostularunt, postulantes signum, id est, miraculum quo demonstraret, se à Deo templi ita repurgandi accepisse potestatem. Christus promittit miraculum suæ resurrectionis: sed iis verbis quæ isti aliò detorquent & irridet. Postremó narratur *effectus miraculorum, quæ Christus tunc temporis ediderat*: nempe quód multi professi sint se in illum credere. Sed fidem illam non fuisse sinceram, probatur testimonio Christi tanquam καρδιογνώστου. Porró hoc loco notandum est, historiam quam de repurgatione templi narrant cæteri Euangelistæ, ab hac diversam esse: quoniam illa sub tempus mortis Domini accidit. Matth. 21. vers. 12. & Luc. 19. vers. 45. Unde intelligimus, Dominum bis profana ista ac fœda negotiatione purgasse templum: semel circa legationis suæ exordia; iterum verò cùm é mundo migraturus esset ad Patrem. Primùm considerandi sunt fines propter quos negotiatio ista vendendi pecudes & columbas in templo á Judæis instituta fuerit. Finis apparens adeóq; prætextus erat, ut in promptu quisq; haberet quod offerre posset Domino. Finis verus erat, ut sacerdotes ex multitudine oblationum ditescerent. Deinde considerandæ sunt causæ, cur negotiatio ista Christo displicuerit, ac proinde templũ illa purgarit.

Una causa fuit, quia sacerdotes isto mercatu ad quæstum & avaritiam suam (ut diximus) abutebantur. Altera eáque præcipua causa fuit, quia hoc instituto declinarant á mandato Dei.

Deus enim templum ordinarat ad preces & cultum suum, non autem ad mercatum. Sed quæritur, cur Christus munus suum propheticum non potiùs inchoarit á doctrina? Respondeo, quia templi possessionem quodammodo adire voluit, ac divinæ suæ authoritatis documentum statuere. Atque ut omnes ad ejus doctrinam attenti essent, torpentes ac sopitas mentes novo & insolito ac authoritatis pleno facinore expergefieri oportuit. Præterea quum doctrinæ puritatem restituere vellet, operæ precium fuit ut se templi dominum comprobaret.

SCHOLIA IN CAP. II.

4 *Hora mea.* ὥρα μου. Id est, illud temporis momentum quod mihi à Patre destinatum est, ut in eo potentiam meam miraculo declarem.

6 *Ampheras.*

6 *Amphoras.* μετρητὰς. Nempe amphoras Atticas, non autem Romanas. Scripſit enim Johannes non in Italia, nec Latiné: ſed in Aſia, & Græcé. Et omnino μετρητὰ Græcis amphoram Atticam ſignificat, quæ Romanam urna ſuperabat, continens tres urnas. Jam duæ urnæ (ſeu amphora Romana) faciunt omam Argentinenſem: Viginti autem Argentinenſes omæ faciunt culeum. Hinc perſpicitur, hydrias iſtas cepiſſe culeum plus minus. Nam ſi ceperunt ſingulæ metretas binos, ceperunt omas Argentinenſes octodecim, id eſt culeum minus duabus omis. nam bis ſex metretæ ſunt duodecim metretæ: duodecim autem metretæ ſunt octodecim omæ: quum ſinguli metretæ ſint tres urnæ, id eſt oma una & dimidia. Si veró ceperunt ſingulæ hydriæ metretas ternos, ceperunt omas Argentinenſes 27. id eſt culeum & 7. omas: ut liquet, ſi ſuperiori ſummæ ſex metretas addas. ſic enim erunt ter ſex, id eſt octodecim metretæ. Hinc porró liquet, hydrias iſtas non fuiſſe urceos qui manu geſtarentur: ſicut vulgó hæc hiſtoria pingitur. Sed fuerunt vaſa lata & patula, é quibus poſſet hauriri: ſicut percipitur ex verſu octavo. Ac videntur fuiſſe labra, unde manu haurirent aquam ſeſe more Judaico purificaturi: quum dicantur iſtæ hydriæ poſitæ fuiſſe ſecundúm purificationem Judæorum, hoc eſt, ita ut ſervirent illi purificationi.

10 *Bonum vinum.* τὸν καλὸν οἶνον. Pro, τὸν κρείττω, id eſt, melius: ut apparet ex antitheſi. Subjungitur enim, τὸν ἐλάσσω. *Affatim biberint.* μεθυσθῶσι. Id eſt, Vim vini ſenſerint, ſeu vini potu exhilarati fuerint. Neque enim hoc loco intelligenda eſt illa pluſquam belluina vini ingurgitatio, qua nonnulli vinum reluctante etiam natura ingurgitant: ſed liberalis vini potus quatenus eo cor exhilaratur. Atque ſic verbum שכר quod vertitur Inebriari, accipitur Gen. 43. v. ult. de fratribus Joſephi cum illo convivantibus. Imó idem verbum quandoque nihil amplius videtur ſignificare quám Explere ſitim: ut Haggæi primo v. 6. ubi propheta populum alloquens, inter alia dicit: Comeditis, ſed non ad ſaturitatem: bibitis, ſed non ad ebrietatem. Ubi ex antitheſi claré perſpicitur: ſicut ſaturitas dicitur, quum quis ſatis edit & famem explevit, ita dici ebrietatem quum quis ſatis bibit & ſitim explevit.

11 *Hoc initium ſignorum fecit.* ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων. Id eſt, Hoc primum Jeſu ſignum eſt: quod fecit in Cana, &c. Signum pro miraculo per ſynecdochen generis vel metonymiam adjuncti. nam miracula ſervorum Dei, ſigna ſunt ac teſtimonia divina vocationis & miſſionis ipſorum, quòd ſcilicet à Deo vocati & miſſi ſint ad docendum. *Et manifeſtam fecit.* καὶ ἐφανέρωσε. Id eſt, Atque ita manifeſtā fecit. Sic Luc. 24. v. 26. Nónne hæc oportuit pati Chriſtū, & introire in gloriā ſuam? id eſt, atq; ita introire.

Gloriam ſuam. τὴν δόξαν αὐτοῦ. Id eſt, deitatem ſuam, ſeu majeſtatem ſuam divinam. nam ejuſdem potentiæ eſt (nempe diuinæ) creaturas mutare ſeu transformare, cujus eſt creare. *Et crediderunt.* καὶ ἐπίστευσαν. Id eſt, Unde crediderunt. hoc eſt, in fide confirmati ſunt: quòd nimirum ipſe eſſet Chriſtus ſeu promiſſus ille Meſſias.

12 *Fratres.* οἱ ἀδελφοὶ. Id eſt, cognati. Synecdoche ſpeciei, Hebræis uſitata.

13 *Paſcha Judæorum.* τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων. Id eſt, Paſcha feſtum Judæorum, τὸ πάσχα ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων. Sicut loquitur integrè infrà cap. 6. v. 4. Nomen πάσχα ortum eſt ex Hebræo פסח peſach: quod ſignificat tranſitum ſeu tranſilitionem. Concurrunt autem hîc in una voce tres tropi:

primùm

primùm ſynecdoche generis, quatenus nomine tranſitus intelligitur tranſitus Domini in AEgypto, tranſeuntis domos Iſraëlitarum, dum percuteret primogenita AEgyptiorum. deinde metonymia ſubjecti, quatenus intelligitur illius tranſitus ſignum memoriale, videlicet agnus certa ceremonia jugulari & comedi ſolitus. tum altera metonymia ſubjecti, quatenus intelligitur tempus, quo iſte agnus ſolebat jugulari & comedi.

15 *Flagello.* φραγέλλιον. Græca vox deſumta eſt ex Latina. ſic alibi λέντιον, σπεκουλάτωρ, κουστωδία, ex Latinis, linteum, ſpiculator, cuſtodia.

17 *Zelus domus tuæ.* ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου. Id eſt, Zelus quo fui accenſus pro domo tua, ut ſcilicet domui tuæ ſeu templo conſtarēt legitimus uſus ad gloriam tui nominis. *Devoravit me.* κατέφαγέ με. Exhauſit luccum meum vitalem, emaciavit me.

18 *Reſponderunt.* ἀπεκρίθησαν. Catachreſis Hebræa, pro, Cœperunt loqui. ſic Matth. 17. v. 4. *Signum.* σημεῖον. Id eſt, miraculum. ut ſup. v. 11. *Signum quòd hæc facias.* σημεῖον ὅτι ταῦτα ποιεῖς. Id eſt, Signum quo demonſtres quòd hæc faciendi poteſtatem habeas à Deo.

21 *De templo corporis.* περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος. Genitivus notans ſpeciem, reſolvendus per appoſitionem, nempe, De templo quod eſt corpus ipſius: ut illud infrà cap. 11. v. 13. Dormitio ſomni: item illud Rom. 4. v. 11. Signum circumciſionis.

22 *Quem.* ᾧ. Pro, ἐκείνῳ ὅν.

23 *Crediderunt in nomen ejus.* ἐπίστευσαν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Pro, Crediderunt in eum. Metonymia adjuncti. nam nomen perſonæ adjunctum eſt. Porrò *Crediderunt* hic vel exponendum, Profeſſi ſunt ſe in eum credere: nam non omnes illos verè in eum credidiſſe, arguunt verba ſequentia, ubi dicitur, Chriſtum ſe illis non credidiſſe. Vel exponendum, *Crediderunt ei*: agnoſcentes ſcilicet eum pro doctore divinitus miſſo, ac proinde doctrinam ipſius tanquam veram amplectentes & laudantes. ſicut cap. ſeq. v. 2. Nicodemus ex ſignis. i. miraculis Ieſu colligit, ipſum veniſſe doctorem à Deo. Atq; ſic fuerit catachreſis in iſta phraſi: qualis etiam extat Exod. 14. v. ult. ubi dicitur populus credidiſſe in Moſem (ſic enim ſonat textus Hebræus) veruntamen fiduciam ſuam in Moſe non collocarunt: id quod illa phraſi propriè ſignificatur. *Signa.* τὰ σημεῖα. Id eſt, miracula: ut ſuprà v. 11.

24 *Non credebat eis ſemetipſum.* οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς. Elegans ἀνταναάκλασις. nam idem verbum repetitur diverſa conſtructione & ſignificatione.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. 2.

EX PRIMA PARTE.

1. Convivia nuptialia eſſe licita. Alioquin enim Chriſtus hoc convivium nuptiale ſua præſentia non approbaſſet. Idem ſentiendum de conviviis ad benevolentiam teſtandam hilaritatis gratia inſtitutis: qualia erant illa filiorum Jobi, dum modò luxus caveatur. Sic Chriſtus conviviis Phariſæorum non ſemel interfuit.

11 Quòd Chriſtus matrem ſuam aſperis verbis reprehendit, non eſt trahendum

hendum in exemplum. nam fecit id quatenus erat dominus matris, quippe ejus creator ac proinde Deus : quippe qui deitatem ſuam mox ipſo facto, nempe miraculo, erat demonſtraturus. Similis reprehenſio matris extat Luc. 2.v.49. ubi quum mater ei dixiſſet, Fili, cur ita feciſti nobis? Ecce pater tuus & ego cruciati quærebamus te : reſpondit, Quid eſt quòd quærebatis me? an neſciebatis quod in iis quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Sic Matth. 12. v.46. quum inter docendum admoneretur, foris ſtare matrem & fratres, quærentes ejus colloquium; reſpondit, Quæ eſt mater mea & qui ſunt fratres mei? Et protenſa manu ſua in diſcipulos dixit, Ecce mater mea & fratres mei &c. Hoc tamē in genere nobis diſcendum eſt ex iſto Chriſti exemplo, quòd gloriæ Dei omnia poſtponere debeamus, adeò ut ne reverentiæ quidem, aliàs parentibus debitæ, rationem habeamus. Agebatur enim in iſto caſu gloria Dei: quæ fuiſſet obſcurata, ſi Chriſtus viſus fuiſſet miraculum illud ex monitu & imperio matris edidiſſe.

III. Valde perverſum eſſe & inſanum judicium Papiſtarum, qui Mariam matrem Domini ipſi Domino anteponere non verentur: quippe cui publicè accinnunt hæc verba, *Roga patrem, iube natum, & iure matris impera.* Eiuſdem generis eſt, quòd eam appellant reginam cœli; ſpem, vitam & ſalutem mundi: honorem Chriſti proprium ad Mariam transferentes, planè contrà quàm ipſe fecit.

IIII. Modeſtia Mariæ nobis imitanda eſt: quæ reprehenſionem Domini quantumvis aſperam, æquo animo fert: quippe quæ petit à miniſtris, ut juſſis Domini pareant. Simile ejuſdem Mariæ exemplum extat Lucæ 2.v.51. ubi dicitur verba Domini conſervaſſe in corde ſuo.

V. Notanda diſſimilitudo inter verum hoc miraculum Chriſti & fictitium miraculum Papiſtarum in Miſſa, ubi ajunt, panem transſubſtantiari in corpus Chriſti. At, inquam, ſi hoc eſſet verum : tum corpus Chriſti peracta tranſſubſtantiatione ibi ſentiretur, panis autem non amplius ſentiretur: ſicut hic peracta tranſſubſtantiatione aquæ in vinum, vinum ſentiebatur, aqua non item.

VI. Conjugium placere Deo : quippe quod filius Dei non ſolùm ſua præſentia in nuptiis ornavit, ſed etiam primo ſuo miraculo honoravit, adeóque eximio beneficio conjuges illos novos ditavit. Quum enim vini ab eo creati fuerit culeus plus minus, & convivæ jam ſitim expleviſſent : probabile eſt maximam illius vini partem remanſiſſe in novorum conjugum uſum. Hebr. 13 4 Honorabile eſt conjugium in omnibus, &c. Contra Papiſtas : qui interdicunt conjugium ſacerdotibus.

VII. Ebrioſos non habere ex verbis Architriclini quod vitio ſuo prætexant: neque enim quicquid in ſacris literis dictum à quoquam eſſe narratur, id ſtatim tanquam rectè factum approbatur. Nec inebriandi verbum hoc loco notat nimiam illam vini ingurgitationem, quæ vulgo ebrietatis nomine damnatur : ſed notat hilaritatem illam, quæ ex mediocri vini potu ſolet exiſtere : ſicut & Geneſ. 43.v.34. ubi Joſeph cum fratribus ſcribitur inebriatus fuiſſe. Hanc enim interdum eſſe ſignificationem verbi Hebraici רבש, manifeſtè intelligitur ex verbis Haggæi cap. 1. v. 6. ubi Dominus per Prophetam alloquens populum, inter alia ait : Seritis multum, & infertis parum; comeditis, ſed non ad ſaturitatem : bibitis, ſed non ad ebrietatem. ubi intelligitur, ebrietatem ſic opponi potui : ſicut eſcæ opponitur ſaturitas. Saturitas autem in vitio non eſt: quare nec ebrietas de qua hic ſermo eſt: quippe quæ & ipſa nihil aliud ſit, quàm ſaturitas quædam, nempe Saturitas potus, quum

quis

quis satis bibit sitimque explevit.

VIII. Miracula esse signa seu testimonia divina, quibus Deus testatur se doctores, per quorum manus miracula edit, ad docendum misisse: ac proinde doctrinæ eorum credendum esse, Joan. 10. v. 37. 38. Unde efficitur, doctrinæ Christianæ tanquam verissimæ credendum esse: quippe quæ plurimis miraculis per Apostolos editis confirmata est.

IX. Notandum discrimen inter miracula Christi & aliorum doctorum: ut Prophetarum & Apostolorum. Christus miracula edidit per se seu sua ipsius vi ac virtute, nempe virtute suæ deitatis. itaque non præmisit invocationem Dei, excepto unico exemplo excitationis Lazari, infrà 10. v. 41. ubi se Patris ministrum esse docere voluit. At Prophetæ & Apostoli ediderunt miracula virtute Dei: unde etiam illum priùs invocarunt. Exempla vide Actor. 3. v. 6. ubi Petrus ait claudo: In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula. Et vers. 16. Fides quæ per ipsum (nempe Christum) est, dedit isti integritatem hanc coram omnibus vobis. Actor. 9. 34. idem Petrus ait AEneæ in oppido Lydda: AEnea, sanat te Jesus Christus: surge & sterne tibi ipsi. Is autem statim surrexit. Actor. 16. 18. Paulus in urbe Philippis ejecit spiritum pythonis ex quadam ancilla, inquiens: Præcipio tibi per nomen Jesu ut exeas ab ea.

X. Usus miraculorum Christi est, ut ex eis agnoscamus ipsum esse filium Dei ac promissum Messiam. Miracula enim ipse hoc consilio fecit, ut manifestaret suam gloriam, id est, deitatem.

DOCTRINAE EX SECUNDA parte.

I. Quòd Christus Legi Paschæ satisfecit, argumento est, quòd Legi se se subjecerit nostra causa, ut nimirum nos à maledictione Legis liberaret, factus pro nobis sancta victima: Gal. 4. v. 4. & 5. Hinc ipsemet ait, Non veni solvere Legem, sed implere, Matth. 5. v. 17.

II. Quòd Christus tanto cum zelo inivit propheticum suum munus, argumento est eum repurgandæ Ecclesiæ destinatum esse. Itaque pii magistratus ope illius freti, repurgationem religionis magno cum zelo suscipere debent.

III. Non ita in ordinaria ad verbi ministerium vocatione acquiescendum esse, quin locus detur vocationi extraordinariæ, quoties res ipsa clamat tali vocatione ad repurgandum Dei cultum opus esse. quum is per ordinarios ministros sit corruptus.

IV. Etiamsi verbum Dei non semper quum primùm auditur, intelligitur: tamen postea suo tempore intelligi & à Spiritu sancto suggeri ad fidem confirmandum, ex v. 22.

V. Non satis tutam esse fidem eorum qui miraculis nituntur: quum miracula tantùm ad fidem præparent, aut eam confirment: ipsa autem fides oriatur ex auditu verbi, & eodem alatur atque conservetur. Rom. 10.

VI. Quum Christus sciat quid sit in homine, hoc est, quum sit cordium scrutator & cognitor, consequens est, eum esse verum Deum. Act. 1. v. 24. Dominus vocatur καρδιογνώστης.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hoc caput duas continet partes. In prima parte describit Euangelista colloquium Christi cum Nicodemo de causis vitæ æternæ, usque ad ver. 22. In altera parte commemorat testimonium Johannis Baptistæ quod dedit Christo, quum is ministerium docendi nuper aggressus esset.

DE PRIMA PARTE.

ERat autem quidam ex Pharisæis cui nomen erat Nicodemo, ex primoribus Judæorum:

2 *Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei, Rabbi, scimus te à Deo venisse doctorem: nemo enim potest hæc signa edere quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo.*

3 *Respondit Jesus & dixit ei, Amen, amen, dico tibi, nisi quis fuerit genitus denuò, non potest videre regnum Dei.*

4 *Dicit ei Nicodemus, Quomodo potest homo gigni qui sit senex? num potest in uterum matris suæ secundo introire, ac gigni?*

5 *Respondit Jesus, Amen amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

6 *Quod genitum est ex carne, caro est: & quod genitum est ex Spiritu, spiritus est.*

7 *Ne mireris me dixisse tibi, Oportet vos gigni denuò.*

8 *Ventus quò vult spirat, & sonum ejus audis, sed nescis unde veniat, & quò vadat: ita est quisquis genitus est è Spiritu.*

9 *Respondit Nicodemus & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri?*

10 *Respondit Jesus, & dixit ei, Tu es doctor ille Israëlis, & hæc non nosti?*

11 *Amen amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: sed testimonium nostrum non recipitis.*

12 *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis?*

13 *Nullus enim ascendit in cælum nisi qui descendit è cælo,* nempe *Filius hominis qui est in cælo.*

14 *Prout autem Moses exaltavit serpentem illum in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis:*

15 *Ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

16 *Ita enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

17 *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut condemnet mundum, sed ut servetur mundus per eum.*

18 *Qui credit in eum, non condemnatur: qui verò non credit, jam condemnatus est: quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.*

19 *Hæc est autem condemnatio, quòd Lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras quàm Lucem, nam opera eorum erant mala.*

20 *Quisquis enim quæ mala sunt agit, odit lucem: nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius.*

21 *Qui verò dat operam veritati, venit ad lucem, ut manifesta fiant facta ipsius, quòd secundùm Deum facta sint.*

Colloquii inter Christum & Nicodemum habiti, quæstio est *de causis precreantibus vitæ æternæ*. Christus primò omnium exponit *causam sine qua non*, hoc est, sine qua nemo vitam æternam potest consequi. Ea est regeneratio hominis, hoc est, renovatio animi per Spiritum sanctum, qua homo in agnitionem miseriæ suæ adductus sibi displicet, deque suis viribus diffidit ac desperat, ac proinde ad gratiam Dei confugit, ab eaque sola opem petit. Quæ regeneratio sentitur quidem ab iis qui regenerantur, sed quomodo perficiatur, non intelligitur, v.3.5.6.7.8. Deinde monstrat *vitæ æternæ authorem*, qui nobis cœlum antea propter peccatum clausum rursus aperuit, hoc est, jus hæreditatis æternæ quo per peccatum excideramus, recuperavit. Hunc docet esse se ipsum, vers.13.16.& 17. Tertiò exponit *formam seu modum agendi*, quo ipse tanquam mediator cœlum nobis aperuerit, & jus vitæ æternæ nobis recuperarit, videlicet per obedientiam mortis suæ in cruce, vers.14. & 16. Quartò indicat *instrumentum* quo ipsum tanquam salutis authorem ac mediatorem nostrum amplectamur: quod instrumentum est fides seu fiducia, qua in eum recumbimus, vers.15. 16.18. Quintò indicat *causam procreantem vitæ æternæ principalem eamque impulsivam*, hoc est, quæ Deum movit atque impulit, ut vitam æternam nobis per Christum donaret, videlicet gratuitum Dei amorem, vers.16. Ad extremum docet etiam *quæ sit causa interitus atque condemnationis impiorum*, videlicet incredulitas qua donum Dei ipsis oblatum, nimirum Christum, filium Dei, unicum salutis authorem contemnunt, idq; odio lucis Euangelii, qua peccata ipsorum arguuntur, v.17.18.19.20.

1 *Erat autem*] Primo omnium *describit personam Nicodemi ex adjunctis adhærentibus duobus*, nimirum professione seu genere vitæ & dignitate sive honore publico. Ait enim primò fuisse Pharisæum, i. doctorem ex honoratissima secta Pharisæorum. Erant enim tũ Hierosolymis doctores divisi in tres sectas: videl. Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum. Pharisæi Hebraicè פרושים peruschim, à radice פרש paraschi. i. exposuit, eò quòd Legem populo exponerent atq; interpretarentur. Nam etsi vox פרושים participium passivum est: tamen hic, quia nominascit, significationem activam habet, & expositores significat. Id quod in lingua Hebræa fieri solere, pluribus exemplis demonstrat doctissimus Drusius observationum lib.1.c.2. Sadducæi videntur sic dicti ex Hebræo nomine צדיקים zaddikim. i. justi, quòd sibi arrogarent singularem justitiam. hi negabant resurrectionem mortuorum: negabant etiam esse spiritus. i. angelos & animas hominum à corporibus separabiles. Nec admittebant authoritatem Prophetarum, sed tantùm Mosis. Unde & Christus ex Mose errorem eorum de resurrectione refutat. De Essenis sive Essæis nihil habetur in sacris literis: veruntamen illorum mentionem facit Josephus. Sunt ita nominati ex verbo Hebræo עושים Osim. i. agentes: eò quòd in vita quadam austera ac vitæ Eremitarum simili se exercerent: quam Paulus ad Timotheum σωματικὴν γυμνασίαν. i. corporalem exercitationem nominat 1.Tim.4.v.8. Deinde ait Nicodemum fuisse ex primoribus Judæorum: quod etiam intelligitur ex narratione quæ habetur inf.c.7.50. ubi Nicodemus reliquis primoribus in Senatu contradicit.

2 *Hic venit*] Hic addit *circumstantiam temporis*, quo Nicodemus ad Christum venit: deinde *quibus verbis eum alloquutus sit*. Quòd nocte venit, argumento est eum metuisse odium sociorum. i. cæterorum Pharisæorũ, qui Christum oderant. Fieri etiam potest, ut eum puduerit interdiu coram multis arbitris erudiendũ se Christo præbere: quum ipse esset magister Israëlis.

Cæterùm

Cæterùm ſermo ejus, quo Chriſtum alloquitur, videtur recitari imperfectè, nihil enim continet præter inſinuationem, qua ſeſe in amicitiam Chriſti inſinuat, dum profitetur ſe illum agnoſcere pro vero ac divinitus miſſo magiſtro ſeu doctore. Probabile autem eſt eum ex hac ipſa ſententia petitionem deduxiſſe, qua à Chriſto petivit ut de cauſis vitæ æternæ, quæ quæſtio omnium maximè neceſſaria eſt, diſſereret. Porrò Chriſtum eſſe doctorem à Deo miſſum, fatetur ſe ex miraculis ab ipſo editis agnoſcere.

3 *Reſpondit*] Ex hac reſponſione Chriſti colligitur, verum eſſe quod dixi de ſermone Nicodemi imperfecto. quippe Chriſtus quæſtionem de cauſis vitæ æternæ rectà explicare incipit: admonens, ante omnia opus eſſe regeneratione: per hanc enim cor ad fidem præparatur atque etiam fide illuminatur. Ad quorum illud efficiendum Spiritus S. utitur prædicatione Legis: ad hoc autem prædicatione Euangelii. nam per prædicationem Legis deducit in agnitionem peccati & pravitatis innatæ; quæ agnitio facit ut homo de ſuis viribus deſperare, & alibi opem quærere cogatur. Corde igitur ita præparato ac veluti ſubacto, efficit Spiritus S. fidem per prædicationem Euangelii, hoc eſt, per promiſſionem remiſſionis peccatorum per & propter Chriſtum mediatorem. Regenerationis igitur verbo intelligitur mutatio naturæ hominis in meliorem ſtatum, nimirum illuminatio mentis & affectuum directio in obſequium Dei. *Videre* autem *regnum Dei* nihil aliud ſignificat, quàm frui vita æterna. Alii tamen hanc phraſin de ingreſſu in Eccleſiam interpretantur. Confer Matth. 8. 11.

4 *Dixit ei*] Nicodemus doctrinæ Domini contradicit, eamq; tanquam improbabilem atque adeò impoſſibilem arguit *argumento definitionis*. Si oportet hominem denuò gigni, oportet eum ſecundò introire in uterum matris, id eſt, oportet eum in utero matris rurſum concipi ac formari, & inde per partum exire ſeu naſci. At hoc fieri non poteſt. Ergo nec illud. Hîc prodit Nicodemus craſſam ſuam inſcitiam: ut qui in verbis Domini ac literali ſeu nativo eorum ſenſu hærens, ad mentem ſeu ſenſum verum non attendit. Decipitur ergo ex homonymia. nam quod Dominus dixit metaphoricè, id ille accepit tanquam dictum propriè.

5 *Reſpondit*] Chriſtus animadvertens qua cauſa Nicodemus in errorem eſſet inductus, cauſam illam removet interpretatione ſuorum verborum. Monet igitur ſe non loqui de generatione naturali, ſed ſpirituali; cujus nimirum author ſit Spiritus S. vim quandam aquæ exerens in animis hominum repurgandis ac vegetandis. Neque enim hoc loco nomen aquæ ad baptiſmum referendum videtur: quum certum ſit, baptiſmum non ita præcisè ad ſalutem neceſſarium eſſe, ut eſt neceſſaria regeneratio: cujus ille duntaxat teſtimonium eſt: unde & à Paulo lavacrum regenerationis nominatur. Tit. 3. 5. Etſi enim baptiſmi contemptu à ſalute arcemur, quum baptiſmus ſit ordinatio Dei: non tamen ipſa baptiſmi perceptione ſalutem conſequimur: quum non ſit inſtitutus niſi ad remiſſionem peccatorum ſanguine Chriſti partam, itemq; regenerationem ſpiritus teſtandam. Quòd ſi quis contendat, baptiſmum hîc nomine aquæ intelligi: tum verba Chriſti ſic erunt accipienda, ſicut illa in inſtitutione Baptiſmi, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur. ubi baptiſmus additur fidei non quòd parem rationem ac vim habeat, ſed quòd ad fidem teſtandam & confirmandam adhibeatur. Ita hîc Baptiſmus additur ſpiritui, quòd foris teſtetur id, quod ſpiritus intus peragit. Sed rectiùs videtur hæc verba Chriſti ſimiliter accipere ut illa Matth. 3. v. 11. Baptizabit vos Spiritu S. & igni. ubi efficacia ſpiritus

notatur. Confer infrá cap.7.vers.38.39.

6 *Quod genitum*] Hic Dominus doctrinam ſuam de neceſſitate regenerationis confirmat tali ſyllogiſmo:

Caro(id eſt homo, quatenus eſt carnalis ſeu peccato corruptus) non poteſt introire in regnum Dei.

Quod genitum eſt ex carne, eſt caro. Ergo quod genitum eſt ex carne, non poteſt introire in regnum Dei: & per conſequens ut quis poſſit introire in regnum Dei, opus eſt ut gignatur ex ſpiritu. Hic obſervandum eſt, vocabulum *Carnis*, itemque vocabulum *Spiritus* repeti à Domino ſignificatione diverſa. Nam quum ait, *Quod genitum eſt ex carne*, intelligit, quod genitum eſt ex carnalibus ſeu naturalibus parentibus: quum autem addit, *eſt caro:* intelligit eſſe corruptum peccato. Sic quum ait, *Quod genitum eſt ex ſpiritu*, intelligit, Quod genitum eſt ex Spiritu S. quum autem addit, *eſt ſpiritus*, intelligit, eſſe ſpirituale ſeu ſpiritu renovatum. Hanc dictionis figuram Rhetores ἀντανάκλασιν nominant: quæ Apoſtolo Paulo familiaris eſt. Potrò ſyllogiſmi propoſiti propoſitio in textu non eſt expreſſa: ſed facilè ex cohærentia ſententiarum ſuppletur. Eſt autem illius veritas manifeſta ex natura contrariorum, quæ ſimul conſiſtere in eodem ſubjecto non poſſunt. Quum igitur regnum Dei conjunctum ſit cum ſanctitate & juſtitia, homo autem carnalis peccato corruptus & injuſtus ſit: conſequens eſt, neminem quatenus carnalis eſt, regni Dei capacem eſſe. Huic propoſitioni prima fronte ſimilis videtur eſſe & eundem cum ea ſenſum habere illa ſententia Pauli, 1.Cor.15.v.50. Caro & ſanguis non poteſt regni Dei hæreditatem cõſequi. Sed diſſimilis eſt, diverſumque ſenſum habet. Paulus enim intelligit corpus noſtrum, quatenus animale eſt ſeu naturale: diſputat enim ibi de reſurrectione & glorificatione corporum. At hic nomine carnis intelligitur naturæ noſtræ corruptio. Aſſumtionis veritas patet ex natura cauſarum procreantium; nam ita à natura comparatum eſt, ut ſimile generet ſimile. hinc Adam dicitur genuiſſe Sethum ad ſimilitudinem ſui ſeu in imagine ſua. Gen. 5.v.3. hoc eſt, corruptum peccato, qualis ipſe jam erat.

7 *Ne mireris*] Hæc ſententia bifariam poteſt accipi: nimirum vel pro concluſione præcedentis argumentationis, quaſi dicat Dominus: Ne igitur mireris neve improbabile aut impoſſibile ducas, quòd oporteat hominem denuò gigni, ut poſſit introire in regnum Dei. Vel poteſt hęc ſententia accipi pro præfatione ſequentium, ubi docebit, regenerationem illam de qua dixit, humano captui incomprehenſibilem eſſe: quod tamen non ſit mirandum tanquam incredibile aut falſum: quum ne venti quidem (quæ res naturalis eſt) ratio omnis ab homine perfectè intelligatur.

8 *Ventus*] Hic noſtram regenerationem *ſimilitudine venti* declarat. Sunt autem hujus ſimilitudinis tres partes. 1. Ventus quò vult ſpirat, hoc eſt, liberè in quamvis partem fertur: ita Spiritus S. regenerat quem vult. Act.16.v.14. Deus aperuit cor Lydiæ ut attenderet ad ea quæ dicebantur à Paulo. Sic Matth 13.11. Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum: illis autem non eſt datum. Noſcuntur autem hæc myſteria non niſi per ſpiritum Dei. Vide Matth.16.v.17. item cap.11.v.27. 11. Sonum venti audimus, ejuſque flatum ſentimus: ita ſentimus afflatum Spiritus S. teſtimonium reddentis ſpiritui noſtro, quo ſimus filii Dei, & clamantis in nobis Abba Pater, ſeu interpellantis pro nobis gemitibus ineffabilibus, Rom.8.16. ibid.v.15. ibid. v.26. 111. Neſcimus unde veniat ventus & quò vadat: ſic non percipimus regenerationis & afflatus Spiritus ſancti modum.

9 *Reſpondit*

9 *Respondit Nicodemus*] Hic Nicodemus ampliùs prodit suam insciti am: ut qui ne explicationem quidem metaphorici dicti assequi potest: sed adhuc regenerationem hominis tanquam impossibilem admiratur.

10 *Respondit Jesus.*] Hic Christus crassam istam Nicodemi insciti am reprehendit: quod Nicodemus cum sit doctor populi Dei, ne ea quidem intelligat, quæ vel infimus idiota intelligere debeat, ex crebra nimirum auscultatione Mosis ac Prophetarum.quippe qui regenerationis illius per spiritum S.passim mentionem faciunt,ut Deut.30. Dominus circumcidet cor tuum.Jere.31.33. Indam legem meam menti eorum,& cordi eorum inscribam eam.Ezech.36.v.26.& 27.Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri:& amovens cor lapideum è carne vestra,indam vobis cor carneum:Et spiritum meum ponam in medio vestri.&c.

11 *Amen,amen*] Objurgata Nicodemi insciti a, nunc objurgat etiam ejus & maximæ partis Judæorum incredulitatem: ut qui certissimis testimoniis prophetarum,id est,servorum Dei,fidem derogent. Videtur autem potissimùm loqui de se & Johanne Baptista.

12 *Si terrena*]Pergit in objurganda insciti a Nicodemi, eámque amplificat *collatione imparium.*Comparat.n. inter se familiarem & à rerum terrenarum similitudine sumtam docendi rationem cum ratione illa sublimiore qua res cœlestes nudè proponuntur: & arguit,Judæos multo minùs creditu ros, si altera illa docendi ratione utatur.

13 *Nullus enim*]Hic docet, quisnam sit *vitæ æternæ author*, nempe ipsemet:quatenus est filius Dei manifestatus in carne. Utitur autem elegante antanaclasi in verbis *Ascendere* & *Descendere*:itemque elegante traductione seu polyptoto in nomine *cœli.Nullus*,inquit,*ascendit in cœlum*, h. e. nemo consequitur hereditatem illam cœlestem seu vitam æternam,*nisi qui descendit è cœlo*,h.e.nisi filius Dei qui assumendo naturam humanam quasi è cœlo in terram descendit,h. e. cœlesti gloria se quasi abdicavit.tum addit.*Nempe filius hominis qui est in cœlo.*quibus verbis suam deitatem innuit; neque. n. tum erat in cœlo, quatenus erat filius hominis, sed quatenus erat filius Dei. Dictum est igitur istud per tropum seu modum loquendi, quem veteres Ecclesiæ doctores κοινωνίαν ἰδιωμάτων, id est, communicationem proprietatum nominarunt : quæ nihil aliud est quàm modus loquendi synecdochicus,quo quæ propriæ sunt unius naturæ in Christo,tribuuntur toti personæ denominatæ à natura altera.

14 *Prout autem*] Deinceps exponit *formam seu modum agendi*, quo ipse tanquam mediator cœlum nobis aperuerit, ut unà cum ipso ascendamus. Hoc docet effectum esse per suam mortem in cruce:quam sententiam *illustrat & confirmat simili*,videlicet typo mortis suæ, serpente illo æneo quem Moses de palo suspendit in deserto,ut ejus aspectu sanarentur,qui á serpentibus lethaliter erant vulnerati.Sic enim quam simpliciss imé exponendum puto verbum ὑψωθῆναι, id est, exaltari, nempe in ligno crucis, sicut etiam accipitur in illo Domini dicto,Ego cúm exaltatus fuero,omnes(nempe electos)ad me traham.nempe quasi expansis in cruce manibus.inf.12.32. item c.8.v.28.Alii tamen hunc locum exponunt de Christi exaltatione per prædicationem Euangelii, qua nimirum ejus celsitudo credentibus innotescit. Sed nos alteram significationem tanquam simplicem & genuinam sequuti, sic explicamus hanc similitudinem.Christus comparatur serpenti illi æneo. primó quia ut serpens ille æneus habebat speciem serpentis, sed interim nullo veneno erat infectus:ita Christus forma servi accepta,similis homini-

bus peccatoribus factus est, sed absque peccato; imó inter sceleratos numeratus est, de cruce inter duos latrones suspensus. Marc. 15.28. Philip. 2.7. Hebr. 4.15. Deinde sicut Israëlitæ qui moti mandato ac promissione Dei, serpentem illum æneum de palo suspensum intuebantur, à morsu lethali serpentum convalescebant: ita omnes qui moti mandato ac promissione Dei, Christum in cruce suspensum, oculis fidei intuentur, convalescunt ac sanantur à vulnere lethali, quod antiquus ille serpens Diabolus eis per peccatum inflixerat. id est, à morte æterna liberantur, ut non pereant, sed habeant vitam æternam.

15 *Ut quisquis credit*] Hic indicat *instrumentum* quo Christum mediatorem amplecti licet. Illud est fides in eum, h. e. fiducia in eum tanquam mediatorem recumbens.

16 *Ita enim*] Hic exponit *causam procreantem vitæ æternæ principalem*, videlicet gratuitum amorem Dei erga nos, quo motus filium in mundum misit, eumque pro nobis in mortem dedit, ad nos servandum. Amplificat autem hunc Dei patris erga nos amorem *ex proprio Filii adjuncto*, quód is nimirum est Filius Dei unigenitus. Confer Rom. 8.32. Item *ex proprio adjuncto hominum*, qui scil. sunt peccatores ac proinde inimici Dei; hoc enim videtur notari appellatione *mundi*. Confer Rom. 5. v. 8. & 10. Vel potiús appellatione mundi significantur omnes populi per mundũ dispersi: ut intelligamus mediatorem missum esse non propter solos Judæos: Quum enim dixisset v. 15. Ut *quisquis credit*, &c. istud ipsum mox v. 16. declarat, inquiens, *Ita enim Deus dilexit mundum*, q. d. Quod dixi, *Quisquis credit in eum*: intellexi non de solis Judæis, sed de quibusvis populis. Quisquis credit: sive scilicet sit Judæus, sive Ethnicus. Confer 1. Joh. 2.2. Imperiti autem plané sunt & inepti, qui ex vocabulo *mundi* colligunt, Deum dilexisse singulos homines, ita ut propter ipsos filium suum miserit. quæ sententia cum plurimis scripturæ testimoniis pugnat; quæ testantur, non singulos homines à Deo patre in Filio dilectos esse, sed tantúm eos, quos ei pro suo beneplacito visum est ad vitam æternam eligere & filio donare. Vide infrà cap. 17. v. 6. 9. 11. 12. 20. 23. Item inf. c. 6. v. 37. 39.

17 *Non enim misit*] Finem seu scopum missionis sui à Patre, amplificat & illustrat *antithesi adversorum*, qua inter se opponit *servare* & *condemnare*.

18 *Qui credit*] *Condemnationis causam* exponit, videlicet incredulitatem seu contemptum Filii Dei: & hanc expositionem causæ illustrat *collatione pari contrariorum*. Sicut enim qui credit in Christum non condemnatur, sed servatur & vitam æternam habet: sic contrà pari ratione qui in Christum non credit, is condemnatur imó jam condemnatus est. Porró hanc condemnationem istorum esse justam, h. e. incredulos meritó à Deo condemnari, ostendit *ex objecti*, in quod credendum est, *dignitate*: quæ tanta est, ut meritó ad fidem movere atque impellere debeat: quód nimirum Christus in quem credendum est, est filius Dei unigenitus.

19 *Hæc est autem*] Sequitur ἐμμονὴ, *commoratio* in eadem re atque sententia, & ἐξεργασία *expolitio* causæ condemnationis: quam causam hîc facit odium lucis Euangelii, ejusque odii causam indicat, amorem innatarum tenebrarum, hoc est, innatæ cæcitatis seu ignorantiæ Dei & pravitatis. Quam sententiam vers. 20. illustrat *gnome*, id est *sententia generali* de consuetudine hypocritarum, qui lucem fugiunt: & hanc gnomen vers. 21. illustrat *gnome pari in contrariis*, de consuetudine hominum sincerorum, qui luce gaudent.

DE

DE ALTERA PARTE.

22 *Postea venit Jesus, & discipuli ejus in Judææ territorium: & illic degebat cum eis, & baptizabat.*

23 *Baptizabat autem etiam Johannes in Ænon prope Salim, quoniam aquæ multæ erant illic: & veniebant ac baptizabantur.*

24 *Nondum enim conjectus fuerat Johannes in carcerem.*

25 *Orta est igitur quæstio quibusdam ex discipulis Johannis cum Judæis de purgatione.*

26 *Venerúntque ad Johannem, & dixerunt ei, Rabbi, is qui tecum erat apud trajectum Jordanis, cui tu testimonium dedisti, ecce baptizat, & omnes veniunt ad eum.*

27 *Respondit Johannes & dixit, Homo non potest* sibi *sumere quicquam, nisi fuerit ei datum è cælo.*

28 *Vos ipsi mihi testes estis me dixisse, Non sum ego Christus, sed missus sum* qui apparerem *coram eo.*

29 *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. hoc ergo gaudium meum impletum est.*

30 *Illum oportet crescere, me verò minui.*

31 *Qui supernè venit, supra omnes est: qui è terra est, terrenus est, & terrena loquitur: qui è cælo venit, supra omnes est.*

32 *Et quod vidit & audivit, hoc testatur: sed testimonium ejus nemo recipit:*

33 *Qui recipit ejus testimonium, is obsignat quòd Deus verax sit.*

34 *Nam* is demum *quem misit Deus, verba Dei loquitur, non enim* huic *admetitur Deus spiritum.*

35 *Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manum.*

36 *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui verò non obtemperat Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Sequitur altera capitis pars, quæ continet *testimonium Johannis Baptistæ*, quod reddidit Christo apud discipulos suos. Ubi primùm narratur hujus testimonii *occasio*, videlicet querela discipulorum de baptismo Christi, usque ad v. 27. Deinde *ipsum testimonium*, á v. 27. usque ad finem capitis. Occasionis summa hæc est: Quum discipuli Johannis intellexissent, Jesum baptizare ac docere, & discipulos á Johanne ad Jesum transire: hanc rem apud præceptorem questi sunt, tanquam cum imminutione authoritatis illius conjunctam.

27 *Respondit*] Johannes querelam discipulorum refutat: ac reprehendit primùm, quód ægré ferebant Jesum emergere & summam doctoris authoritatem nanciscí. Hanc invidiam reprehendit hoc argumento, quód Deus illum ad docendum miserit: cujus voluntati meritó sit acquiescendum. Deinde reprehendit perversam istam æmulationem, qua tueri volebant authoritatem præceptoris, optantes ut ipse se pro Christo seu promisso Messia gereret. Hoc illorum studium reprehendit commemoratione suæ de seipso & de Jesu confessionis: qua dignitatem & officium Messiæ á se repudiarit, & Jesu attribuerit. Tum eminentiam Christi, *comparatione & antithesi* illustrat: ubi Christum sponso comparat, se autem amico sponsi seu paranympho: deinde Christum é cælo esse affirmat, se autem é terra. Præterea certitudinem doctrinæ Christi commendat: ibique de

incredulitate maximæ partis conqueritur, & contra fidem insigni elogio exornat, quód per illam veritas Dei obsignetur, nimirum promissio Euangelii, quæ fide accipitur. Postea Christum commendat ab immensa copia donorum Spiritus sancti quæ in illum á Patre sint collata, itemque á summa potestate in omnes res creatas, quam ei pater dederit. Postremó fidei fructum indicat, & contrá pœnam incredulitatis: ubi docet, Christum, cujus gratia fide percipitur, authorem esse vitæ æternæ: Contrá æternæ morti obnoxios manere, quicunque gratiam Christi in Euangelio oblatam incredulitate sua repellunt & contemnunt.

SCHOLIA IN CAP. III.

1 *Quidam* ἄνθρωπος. Heb. איש. pro τις. *Ex primoribus.* ἀρχῶν. Ad verb. Princeps. id est, unus ex princip. seu primoribus. neque enim penes ipsum solum summa potestas erat: sed complures erant οἱ ἄρχοντες. Vide infra c. 8. v. 48. & deinceps.

2 *Rabbi.* ῥαββί. Id est, magister seu doctor. Vox Hebræa est, orta à verbo quod significat multiplicari: ac notatur eo nomine copia seu magnitudo doctrinæ, multarumque rerum notitia. *Hæc signa edere.* ταῦτα τὰ σημεῖα ποιεῖν. Confer suprá cap. 2. v. 23.

3 *Amen, amen.* ἀμὴν, ἀμήν. id est, Certó, certó, Voces Hebraicæ sunt. *Nisi quis fuerit genitus denuó.* ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν. Nempe ex Spiritu: ut declaratur infrà vers. 5. hoc est, per operationem Spiritus sancti illustrantis mentem hominis salvifica cognitione Dei, & voluntatem flectentis in alacre obsequium mandatorum Dei. *Non potest videre regnum Dei.* οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Hoc ipsum infrá vers. 5. enuntiatur verbis paulo-diversis, nempe, Non potest introire in regnum Dei. οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Sententia est: Non potest fieri particeps beatæ immortalitatis seu cælestis illius felicitatis ut ea fruatur. Et *Videre* pro experiri ac frui, synecdoche membri Hebraica est.

5 *Ex aqua & Spiritu.* ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος. Id est, Ex Spiritu sancto exerente quasi vim aquæ. Figura loquendi quæ nominatur ἐνδιάδυο: quasi dicatur, Ex aqua quæ est Spiritus. Sic Matth. 3. vers. 11. Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igni: id est, Spiritu sancto qui est quasi ignis: dum scilicet cor illuminat cognitione Dei, accendit dilectione Dei, expurgat pravis affectibus. Ita hoc loco Spiritus sanctus comparatur aquæ (ut alibi passim in Scriptura) quatenus cor emundat, certiorando ipsum de peccatorum remissione per sanguinem Christi qui nos purgat ab omni peccato: tum etiam quatenus cor quasi rigat & fertile reddit bonorum operum tanquam suavissimorum Deóque gratissimorum fructuum. Si quis per aquam hoc loco malit intelligere sacrum Baptismum: tum duæ istæ regenerationis causæ sapienter erunt distinguendæ: ne quod proprium est Dei, tribuatur creaturæ. Etenim Spiritus sanctus regenerat ut causa principalis: utitur autem ad regenerandum tum Baptismo tanquam testimonio divino gratiæ Dei erga nos, tum inprimis prædicatione Euangelii, cujus appendix est Baptismus. Veruntamen quum sine hac aqua de qua hic loquitur Christus, nemo possit vitam æternam consequi, ut ex ipsis verbis liquet: sine Baptismo autem nonnulli vitam æternam adipisci possint: consequens est, Christum hic de Baptismo non loqui. Quod etiam ex eo colligitur: quód mox sermonem institutum continuans & ampliùs declarans,

declarans, ſolius Spiritus mentionem facit.

6 *Quod genitum eſt ex carne, caro eſt*, &c. τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι. &c. Elegans ἀντανάκλασις. nam nomen Carnis, ſicut & Spiritus, in duplici ſenſu accipitur: primum proprié, deinde metonymicé. Sententia videtur hæc eſſe: Homo quatenus ex carne parentum genitus eſt, carnalis eſt, ſapit ea quæ ſunt carnis ſeu corruptæ naturæ: quatenus autem genitus eſt à Spiritu ſancto, ſpiritualis eſt, ſapit ea quæ ſunt ſpiritus ſeu naturæ per Spiritum ſanctum renovatæ.

8 *Ventus*. τὸ πνεῦμα. Vox Græca, ſicut & Hebræa רוח ruach, & ventum & ſpiritum, hoc eſt, ſubſtantiam incorpoream ſignificat: qualis eſt Dei & Angelorum.

11 *Quod ſcimus*. ὃ οἴδαμεν. Scilicet, ego & Johannes Baptiſta. *Non recipitis*. οὐ λαμβάνετε. Scilicet vos Judæi, ſaltem quo ad maximam partem.

12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis*. εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε. Pro, εἰ τὰ ἐπίγεια εἰπόντι ὑμῖν, ὅμως ἐμοὶ οὐ πιστεύετε: id eſt, Si quum terrena dixerim vobis, tamen mihi non creditis. *Quomodo credetis?* πῶς πιστεύσετε. Id eſt, Multó minús credetis. Eſt igitur argumentũ á majori, ἀπὸ τοῦ μᾶλλον. nam etſi res terrenæ cæleſtibus minores, hoc eſt, minus præſtantes ſunt: tamen magis eſt probabile, credi diſſerenti de illis quàm diſſerenti de cæleſtibus: quippe quum res terrenæ nobis faciliores ſint intellectu. Quanquam Chriſtus hic non intelligit ipſam quæſtionem ſeu rem ſubjectam ſuæ diſputationis: quippe illa erat cæleſtis, videlicet regeneratio ſpiritualis: Sed intelligit argumentum quod ad quæſtionem illam declarandam adhibuerat, videlicet ſimilitudinem illam á vento ductam qua operationem Spiritus ſancti in homine regenerando voluit aliquo modo declarare. Sententia igitur iſtorum verborum eſt: Si non capitis meam doctrinam de rebus cæleſtibus, quando eam per ſimilitudines à rebus terrenis deſumtas declaro atque illuſtro: quanto minùs eam caperetis, ſi res cæleſtes nudè & quales ſuapte natura ſunt, proponerem.

13 *Nullus enim*. καὶ οὐδεὶς. Quaſi præceſſerit: Ego enim certè is ſum qui cæleſtia dicere vobis poſſim: Nemo enim, &c. Verti etiam poſſet: Et certè nemo aſcendit, &c. *Aſcendit in cœlum*. ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανόν. Id eſt, Penetravit acie ingenii in myſteria regni cœlorum. *Qui deſcendit è cœlo*. ὁ ἐν τῷ οὐρανῷ καταβάς. Id eſt, Qui aſſumta natura humana apparuit in terra: quum antea ut Deus putaretur tantùm eſſe in cœlo: quippe quod in Scriptura dicitur ſedes Dei. Eſt autem hic notanda pulcherrima ἀντανάκλασις in vocabulo *cœli* ad res diverſas ſignificandas adhibito.

Filius hominis. ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Id eſt, Ego ipſe qui ideò factus ſum filius hominis, ut myſteria illa regni cœlorum hominibus electis revelarem. Confer ſuprà caput 1. v. 18. Deum nemo vidit unquam, &c. & Matth. 11. v. 27. Nemo novit Filium niſi Pater: neque Patrem quiſquam novit niſi Filius, & cuicunque voluerit Filius revelare. *Qui eſt in cœlo*. ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. nempe quatenus ille filius hominis in una eadémque perſona eſt etiam Deus: Deus enim cœlum & terram replet. Dictum per ſynecdochen integri, quam veteres nominarunt κοινωνίαν ἰδιωμάτων: qua quod unius in Chriſto naturæ proprium eſt, tribuitur perſonæ ab altera natura denominatæ. Si quis contendat, Chriſtum tum fuiſſe in cœlo quatenus erat filius hominis ſeu ſecundum humanam naturam: is pari ratione dicere cogetur, Chriſtum è cœlo deſcendiſſe quatenus erat filius hominis ſeu ſecundum humanam naturam: id quod apertè falſum eſt. Etenim ſic

fuiſſet

fuiſſet homo antequam eſſet homo: quum certum ſit, eum eatenus dici de cælo deſcendiſſe, quatenus homo factus eſt.

14 *Exaltavit.* ὕψωσε. Id eſt, In altum ſeu in ſublime ſuſtulit, nempe ſuſpendens de palo. *Serpentem illum.* τὸν ὄφιν. nempe æneum illum ſerpentem, cujus nota eſt hiſtoria ex Moſe. *Exaltari.* ὑψωθῆναι. Nempe in lignum crucis, & ex eo ſuſpendi.

15 *Quiſquis credit in eum.* πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτόν. Id eſt, qui eo confidit tanquam ſuo ſervatore: quippe qui in cruce expiarit ſua peccata, guſtando pro ſe iram Dei adverſus illa. Notandum autem quòd dicit, πᾶς ὁ πιστεύων, omnis qui credit, quaſi dicat: ſive Judæus ſit, ſive Gentilis, ſicut mox ipſe exponit, inquiens: Ita Deus dilexit *mundum*, id eſt, omnes totius mundi electos, non autem ſolos electos ex Judæis. *Dederit.* ἔδωκεν. Id eſt, donaverit, nempe electis, in ſervatorem. Et ſic Chriſtus infrà cap. 4. verſ. 10. ſeſe vocat τὴν δωρεὰν τοῦ θεοῦ, donum illud Dei. Vel (quod eodem redit) *dederit*, ſcilicet in mortem: ut Rom. 8. ver. 32. Qui ne proprio quidem filio pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, qui non etiam cum eo omnia nobis donabit?

17 *In mundum.* εἰς τὸν κόσμον. Notanda ἀντανάκλασις in vocabulo *Mundi*: quod hic accipitur in ſignificatione propria ſeu nativa: at paulo-antè, itemque paulo-pòſt, per metonymiam ſubjecti, pro electis in mundo degentibus. *Condemnet.* κρίνῃ. Pro κατακρίνῃ. Synecdoche generis: item metonymia cauſæ, quatenus *Condemnare* (ut ex antitheſi percipitur) hic idem ſignificat quod Perdere. *Ut ſervetur mundus.* ἵνα σωθῇ ὁ κόσμος. Id eſt, electi in mundo. His enim ſolis datur ut credant: ſoli autem credentes ſervantur: ſicut Chriſtus ipſe mox declarat, inquiens: Qui credit in eum, non condemnatur, &c.

18 *In nomen unigeniti filij Dei.* εἰς τὸ ὄνομα τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Id eſt, In Filium Dei, qui ipſi innotuit per Euangelium.

19 *Hæc eſt autem condemnatio.* αὕτη δέ ἐστιν ἡ κρίσις. Id eſt, condemnationis cauſa. Sic Rom. 7. ver. 7. Lex peccatum eſt? Pro, Eſtne Lex peccati cauſa?

21 *Qui dat operam veritati.* ὁ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν. Id eſt, qui agit ſincerè & integrè. *Facta.* τὰ ἔργα. Et mox, Facta ſint, εἰργασμένα ὦσί. Paronomaſia. *Secundum Deum.* ἐν Θεῷ. Id eſt, ſecundum voluntatem Dei. Vel, *In Deo*: id eſt, in timore Dei.

22 *In Judææ territorium.* εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν. Nomen Ἰουδαίαν videtur hic poſitum adjectivè pro Ἰουδαϊκὴν: ſicut Homerus dicit: πατρίδα γαῖαν, pro πατρικήν. *Degebat.* διέτριβε. Tremellius apud Syrum, *Verſabatur.* Eraſmus, *Morabatur.* nam διατρίβειν, dicitur per ellipſin, pro διατρίβειν τὸν χρόνον, id eſt, terere tempus. *Baptizabat.* ἐβάπτιζε. Id eſt, per diſcipulos baptizari curabat: infrà cap. 4. v. 2.

23 *Aquæ multæ.* ὕδατα πολλά. Videntur ſignificari plures rivi, non autem unum flumen magnum. Et ſic ὕδωρ numero ſingulari fluvium Jordanem ſignificat, Matth. 3. 16. item alium quendam fluvium, Act. 8. 36. Niſi quis malit eſſe Hebraiſmum, מים רבים majim rabbim: pro ὕδωρ πολύ. Commemoratur autem hoc ad ſignificandum ritum Baptiſmi, quo Johannes utebatur, immergens ſcilicet totum corpus hominis in fluvio ſtantis. unde Chriſtus à Johanne in Jordane baptizatus, ex aqua aſcendiſſe dicitur, Matthæi 3. verſ. 16. Eundem modum Philippus obſervavit, Act. 8. verſ. 38.

Veniebant.

Veniebant. παρεγίνοντο. Nimirum Judæi. *Baptizabantur.* ἐβαπτίζοντο. Id eſt, baptizandos ſeſe ſiſtebant: ſignificatione reciproca Niphal Hebræorum.

25 *Quibuſdam.* Supplementum. Syrus ſupplevit לחד uni, id eſt cuidam. Et mox pro, *Cum Judæo,* עם יהודיא חד Cum Judæo uno, id eſt quodam.

26 *Veneruntque.* καὶ ἦλθον. Scilicet diſcipuli Johannis. *Ecce baptizat.* ἰδὲ οὗτος βαπτίζει. Pronomen οὗτος redundat per epanalepſin huic Euangeliſtæ familiarem. Sic ſuprà cap. 1. ver. 18. *Omnes veniunt ad eum.* πάντες ἔρχονται πρὸς αὐτόν. quaſi dicant: Nemo autem ampliùs venit ad te. Zelant pro magiſtro: metuentes ne brevi actum ſit de ejus authoritate.

27 *Homo non poteſt.* οὐ δύναται ἄνθρωπος. Id eſt, Non poteſt quiſquam. Eſt enim ſententia generalis ſeu univerſalis. *Sibi ſumere.* λαμβάνειν. Scilicet ἑαυτῷ: ut Hebr. 5. v. 4. Fruſtra enim ſibi ſumit honorem, cui is non eſt datus divinitus. *Quicquam.* οὐδὲν. Id eſt, ullum honorem: ut indicant ſequentia. In Græco eſt gemina negatio ex more. *E cœlo.* ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Id eſt, à Deo. Metonymia ſubjecti, nempe loci continentis. Non quòd Deus cœlo incluſus ſit: ſed quòd illic ſe maximè fruendum det electis ſuis. Sic Matth. 21. v. 25. Baptiſma Johannis unde erat, è cœlo, an ex hominibus?

28 *Sed miſſus ſum.* ἀλλ' ὅτι ἀπεσταλμένος εἰμί. In Græco mutatum eſt genus orationis, proſopopœia videlicet recta in obliquam: ut tota ſententia Græcè ſic ſonet, Teſtes eſtis, me dixiſſe, Non ſum ego Chriſtus: ſed me miſſum eſſe &c.

29 *Gaudio gaudet.* χαρᾷ χαίρει. Hebraiſ. Id eſt, Solidè gaudet: ut Terentius loquitur. Vel, Solido gaudio gaudet. Sic Luc. 2. verſu 9. ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν. & Matth. 1. v. 10. ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα.

31 *Supernè.* ἄνωθεν. ἐπὶ τῆς ἄνω τόπων, è locis ſupernis: id eſt (ut mox in fine verſus declaratur) ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Eſt autem hæc periphraſis Filij Dei, qui è cœlo veniſſe dicitur quum homo factus eſt, & in terra ſe oſtendit. *Qui è terra eſt.* ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς. Id eſt, qui ex hominibus tantùm oriundus eſt: qualis ſcilicet ego Johannes ſum, & qualem me eſſe agnoſco.

Terrenus eſt. ἐκ τῆς γῆς ἐστι. Ad verb. E' terra eſt. Antanaclaſis. nam iiſdem verbis primùm ſignificatur ſubſtantiæ origo, deinde ingenii affectio. Sententia eſt: Terrenus terrena ſapit. *Qui è cœlo venit.* ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος. Epanalepſis ad commodiùs connectendum ſequentia.

32 *Quod vidit &c.* Sic ſuprà v. 11. *Sed.* καὶ. Pro ἀλλὰ. Eſt enim antitheſis & enuntiatum diſcretum: quaſi dicatur, Etſi Jeſus teſtatur quæ vidit & audivit, tamen teſtimonium ejus nemo recipit. *Nemo.* οὐδεὶς. Id eſt, fere nemo. quia mox ſignificat, aliquos recipere.

33 *Qui recipit, is obſignat.* ὁ λαβὼν, ἐσφράγισεν. Enallage temporis. quanquam poteſt etiam ſimpliciter verti, Qui recepit, is obſignavit.

34 *Non admetitur Spiritum.* οὐκ ἐκ μέτρου δίδωσι τὸ πνεῦμα. Non ex menſura ſeu per menſuram dat Spiritum. Scilicet ſanctũ: id eſt, dona S. Sancti: ſed implet eum gratia, id eſt, effundit in eum omnes gratias Spiritus S. adeò ut nos ex plenitudine ipſius accipiamus. Vide ſuprà cap. 1. v. 14. & 16.

36 *Qui verò non obtemperat.* ὁ δὲ ἀπειθῶν. Id eſt, Qui non credit: ut percipitur ex antitheſi. Synecdoche generis. nam intelligitur hîc obedientia qua jubemur credere in Chriſtum. Sic Paulus vocat ὑπακοὴν πίστεως, obedientiam fidei, Rom. 1. v. 5. *Non videbit vitam.* οὐκ ὄψεται ζωήν. Id eſt, Non fruetur vita, Synecdoche membri Hebraica.

OBSER-

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. 3.

EX PRIMA PARTE.

I. Doctrina religionis Christianæ non est æstimanda ex auctoritate docentium: ut nimirum pro vero amplectamur quicquid hic vel ille doctor, auctoritate coram mundo præditus, tradiderit: quia tales contingit veritatis cælestis valde rudes esse: sicut exemplum Nicodemi hoc loco clarè ostendit. AEstimanda est autem doctrina cælestis ex testimoniis divinis per Prophetas & Apostolos & Christum ipsum patefactis.

II. Quum Christus in doctrina Euangelii proponenda interdum sermone tropico sit usus, ut ex hoc loco planum est: imperitè igitur & perversè agunt, qui clamant, eos à verbis Christi recedere in doctrina sacræ Cœnæ, qui genuinum illorum sensum ex consideratione tropi investigant.

III. De miseria hominis. Homo à natura prorsus corruptus est: ita ut nec rationem salutis intelligat, & pravis affectibus saluti suæ adversetur. Hoc ex eo intelligitur, quòd hominem (quemadmodum hoc loco Christus docet) iterũ gigni necesse est, ut regnũ Dei videre & in illud introire possit.

IV. Regeneratio, qua homo ad regnum Dei regeneratur, est opus Spiritus sancti afflantis hominis animum, v. 8. & vim quandam aquæ in eo exerentis, v. 5. Afflare autem hominis animum dicitur Spiritus sanctus, quum & mentem ejus illuminat cognitione gratiæ Dei per & propter Christum, & cor suaviter flectit ad assentiendum promissioni gratiæ, & in gratia promissa acquiescendum filiali fiducia. Vim verò aquæ in hominis animo exerit Spiritus S. quatenus ei persuadet, sanguine Christi, quatenus is in cruce effusus est, purgari ipsum ab omni peccato: ac præterea ex recta purgationis hujus consideratione ipsum movet ad serium studium expurgandi peccati reliquias per veram pœnitentiam.

V. Regeneratio pendet à libera Spiritus sancti voluntate. nam quemadmodum ventus quò vult, spirat, vers. 8. ita Spiritus sanctus quem vult, afflat: & quando vult, & quantum vult. Discamus igitur, regenerationem nostri, gratiæ Spiritus sancti acceptam ferre, ad gloriam ipsius.

VI. Regenerationis modus humano captui incomprehensibilis est: veruntamen regenerati vim ejus & effecta in se sentiunt, ex ver. 8. Et modus ille in se ipso incomprehensibilis, per similitudinem venti & aquæ vtcunque percipitur: hoc versu & quinto.

VII. Doctrina Christi & Johannis Baptistæ citra omnem hæsitationem firma fide recipienda est: quia est testimonium de rebus certò compertis, ex revelatione nimirum ipsius Dei, v. 11.

VIII. Rerum terrenarum similitudines adhibentur ad res cœlestes declarandum, ut melius intelligantur & eò facilius credantur. Qua in re agnoscenda est φιλανθρωπία Dei, ad nostrum captum sese accommodantis.

IX. Christus in una eademque persona simul Deus & homo est: quippe qui prope Nicodemum in terra positus corpore suo, simul tamen fuit in cœlo: id quod fieri nõ potuisset, nisi simul Deus esset. Sola enim deitas cœlum & terram replet. ex v. 13. Istq; hæc personalis duarum in Christo naturarum unio tam arcta, ut quod unius naturæ proprium est, id ipsi personę ab altera natura denominatæ attribuatur: sicut hic dicitur, *Filius hominis qui est*

est in cælo. Denominatur enim Christus filius hominis à natura humana, quam ex homine, videlicet virgine Maria, assumpsit. Erat autem tunc in cælo, non quatenus filius hominis. i. secundum naturam humanam: sed quatenus filius Dei, ac proinde secundum naturam divinam: secundum quam quovis tempore cœlum & terram replet. Secundum humanam autem naturam Christus nunc est in cœlo tantùm, & non etiam in terra: sicut tempore istius cum Nicodemo colloquii, secundum naturam humanam erat in terra tantùm, & non etiam in cælo. Sic infrà cap. 6. v. 62. Si igitur videatis filium hominis ascendere eò ubi erat priùs? nempe in cœlum ascendere suo corpore, ubi erat priùs sua deitate. Atque in his duobus exemplis proprietas quædam naturæ divinæ, nempe ubiquitas, tribuitur Christo denominato à natura humana: contrà eidem denominato à natura divina attribuuntur proprietates naturæ humanæ in sequentibus exemplis. Act. 20. v. 28. Deus proprio sanguine Ecclesiam acquisivit. 1. Cor. 2. v. 8. Dominum gloriæ crucifixerunt. 1. Johan. 1. v. 1. Sermo vitæ oculis Apostolorum conspectus, & manibus eorum contrectatus est.

x. De causis salutis. Causa agens principalis est Deus Pater, is enim filium suum unigenitum in mortem pro nobis dedit, ut sua morte nobis vitam æternam acquireret. Causa antecedens, τὸ προηγούμενον αἴτιον, est dilectio Dei Patris quâ dilexit mundum, id est, omnes totius mundi electos, tam ex Ethnicis quam ex Judæis. Ex hac enim dilectione misit Filium in mundum, ut sua morte electos ex potestate diaboli redimeret, & vitam æternam eis recuperaret. Causa ministrans est Filius Dei unigenitus in carne manifestatus, qui est servus Patris, sicut eum Pater ipse apud Jesaiam nominat, inquiens: Servus meus justus, cognitione sui justificabit multos. cap. 53. Is enim propter nos & nostram salutem de cœlo descendit, & homo factus est, & mortem pro nobis gustavit: atque ita judicio Dei pro nobis satisfecit, nos ex potestate diaboli redemit, iram Patris nobis placavit: gratiam & favorem ejus nobis conciliavit, justitiam & vitam æternam adduxit. Causa impulsiva, τὸ προηγούμενον αἴτιον, est meritum Filii. nam Filii pro nobis ex Patris mandato morientis obedientia, Patrem movet atque impellit ut peccata nobis remittat, atque ita pro justis nos habeat, in filios nos adoptet, vitámque æternam nobis donet. Instrumentum, quo tanquam manu Christum tanquam donum Patris cum suis beneficiis apprehendimus atque amplectimur, est fides seu fiducia in eo tanquam Servatore acquiescens. Fide enim assentimur promissioni gratiæ, ac proinde fiducia acquiescimus in gratia promissa & Christo mediatore qui gratiam Patris nobis conciliavit. Atque harum omnium causarum fit mentio, v. 16. His addendæ sunt ex aliis Scripturæ locis, causæ efficientes fidei: videlicet Spiritus sanctus & verbum Euangelii seu promissio gratiæ. nam per hujus prædicationem Spiritus sanctus fidem in cordibus electorum efficit & conservat: ut liquet ex his testimoniis. Matth. 16. v. 17. quum Petrus suam cæterorúmque Apostolorum de Christo fidem confessus esset, subjicit Christus: Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & sanguis hæc non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. scilicet revelavit. nempe per Spiritum sanctum. Johan. 6. v. 44. & 45. Nemo potest venire ad me (id est, credere in me: ex collatione v. 36. & 37. ejusdem capitis) nisi Pater qui misit me, traxerit eum. nempe per Spiritum sanctum ex nolente reddendo volentem. Et mox, Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me. Ephes. 2. v. 8. Gratia

estis

estis servati per fidem: idque non ex vobis, Dei donum est. Rom. 10. v. 17. Fides ex auditu est, id est, ex sermone Euangelii prædicato & audito. Johan. 6. v. 68. ait Petrus de sermone Euangelii paulo-antè à Christo apud Capernaitas prædicato: Domine, ad quem abibimus? verba vitæ æternæ habes. Roman. 1. v. 16. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. 1. Tim. 4. v. 16. Id si feceris (id est, si in doctrina fidei & cognoscenda & docenda perstiteris) & teipsum servabis, & eos qui te audierint.

XI. Condemnationis causa justissima est incredulitas: quia increduli contumelia afficiunt filium Dei, quasi vel non satis potens fuisset ad ipsos redimendum, vel sanguis ejus non satis fuisset pretiosus. hoc videtur innuere Christus, quum ait, *Quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei.* Deinde increduli ad lucem cælestis veritatis petulanter oculos claudunt, v. 19 & 20. Hinc fit, ut Euangelium sit eis odor mortis ad mortem: quod credentibus est odor vitæ ad vitam: sicut docet Paulus 2. Cor. 2. v. 15. 16.

EX SECUNDA PARTE.

I Vetus baptizandi ritus fuit, vt toto corpore in aquam immergerentur, & inde rursus extraherentur: quorum illud significabat mortificationem veteris hominis, istud vivificationem novi: ut intelligitur ex uerbis Pauli Roman. 6. v. 3. & 4. Veruntamen hunc ritum ne Apostoli quidem semper adhibuisse videntur. nam Act. 16. v. 33. à Paulo & Sila baptizatus fuisse legitur commentariensis ille seu custos carceris in urbe Philippis una cum domesticis suis: id quod non in aliquo flumine, sed domi illius factum videtur.

II. Cavendum ne præceptoribus nostris nimis addicti simus aut nimium tribuamus, quemadmodum hoc loco fecerunt discipuli Johannis, dum eum habent pro Christo, & interim Christo invident, quòd multi Johanne relicto ipsum sequerentur. quo nomine eos Johannes reprehendit.

III. Fidelis ministri Christi officium est, vt testetur de Jesu Mariæ virginis filio, quòd ipse sit Christus: ac proinde vt illi tanquam sponso Ecclesiam tanquam sponsam adducat: sicut hoc loco Johannes Baptista facit, Sic Paulus 2. Cor. 11. v. 2.

IV. Insigne est fidei encomium, quòd per eam obsignatur veritas Dei, ver. 33. Contrà igitur incredulitatis insigne dedecus est, quod per eam Deus mendacii arguitur.

V. Inter Christum & Credentes magnum discrimen est, quod ad dona spiritualia attinet. Christus. n. à Patre accepit immensam illorum donorum copiam: sicut hoc loco ait Johannes, Deum illi non admetiri seu (vt verba in Græco habent) non ex mensura, id est, secundum mensuram dare Spiritum. Et suprà capite primo, ver. 16. docuit, eum istis donis esse repletum: quippe quum ex plenitudine ipsius omnes credentes accipiant. Et sic in Psalmo dicitur unctus oleo lætitiæ (id est donis Spiritus sancti) præ consortibus suis, id est, præ credentibus. Item Esaiæ 11. dicitur: Requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini. Credentes autem accipiunt dona spiritualia secundùm mensuram donationis Christi: sicut testatur Paulus Ephes. 4. v. 7.

ANALYSIS CAP. IIII.

ARGUMENTUM.

Caput hoc in quatuor partes distingui potest. Prima est de reditu Domini in Galilæam, tribus primis versibus. Secunda, de colloquio ejus cum muliere Samaritana, à v. 4. vsque ad 43. Tertia, quomodo à Galilæis exceptus sit, v. 43. 44. & 45. Quarta, quomodo sanaverit filium cujusdam regii qui degebat in oppido Capernaum, à v. 46. usque ad fin. capitis. Ex his quatuor partibus secunda & quarta principales sunt: prima autem continet secundæ παρασκευὴν, itemque tertia quartæ.

DE PRIMA PARTE.

VT ergo cognouit Dominus Pharisæos audisse, ipsum plures discipulos facere & baptizare quàm Iohannem:

2 (Quanquam Iesus ipse non baptizabat, sed discipuli eius)

3 Reliquit Iudæam, & abiit rursum in Galilæam.

Quod ad reditum Domini in Galilæam attinet, Euangelista exponit illius *causam impulsivam*, nempe metum insidiarum à Pharisæis: ut qui ægrè ferrent, Dominum plures discipulos facere & baptizare quàm Johannem.

DE SECUNDA PARTE.

4 ¶ Oportebat autem eum transire per Samariam.

5 Venit ergo in urbem Samariæ quæ dicitur Sichar iuxta prædium quod dedit Iacob Josepho filio suo.

6 Erat autem ibi fons Iacob: Jesus ergo fatigatus ex itinere, ita sedit ad fontem. hora enim erat quasi sexta.

7 Venit mulier Samaritana vt hauriret aquam: dicit ei Iesus, Da mihi potum.

8 Nam discipuli eius abierant in vrbem vt cibos emerent.

9 Dicit igitur ei mulier illa Samaritana, Quomodo tu, Iudæus quum sis, potum à me poscis quæ sum mulier Samaritana? (non enim vtuntur Iudæi Samaritanis.)

10 Respondit Jesus & dixit ei, Si scires donum illud Dei, & quis sit ille qui dicit tibi, Da mihi potum: tu petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.

11 Dicit ei mulier, Domine, neque quo haurias habes, & puteus profundus est: vnde ergo habes aquam illam vivam?

12 Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis hunc puteum, ex quo ipse bibit, & filii eius, & eius pecora?

13 Respondit Iesus & dixit ei, Quisquis bibit ex aqua ista, sitiet rursus:

14 Quisquis autem biberit ex aqua illa quam ego ei dabo, non sitiet in æternum: sed aqua illa quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

15 Dicit mulier, Domine, da mihi aquam istam, vt non sitiam, neque veniam huc ad hauriendum.

16 Dicit ei Iesus, Vade, voca virum tuum, & veni huc.

17 Respondit mulier & dixit ei, Non habeo virum. Dicit ei Iesus, Bene dixisti, Non habeo virum.

18 Quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. hoc verè dixisti.

19 Dicit

19 *Dicit ei mulier, Domine, video te Prophetam esse.*

20 *Patres nostri in hoc monte adoraverunt: & vos dicitis Hierosolymis esse locum illum ubi oporteat adorare.*

21 *Dicit ei Iesus, Mulier, crede mihi, venit tempus, quando neque in monte hoc neque Hierosolymis adorabitis Patrem.*

22 *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est.*

23 *Sed venit tempus, & nunc est, quum veri adoratores adorabunt Patrem Spiritu ac veritate: etenim Pater tales quærit qui ipsum adorent.*

24 *Deus est Spiritus, & qui adorant eum, oportet ut Spiritu ac veritate adorent.*

25 *Dicit ei mulier, Scio Messiam venturum, qui dicitur Christus: quum venerit ille, nobis annunciabit omnia.*

26 *Dicit ei Iesus, Ego is sum qui loquor tibi.*

27 *Interea verò venerunt eius discipuli, & mirati sunt quòd cum muliere loqueretur: nemo tamen dixit, Quid quæris? aut, quid loqueris cum ea?*

28 *Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in urbem, dixitque eius loci hominibus:*

29 *Venite, videte hominem qui dixit mihi quæcunque feci: num iste est Christus?*

30 *Exierunt ergo ex urbe, & venerunt ad eum.*

31 *Interim autem rogabant eum discipuli, dicentes, Rabbi, comede.*

32 *Ille autem dixit eis, Ego cibum habeo quo vescar, quem vos nescitis.*

33 *Dicebant ergo discipuli alii ad alios, Num quis attulit ei quo vescatur?*

34 *Dicit eis Iesus, Esca mea est exequi voluntatem eius qui misit me, & perficere ipsius opus.*

35 *Nónne vos dicitis, Adhuc quadrimestre* spatium *superest, & messis aderit? Ecce dico vobis, attollite oculos vestros, & spectate regiones: nam albæ iam sunt ad messem.*

36 *Qui autem metit, mercedem accipit, & cogit fructum in vitam æternam: ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.*

37 *Nam in hoc dictum illud verum est, Alius est qui seminat, & alius qui metit.*

38 *Ego misi vos ad id metendum in quo vos non laborastis: alii laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.*

39 *Ex urbe autem illa multi Samaritanorum crediderunt in eum propter sermonem mulieris, testantis* ac dicentis, *Certè dixit mihi omnia quæ feci.*

40 *Quum ergo venissent ad eum Samaritani, rogarunt eum ut apud ipsos maneret: & mansit ibi biduum.*

41 *Ac multo plures crediderunt propter sermonem ipsius.*

42 *Et mulieri dicebant, Non amplius propter tuos sermones credimus: ipsi enim audiuimus: & scimus hunc esse verè Seruatorem illum mundi, Christum.*

In colloquio Christi cum Samaritide, primùm describitur illius occasio, videlicet transitus Christi per Samariam, & adventus ejus ad oppidum Sichar, sessioque ad fontem, v. 4. 5. & 6. Deinde describitur ipsum colloquium à vers. 7. usque ad 27. Tum quæ colloquium consequuta sunt, nempe primùm admiratio discipulorum super venientium, v. 27. deinde advocatio Samaritanorum per Samaritidem, v. 28. 29. 30. tum sermo allegoricus Christi cum discipulis de cibo suo & de messe discipulorum, à v. 31. usque ad 39. Postremò fides Samaritanorum, à v. 39. usque ad 43.

DE TERTIA PARTE.

43 *Duobus autem pòst diebus exiit inde, & abiit in Galilæam.*

44 *Ipse enim Jesus testatus fuerat, Prophetam in sua patria honorem non habere.*

45 *Quum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, quum omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in festo: nam & ipsi venerant ad festum.*

Sequitur tertia pars capitis, quomodo Christus à Galilæis exceptus sit, nempe reverenter, idque propter miracula quæ viderant Hierosolymis in festo. Simul etiam causa exponitur, cur Christus relicta Nazaretha, ubi fuerat educatus, reliquas Galilææ partes obierit: nempe quòd à Nazarethanis sperneretur, ut qui eum à puero apud sese familiariter versantem noverant.

DE QUARTA PARTE.

46 ¶ *Venit igitur Jesus rursum Cana* oppidum *Galilææ, ubi fecerat ex aqua vinum. Erat autem in Capernaum regius quidam, cujus filius ægrotabat.*

47 *Is quum audisset Jesum venisse ex Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & eum rogavit ut descenderet ac sanaret ipsius filium: erat enim moribundus.*

48 *Dixit ergo Jesus ei, Nisi signa & miracula videritis, non credetis.*

49 *Dicit ei regius ille, Domine, descende priusquam moriatur puerulus meus.*

50 *Dicit ei Jesus, Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixerat ei Jesus: & profectus est.*

51 *Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & annuntiaverunt, dicentes, Filius tuus vivit.*

52 *Percontatus est ergo ab eis horam qua melius habuerat: & dixerunt ei, Heri* circiter *horam septimam dimisit eum febris.*

53 *Agnovit ergo pater* id factum esse *illa ipsa hora qua dixerat ei Jesus, Filius tuus vivit: & credidit ipse ac domus ejus tota.*

54 *Hoc rursus,* id est, *secundum signum edidit Jesus, quum venisset ex Judæa in Galilæam.*

Sequitur quarta capitis pars: quomodo Christus sanaverit filium regii cujusdam qui degebat in oppido Capernaumo. Illum igitur jam moribundum sanavit rogatu patris: sed quomodo? Absens corpore, sola verbi testificatione: cui regius ille credidit. Priùs tamen & illum & totam gentem Judaicam objurgavit, quòd miraculorum nimis cupidi essent, interim scilicet doctrinam ejus negligentes ac spernentes.

SCHOLIA IN CAP. IIII.

1 *Ipsum.* ὅτι Ιησοῦς. Antecedens repetitur more Hebræorum.

5 *Sichar.* Σιχάρ. Aliâs Sichem.

6 *Fons Jacob.* πηγὴ τοῦ Ιακώβ. Id est, Quem Jacob foderat: vel saltem quo usus fuerat cum familia: ut declaratur infrà v. 12. *Ad fontem.* ἐπὶ τῇ πηγῇ. Supra fontem illum. *Quasi.* ὡσεί. Id est, Circiter. *Sexta hora.* Id est, Erat circa meridiem, quo tempore æstus solis intensissimus est. nam Judæi diem unumquenque distribuebant in duodecim horas æquales.

7 *Venit.* ἔρχεται. Modus narrandi huic Evangelistæ familiaris, per verba

ſcilicet temporis præſentis. *Samaritana.* ἐκ τῆς Σαμαρείας. Subaudi, ἔσα. E Samaria, ſcilicet oriunda. Sicut ſuprà cap. 1. v. 45. ἦν δὲ ὁ Φίλιππος ἀπὸ Βηθσαϊδά, Erat verò Philippus ex Bethſaida. Non igitur pendet hoc loco præpoſitio ἐκ à verbo ἔρχεται. quippe vênit iſta mulier non ex ipſa urbe Samaria, ſed ex oppido Sichar: ut percipitur ex v. 5.

8 *Nam diſcipuli.* οἱ γὰρ μαθηταί, &c. Exponit Euangeliſta rationem, cur Jeſus ipſe potum à muliere petiverit, ac non potiùs per aliquem è diſcipulis. Niſi malimus rationem exponi ſimpliciter cur petierit potum: nempe ut haberet cum diſcipulis quod biberet inter prandendum: quum emtionis ciborum mentio fiat.

9 *Non enim.* οὐ γὰρ, &c. Videntur hæc eſſe Euangeliſtæ verba potiùs quàm mulieris Samaritanæ. Superfluum enim erat, illam Jeſum ea de re admonere quæ omnibus nota erat. At ſuperfluum non erat, ut Euangeliſta lectori rationem ejus dicti & ratiocinationis qua uſa fuit mulier Samaritana, exponeret. Quum igitur commemoraſſet enthymema mulieris, Tu Judæus es, Non igitur debebas potum poſtulare à muliere Samaritana: rationem conſequentiæ exponit, addens illius enthymematis propoſitionem.

10 *Et quis ſit, &c.* καὶ τίς ἐστιν. Hæc præcedentibus annectuntur per ἐπεξήγησιν: unde percipitur, Chriſtum ſeipſum intellexiſſe per donum illud Dei. Eſt enim nobis donatus à Patre in Servatorem. Sic Rom. 8. v. 32. Qui non etiam cum eo (nempe Filio) omnia nobis donabit? *Aquam vivam.* ὕδατι ζῶντι. Fateor quidem, hujus aquæ effectum eſſe vitam æternam: hoc enim Chriſtus ipſe expreſsè affirmat infrà 2. 14. Veruntamen non puto hinc appellatam vivam, quaſi vitæ effectricem, μετωνυμικῶς: ſed tantùm μεταφορικῶς ſic dictam, ex conſuetudine Hebræorum, pro *perennem & perpetuo ſcaturientem.* Eſt autem gemina metaphora: prima quòd Spiritus ſanctus vocatur aqua: deinde quòd nominatur aqua viva pro perpetuo ſcaturiente: ut Geneſis 26. verſ. 19. Interim non nego, per iſtam metaphoram effectum illum ſimul notari ex conſequenti. Nam ſicut aqua viva ſeu ex fonte ſcaturiens ſitim extinguit atque ita cor recreat: ſic Spiritus S. extinguit ſitim ſpiritualem & recreat mentem ſeu vivificat, replens animum gaudio ſpirituali. Eſſe autem aquæ vitæ nomine intelligendum Spiritum S. declarat Euangeliſta ipſe infrà cap. 7. v. 38. & 39.

11 *Neque quo haurias &c.* Proponitur hîc rurſus imago ſtuporis humani in intelligenda doctrina cœleſti: quale exemplum fuit Nicodemi ſup. ca. 3.

12 *Patre noſtro &c.* Sic ſemper hypocritæ de majoribus ſuis gloriati ſunt, & inde religionem ſuam defendere conati. quamvis iſta falsò de Jacobo gloriatur: ut à quo originem Samaritani non ducebant. Sicut Turcæ Agareni ſe Sarracenos nominant & venditant: tanquam è Sara ortos, non autem ex Agar.

14 *In æternum.* εἰς τὸν αἰῶνα. Id eſt, unquam. Sic Marc. 3. v. 29. *Fons aquæ ſalientis &c.* Similis ſententia eſt infrà cap. 7. v. 38.

20 *Patres noſtri &c.* Talis gloriatio erat paulo-antè v. 12. Patres, id eſt, majores.

22 *Vos.* ὑμεῖς. Samaritani. *Nos.* ἡμεῖς. Judæi.

23 *Spiritu et.* ἐν πνεύματι. Id eſt, animo: non ſolùm ore. *Spiritu ac veritate.* ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ. Id eſt, Vero ſpiritu: ſeu vero animi affectu: non autem hypocritica obſervatione ceremoniarum. ἐνδιαθέτῳ.

24 *Deus eſt ſpiritus.* πνεῦμα ὁ θεός. In Græco voces trajectæ ſunt: ſed partem enuntiati antecedentem quam ſubjectũ vocant, oſtendit articulus.

Simile

Simile exemplum vide ſuprà cap. 1. verſ. 1. *Spiritus.* πνεῦμα. Id eſt, mens quædam.

25 *Omnia.* πάντα, ſcilicet ad cultum Dei & ſalutem animarum noſtrarum pertinentia.

27 *Interea vero.* καὶ ἐπὶ τούτῳ. vel potiùs, *Et huic verbo ſupervenerunt.* ut ad τούτῳ ſuppleatur λόγῳ: & referatur ad illud dictum, Ego ſum. *Quod cum cum muliere loqueretur.* ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει. Nempe quæ eſſet Samaritana. Nonenim utebantur Judæi Samaritanis: ſuprà v. 9.

31 *Interim autem.* ἐν δὲ τῷ μεταξύ. Supple χρόνῳ.

32 *Ego cibum habeo.* ἐγὼ βρῶσιν ἔχω. Hoc quid ſit, declarat ipſe v. 34. & deinceps.

34 *Eſca mea eſt.* ἐμὸν βρῶμά ἐστιν, Id eſt, Me ſummè oblectat inſtar ſuaviſſimæ eſcæ. *Voluntatem.* τὸ θέλημα. Id eſt, id quod vult Pater, quodque mihi mandavit. *Ipſius opus.* αὐτοῦ τὸ ἔργον. Id eſt, ab ipſo mihi mandatum. nempe ut prædicem Euangelium Samaritanis jamjam ex urbe huc venturis. Meditabatur igitur orationem ad illos habendam.

35 *Spectate regiones.* θεάσασθε τὰς χώρας. Vel agros, id eſt, fruges in agris. Sed intelligit Samaritanos jam magno numero adventantes per campum. Eſt igitur allegoria. *Albæ jam ſunt ad meſſem.* Id eſt, Tempeſtivum jam & opportunum eſt, Euangelium prædicare Samaritanis, atque ita eos quaſi metere in horreum Dei, hoc eſt Eccleſiam, ex hujus mundi agro.

36 *Qui autem metit, &c.* Id eſt, Qui Euangelium prædicat iis qui jam in genere aliquid de Chriſti adventu audierunt. *Qui ſeminat.* Videtur intelligere Prophetas ſuperioris ætatis: qui promiſſiones de Chriſti adventu annuntiarunt, atque ita quaſi ſemina doctrinæ Euangelii jecerunt.

37 *In hoc.* ἐν τούτῳ. In hac re, in hoc negotio.

38 *Alii.* Nimirum Prophetæ.

40 *Maneret.* Nempe ad tempus: ut percipitur ex eo quod ſtatim ſequitur. nam ſatisfaciens eorum petitioni, manſit biduum. Similiter hoſpitium offerebat Paulo & Barnabæ mulier illa Lydia. Act. 16. v. 14. & 15.

41 *Propter ſermonem ipſius.* διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ. Quum ipſum audiſſent prædicantem Euangelium.

43 *Duobus autem poſt diebus.* μετὰ δὲ τὰς δύο ἡμέρας. Vel, Poſt illud biduum autem: cujus ſcilicet facta mentio v. 40. Articuli vis eſt ἀναφορική. *In Galilæam.* Videlicet Canam oppidum Galilææ: ut colligitur ex collatione verſu 46.

46 *Regius.* βασιλικός. Regis Herodis miniſter.

48 *Et miracula.* καὶ τέρατα. Hoc nomen præcedenti adjectum videtur per epexegeſin.

50 *Vivit.* ζῇ. Id eſt, Convaluit ex morbo. Sic verſu ſequente.

53 *Domus.* ἡ οἰκία. Id eſt, domeſtici ſeu familia: Metonymia ſubjecti.

54 *Rurſus*, id eſt, ſecundum. πάλιν δεύτερον. Adverbium πάλιν redundat.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. 4.

EX PRIMA PARTE.

Hoc exemplo fugæ Domini docemur, in officio faciendo hunc modum ſervandum eſſe, ut neque metu terreamur quin pergamus, neque in accer-

ſendis periculis ſimus præcipites. Quippe Dominus non definit Euangelium prædicare, quum ſentit ea re infeſtos ſibi reddi Phariſæos : & tamen furori eorum cedit & inſidias declinat fuga. Quod ipſum etiam aliàs, ut Matth.4.12.& 14.13. fecit, donec tempus adveniſſet quo ab illis erat capiendus & gentibus ad mortem tradendus: tunc enim ipſe obviam eis ivit,ut caperetur. Porrò quod hic Dominus fecit,id ipſum diſcipulis quoque præcepit: Si vos perſecuti fuerint in una civitate,inquit,fugite in aliam,Matth. 10.23. Sic Paulus fuga ſe ſubduxit Damaſco,Act.9.25.

DOCTRINAE EX SECUNDA parte.

I. Ex v.6.& 7. Chriſtum dum in terris verſaretur,infirmitatibus naturæ noſtræ ſubjectum fuiſſe : quippe qui fuit fatigatus & ſitivit. Ubi notandum, infirmitates illas in Chriſto fuiſſe ſine peccato: teſte Paulo Hebr.4.ver.15. Cauſa autem ejus nobiſcum conformitatis fuit,ut eſſet miſericors & fidelis Pontifex ad expiandum noſtra peccata, & ut ex ſympathia nobis ſuccurreret.ibid.& cap.2.v.17.& 18.

II. Ex v.11.12.15.20. E Samaritidis exemplo diſcimus,hominem nondum Spiritu Dei renatum non percipere ea quæ dicuntur de regno Dei & vita æterna,item ſecurè de religione & cultu Dei philoſophari, nec interim de ſceleribus ſuis ſollicitum eſſe. Vide 1.Cor.2.v.14.

III. Ex v.28.& 29. Ex ejuſdem exemplo, nempe ex converſione illius, diſcimus, Deum ex mera miſericordia nobis remittere peccata, & dare Spiritum ſanctum qui in nobis efficit fidem & ſeriam reſipiſcentiam.

V. Ex v.29. Imitandum ejuſdem exemplum in proximis ad Chriſtum adducendis. Vide Eſai.2.v.12.& 13.

VI. Ex v.10. Chriſtum nobis intuendum eſſe ut donum Dei: quippe quem nobis donavit Deus, ut eſſet noſter Mediator ac Salvator. Confer Rom.8.32. Item inf.c.6.v.32.& 33.

VII. Ex v.10. Spiritum ſanctum eſſe inſtar aquæ vivæ, quæ bibentem recreat & vivificat. Unde intelligitur, hominem naturâ aridum eſſe & omni ſucco vitali deſtitutum.

VIII. Ex v.12.& 20. Non eſſe gloriandum in majoribus,quaſi ideo Deo accepti ſimus, quia ſanctos majores habuimus. Gloriandum eſt autem in ſolo Deo, nimirum in gratuito ejus erga nos favore, quem nobis per Euangelii promiſſionem declaravit.1.Cor.1.v.ult.

IX. Ex v. 14. Spiritum ſanctum ita ſedare ſpiritualem hominis ſitim, ut eundem vivificet, & perpetuò in eo ſcaturiat ad vitam æternam. Hoc autem facit, dum mentem hominis magis magisque illuminat cognitione gratiæ Dei propter Filium,eandemque gratiam ei guſtandam præbet.Rom. 5.verſ.5.

X. Ex v.21.22.23.24. In religione non ſtatim eſſe rectum quod fecerunt Patres ſeu majores: nec eam conſiſtere in rebus externis,niſi quatenus illę ita obſervantur,ut à Deo præceptæ ſunt, hoc eſt,ut ſerviant exercendo ſpiritui in fide ac timore Dei. Verus enim Dei cultus ſpiritualis eſt.

XI. Quum Deus ſit ſpiritus,id eſt,eſſentia incorporea:non poteſt igitur figura aliqua repræſentari : ac proinde figuræ quibus Deus repræſentatur, mendaces ſunt : atque etiam majeſtatem Dei quæ immenſa eſt, quantum in ipſis eſt,minuunt ; quippe quam in anguſtias lineamentorum cogunt. Vide Rom.1.23.

XII. Ex

XII. Ex vers. 32.34. Regni Dei amplificandi occasionem ita avidè arripiendam esse, ut interim corporis curam negligamus: nec quicquam nobis dulcius aut suavius esse debere, quàm occasione oblata alios ad cognitionem Dei adducere.

XIII. Ex v.35. Animos hominum multò attentiores esse ad res terrenas quàm cœlestes: quippe qui desiderio messis sic æstuant, ut anxiè supputent menses ac dies: quum interea in colligendo tritico cælesti, hoc est, in proximis ad vitam æternam adducendis mirè torpeant. Huic vitio opponendum est dictum Domini, Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus: tum cætera adjicientur vobis, Matth.6.33.

XIV. Ex v.36. Duo hæc verbi ministris ingentes animos addere debent, ne unquam sub labore fathiscant: nempe corona gloriæ, quam sibi instar mercedis aut præmii in cœlo repositam esse audiunt, & gloria Dei cum salute hominum conjuncta, quæ instar fructus ex prædicatione Euangelii enascitur. Horum argumentorum priore sese consolatur Paulus, 2.Tim. 4.v.7.& 8.ubi ait: Certamen illud præclarum decertavi, cursum consummavi, fidem servavi: Quod superest, reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, justus ille judex: non solùm autem mihi, sed & omnibus qui expetiverint illustrem illum ipsius adventum. Huc etiam pertinet insignis illa promissio apud Danielem c.12.v.3. Qui erudiunt alios, splendebunt quasi splendore expansi: & qui ad justitiam adducunt multos, ut stellæ in sempiterna secula erunt. Ad alterum argumentum confirmandum pertinet promissio illa Christi inf. 15.v.16. ubi Apostolis ait, Ego elegi vos ut eatis & fructum feratis, & fructus vester maneat.

XV. Ex v.36. Quòd vita æterna in ista promissione quæ continetur v.36. comparatur mercedi: hinc non est colligendum, eos quibus illa datur, operibus suis illam esse meritos. Neq; enim in alium finem merces appellatur, quàm ut electi spe illius ad diligentiam in officio excitentur, intelligentes nimirum se laborum suorum mercedem amplissimam accepturos. Interim tenendum est, hanc mercedem esse gratuitam, hoc est, dari non ex merito, sed ex gratia. Nos.n. officiis nostris vitam æternam à Deo non mereri apertè docet Christus, quum ait ad Apostolos Luc.17.v.10. Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus. Idipsum intelligitur quoq; his duob. argumentis: primùm quòd quatenus opera nostra remuneratur Deus, eatenus non nostra sunt, sed ipsius Dei per spiritum ipsius in nobis ac per nos effecta. quippe ex nobis, tanquam ex nobis, ne ad cogitandũ quidem quicquam boni idonei sumus. Deinde quòd opera nostra quãtumvis bona & in Deo facta, tamen mutila sunt & pravis affectib. contaminata. quis.n. est qui gloriari possit, se in ullo suo opere dilexisse Deum ex toto suo corde, ex tota anima, ex tota cogitatione & omnib. suis viribus? unde vulgò dici solet, Justum peccare in omni opere bono. Jam vita æterna non datur propter opera, nisi illa sint perfecta & ad legem Dei congruant. Scriptum est.n. Qui fecerit hæc (nempe ita ut Deus fieri præcipit, ex toto sc. corde) vivet per ea. Tantum igitur abest ut bonis nostris operib. merces vitæ æternæ debeatur, ut potiùs gratia Dei egeant, qua non imputetur eis imperfectio & admixta vitiositas, sed tegatur obedientia mortis Christi.

XVI. Ex v.38. Notandum est discrimen inter doctrinam Prophetarum & Apostolorum. Nam etsi utrique eandem salutis æternæ rationem per Christum docuerunt: tamen Prophetæ spem tantùm fecerunt de Christo venturo, atque ita quasi eminus eum ostenderunt: at Apostoli Christum

jam adveniſſe & opus ſalutis noſtræ perfeciſſe teſtati ſunt. Unde Prophetarum doctrina ſationi: Apoſtolorum verò meſſi comparatur. nam ſatione peracta ſemen erumpens, ſpem meſſis facit: at quum jam meſſis tempus eſt ſegentem maturuiſſe oportet, ut demeſſa in horreum colligatur. Nec verò putandum eſt, pios tempore Prophetarum non fuiſſe & ipſos per illorum doctrinam in horreum Dei, id eſt regnum Dei ſeu Eccleſiā collectos: vidit enim Abraham diem Chriſti & gaviſus eſt: ſed quòd Prophetarum doctrina ſationi comparatur, fit tantùm reſpectu doctrinæ Apoſtolorum tanquā plenioris & clarioris. Talis comparatio extat etiam Gal. 4. ubi Paulus tempus Legis pueritiæ: Euangelii verò virili ætati comparat. nam Legis ceremoniis fuerunt adumbrata ea, quæ in Chriſto tanquam corpore ipſo ſunt exhibita, Coloſ. 2. 17.

XVII. Ex v. 39. Quum Spiritus S. docilitatem Samaritanorum honorifica fidei appellatione dignetur: hinc colligemus, quanti Deus verbi ſui reverentiam faciat. Quare operam demus, ut nos verbo Dei ſemper dociles præbeamus.

XVIII. Ex v. 41. Quòd multi Samaritanorum crediderint, per ſermonem Chriſti, argumento eſt, Euangelium apud homines dociles ac diſcendæ veritatis cupidos, fruſtra annunciari non ſolere, ſed copioſum fructum ferre. Unde ſequitur, nunquam nobis ceſſandum eſſe, quoties docendi occaſio datur: ſi modò regnum Dei, ut debemus, propagare volumus.

XIX. Ex v. 42. Fidem niti verbo Dei, ac proinde conjunctam eſſe cum certa & immota ſcientia, quæ acquieſcit in veritate Dei.

XX. Ex eod. v. Quòd Chriſtus dicitur Servator mundi, non eſt intelligendum de ſingulis in mundo hominibus, ſed de totius mundi omniúmq; populorum credentibus. Opponitur enim hoc errori Judæorum, qui putabant, Chriſtum ad ſe ſolos, non etiam ad reliquas gentes, pertinere. Hinc Petrus Act. 10. fide Cornelii Ethnici intellecta, prorumpit in hæc verba, v. 34. 35. 36. In veritate comperio, Deum non accipere perſonam: ſed in quavis gente acceptum ei eſſe quemvis qui eum timeat & operetur juſtitiam: id quod ſignificavit filiis Iſraël, annuncians pacem per Jeſum Chriſtum: qui eſt omnium Dominus. Sic quoq; intelligendum eſt illud Johannis, 1. Epi. c. 2. v. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nec pro noſtris ſolum, ſed etiam pro totius mundi peccatis. In his ergo dictis nomen *mundi*, credentes per mundum diſperſos notat. At alibi hoc nomine ſignificantur reprobi & increduli: quorum ſervator certè Chriſtus non eſt. ut inf. 17. v. 9. Non pro mundo rogo: ſed pro iis quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Sic v. 14. Mundus eos odio habuit: quia non ſunt ex mundo: prout & ego non ſum ex mundo &c.

DOCTRINAE EX TERTIA PARTE.

1. Ex iſto miraculo Chriſti, ſicut & ex aliis ejuſdem miraculis, perſpicimus divinam ejus potentiam: quippe qua febricitantem ſanavit corpore abſens, abſque ullo remedio, ſola voluntate verbo teſtata. Atq; hinc ulteriùs diſcimus, ipſum eſſe promiſſum illum Meſſiam. nam de Meſſia per Prophetas prædictum erat, eum miraculosè omnis generis morbos ſanaturum. Vide Matt. 8. v. 16. & 17. Vide etiam Eſa. 35. v. 5. & 6.

11. Exemplo iſtius aulici ad cognitionem & fidem Chriſti efficaciter vocati, admonemur, Deum ſuos electos in quovis hominum ordine habere, atque adeò etiam inter aulicos, hominum genus vanitati mundi præcipuè addictum,

addictum. Simile est exemplum Cornelii hominis militaris, Act. 10. Quo loco notandum est dictum Pauli. 1. Cor. 1. v. 26. Videtis vocationem vestram, fratres: vos scilicet non esse multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles: Verum quæ stulta sunt in mundo elegit Deus, &c.

III. Doctrinæ cælesti credendum esse, etiamsi miraculis non fuerit confirmata. Quanto magis doctrinæ Euangelii credendum est: quum jam plurimis maximisque miraculis per ipsum Christum & Apostolos confirmata sit? Iniquè ergo agunt Papistæ, quum ab Euangelii doctoribus miracula flagitant.

IV. Ex v. 49. Quum preces nostræ videntur à Deo repudiari, instandum nihilominus esse tamdiu donec ejus opem sentiamus. Sic regius iste objurgationem Domini æquo animo ferens, opem Christi in sanando filio implorare pergit, donec eam impetrat. Similiter fecit mulier illa Cananæa, Matt. 15. v. 22. & deinceps.

V. Ex v. 53. Patrisfamiliâs officium esse, operam dare, ut omnes suos domesticos ad cognitionem Christi adducat, adductósve in ea retineat & confirmet. Hoc haud dubiè fecit iste aulicus, hoc idem fecit ille cõmentariensis, Act. 16. 33. quippe qui edoctus de Christo, baptizatus est non solùm ipse, sed etiam omnes domestici ejus. Sic Luc. 19. 9. quum ad fidem Christi perveniisset Zacchæus, dixit Christus: Hodie salus domui huic contigit. quib. verbis significat, Zacchæum domesticos suos in eâdem fide educaturum. Hanc laudem tribuit quoque dominus Abrahamo Gen. 18. v. 19. inquiens. Scio enim quòd præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini &c.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Duas in partes distingui potest. Prior continet miraculum sanati á Christo cujusdam qui triginta octo annos decubuerat, usq; ad v. 17. Altera pars continet apologiam Christi, id est, sermonem ad Judæos, qua factum illud suum defendens (nam sanaverat illum in Sabbato) & authoritatem suam plenissimè asserit, & Judæorum incredulitatem reprehendit.

DE PRIMA PARTE.

POst hæc erat festum Judæorum, & ascendit Jesus Hierosolymam.

2 *Est autem Hierosolymis ad* portam *pecuariam, piscina quæ nominatur Hebraicè Beth-esda, quinque porticus habens.*

3 *In his jacebat multitudo magna ægrotorum, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.*

4 *Angelus enim descendebat certo momento in piscinam, & turbabat aquam: itaque qui primus ingressus erat post aquæ turbationem, sanus fiebat à quocunque detineretur morbo.*

5 *Erat autem quidam illic tricesimum octavum annum agens in morbo.*

6 *Hunc quum vidisset Jesus jacentem, & cognovisset eum jam multum temporis egisse* in morbo, *dicit ei, Cupis sanus fieri?*

7 *Respondit ei ægrotus ille, Domine, non habeo quenquam, qui, quum turbata fuerit aqua, immittat me in piscinam: sed interim dum ego venio, alius ante me descendit.*

8 *Dicit ei Jesus, Surge, attolle grabatum tuum, & ambula.*

9 *Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. erat autem Sabbatum die illo.*

10 *Judæi ergo dicebant ei qui curatus fuerat, Sabbatum est, non licet tibi attollere grabatum.*

11 *Respondit eis, Qui me sanum fecit, is mihi dixit, Attolle grabatum tuum, & ambula.*

12 *Interrogaverunt eum ergo, Quis ille est qui dixit tibi, Attolle grabatum tuum, & ambula?*

13 *Is autem qui sanatus fuerat, nesciebat quis esset: Jesus enim evaserat à turba quæ erat in illo loco.*

14 *Postea invenit eum Jesus in templo, & dixit ei, Ecce, sanus factus es: ne pecca amplius, ut nequid deterius tibi fiat.*

15 *Abiit homo ille, & nunciavit Judæis Jesum esse qui sanum eum fecerat.*

16 *Ac propterea persequebantur Judæi Jesum, & studebant eum trucidare quòd ista fecisset Sabbato.*

In descriptione miraculi continentur primùm circumstantiæ temporis & loci, quando & ubi miraculum hoc contigit: item occasio & quædam ad miraculum præparatio: usque ad ver. 8. Deinde miraculum ipsum vers. 8. & 9. Postremò ea quæ post miraculum sanato illi atque etiam sanationis authori Christo evenerunt: à v. 10. usque ad 17.

1 *Posthæc erat*] Hoc versu describitur *circumstantia temporis*, quando miraculum illud accidit: nempe in festo. Item *circumstantia loci*: nempe in urbe Hierosolyma.

2 *Est autem*] Superiore versu indicatus est locus generalis seu communis: hic describitur *locus specialis seu proprius*, videlicet porticus sitæ ad piscinam quandam. Hæ porticus v. 3. describuntur ab adjunctis ægrotis: simúlq; consilium seu finis illorum ægrotorum indicatur, cur ibi jacuerint, nempe ut per aquam piscinæ, postquam illa ab angelo esset mota, sanarentur. Tum v. 4. commemoratur miraculosæ illius per aquam sanationis ratio.

5 *Erat autem*] Deinceps describitur miraculi propositi *occasio* & ad illud *præparatio*: ac primùm tempus ægrotationis, quamdiu scilicet ille ægrotaverit, hoc versu. deinde colloquium Christi quo illi sanationis spem facit, v. 6. & illius querela de destitutione opis, v. 7.

8 *Dicit ei*] Hic describitur ipsum miraculum, quod constat imperio Christi & obsequio ægroti. Simúlq; indicatur *tempus speciale*, nempe Sabbatum: nam suprà v. 1. tempus generale indicatum fuit, nempe festum.

10 *Judæi ergo*] Deinceps describuntur ea quæ post miraculũ evenerunt: & primùm quæ evenerunt sanato: nempe objurgatio Judæorũ, quòd ferret grabatum, hoc versu. deinde ipsius apologia seu excusatio, v. 11. Tum inquisitio de sanationis authore, v. 12. & 13. Præterea admonitio Christi de cavẽdis deinceps peccatis, v. 14. Postea additur, quid evenerit Christo: nempe indicium per sanatum apud Judæos, v. 15. & persecutio per Judæos, v. 16.

DE SECUNDA PARTE.

17 *¶ Jesus autem respondit eis, Pater meus usque adhuc operatur, etiam ego operor.*

18 *Propterea*

18 *Propterea ergo magis ſtudebant eum Iudæi trucidare, quia non ſolùm ſoluiſſet Sabbatum, ſed & Deum dixiſſet Patrem ſuum, parem ſe faciens Deo.*

19 *Reſpondit ergo Ieſus & dixit eis, Amen amen dico vobis, non poteſt Filius à ſemetipſo operari,* id eſt, *niſi viderit Patrem operantem. quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit.*

20 *Pater enim amat Filium, & omnia monſtrat ei quæ ipſe facit: & opera iſtis maiora monſtrabit ei, ut vos miremini.*

21 *Sicut enim Pater excitat mortuos & viuificat, ita & Filius quos vult viuificat.*

22 *Nec enim Pater iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio:*

23 *Vt omnes honorent Filium, prout honorant Patrem. qui non honorat Filium, non honorat Patrem vt qui miſerit eum.*

24 *Amen amen dico vobis, Qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: ſed tranſiuit à morte in vitam.*

25 *Amen amen dico vobis, Aduenit tempus, & nunc eſt, quum mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, viuent.*

26 *Sicut enim Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſeipſo.*

27 *Et authoritatem dedit ei etiam iudicium exercendi, quatenus Filius hominis eſt.*

28 *Ne hoc miramini: nam veniet hora, qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem eius.*

29 *Et prodibunt qui bona fecerint, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerint, in reſurrectionem condemnationis.*

30 *Non poſſum ego à meipſo facere quicquam: prout audio, iudico: & iudicium meum iuſtum eſt: quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me,* id eſt *Patris.*

31 *Si ego teſtor de meipſo, teſtimonium meum non eſt idoneum.*

32 *Alius eſt qui teſtatur de me, & ſcio idoneum eſſe teſtimonium quod teſtatur de me.*

33 *Vos miſiſtis ad Iohannem, & is teſtimonium dedit veritati.*

34 *Ego autem ab homine teſtimonii non capto: ſed hæc dico ut vos ſervemini.*

35 *Ille erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluiſtis ad momentum exultare in eius luce.*

36 *At ego teſtimonium habeo maius* teſtimonio *Iohannis: opera enim quæ dedit mihi Pater vt ea perficerem, ipſa* inquam *opera quæ ego facio, teſtantur de me quod Pater miſerit me.*

37 *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtatus eſt de me. Neque vocem eius vnquam audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis.*

38 *Et ſermonem eius non habetis in vobis manentem: quia quem miſit ille, huic vos non creditis.*

39 *Scrutamini Scripturas: quia vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ teſtantur de me.*

40 *Sed non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.*

41 *Gloriam ab hominibus non capto.*

42 *Sed noui vos charitatem Dei non habere in vobis.*

43 *Ego veni nomine Patris mei, nec recipitis me: ſi venerit alius nomine ſuo, illum recipietis.*

44 *Quomodo vos poteſtis credere, quum gloriam alii ab aliis capteris? At gloriam quæ à ſolo Deo proficiſcitur, non quæritis.*

45 *Ne putate me accuſaturum vos apud Patrem: eſt qui accuſet vos, Moſes, in quo vos ſperatis.*

46 *Si enim crederetis Moſi, crederetis mihi: de me enim ille ſcripſit.*

47 *Quòd ſi illius ſcriptis non creditis, quomodo verbis meis credetis?*

Sequitur ſecunda pars capitis, videlicet apologia Chriſti ad ſcribas & Phariſæos, qua factum ſuum defendit, & illorum incredulitatem coarguit. *Quæſtio principalis* iſtius concionis & apologiæ Chriſti eſt, An ipſe violarit ſabbatum ſanando illum ægrotum qui decubuerat triginta octo annos, jubendoque ut grabatum ſuum geſtaret. Phariſæi affirmant, Chriſtus negat: ſuamque negationem probat argumento *á pari*, videlicet á paribus iſtius operis cauſis procreantibus: quod argumentum poteſt concludi ſyllogiſmo connexo ad hunc modum.

Si ego (inquit Chriſtus) iſto opere ſanati á me ægroti violavi ſabbatum: conſequens eſt ut & pater meus (nempe Deus) eodem illo opere ſabbatum violaverit. Atqui certum eſt, Deum nunquam ſabbatum violare. Ergo certum quoque eſt, me illo opere ſabbatum non violaſſe. Propoſitionis loco affert Dominus illius probationem, inquiens: *Pater meus uſque adhuc operatur: etiam ego operor.* Quibus verbis præterquam quód affirmat, Deum proprium ſuum eſſe patrem, ac proinde ſe proprium & naturalem, nempe unigenitum Dei eſſe filium: duo ſignificat quæ ad propoſitum probandum accommodat.

Unum eſt, quód opus iſtud ſit opus divinum ſeu opus Dei, hoc eſt á Deo effectum. hoc docet ubi ait, *Pater meus* (nempe Deus) *operatur.* Simul etiam docet, ex quo operum divinorum genere ſit hoc opus, nempe ex numero eorum quæ pertinent ad rerum creatarum conſervationem. hoc docet, ubi ait, *Uſque adhuc operatur*, id eſt, operatur inde ab initio rerum creatarum uſque ad hoc temporis momentum operatione continenti ſeu actu continuo, conſervando ſcilicet res á ſe creatas, & gubernando, & etiam nova individua creando.

Alterum eſt, quód non ſolus pater iſtud opus fecerit, ſed etiam ipſe unâ cum patre, tanquam unigenitus ac proprius ejus filius, illi ὁμοούσιος, id eſt coëſſentialis, ac proinde æquali, imó eadem potentia præditus. Hoc docet, ubi ait: *Etiam ego operor.* Conjunctionem enim καὶ, Syrus interpres rectè vertit ܕܢ, id eſt Etiam: quippe qua operationis ſocietas ſive communio, imó identitas (ταυτότης) notatur. Ex iſtis duobus duo hæc colliguntur. Ex primo: ſi hoc opus á Deo profectum eſt, non igitur eo violatum eſt ſabbatum: etenim operibus divinis ſabbatum nequaquam violatur. Ex altero: Si Chriſtus & Deus pater ſimul hoc opus fecerunt: ergo ſi Chriſtus illo opere ſabbatum violavit, conſequens eſt, ut & Deus pater ſabbatum violaverit. Atque hæc de ſyllogiſmi propoſitione.

Jam ad aſſumtionem quod attinet, Deum nunquam violare, imó ne violare quidem poſſe ſabbatum: illud quanquam per ſe facilé intelligitur, tamen liquet ex eo, quód Deus legib. ſubjectus non eſt: quum ipſe ſit ſummus legiſlator: cujus voluntas, omnis recti regula eſt. Quod ſi legib. ſubjectus non eſt: ergo nec violare ullam legem poteſt: atq; ita nec legem de ſabbato. Atq; hoc adeó verum eſt, ut ne homines quidé leges á Deo latas violare cenſendi ſint, ſi quid illis contrarium juſſu Dei tanquam legis latoris faciant, id quod ex duobus illis vulgo-notis exemplis planum eſt: uno,

quód

quód Abraham juſſu Dei motus, mactare volebat filium Iſaacum: quod abſq; Dei juſſu pugnaſſet cum præcepto, Ne occidas: altero, quód Iſraëlitę exituri ex AEgypto juſſu Dei mutuati ſunt ab AEgptiis omnis generis pretioſa ornamenta animo retinendi: quod abſque Dei juſſu pugnaſſet cum præcepto, Ne fureris: Eadem ratione excuſari poteſt ille ſanatus, qui juſſu Dei geſtavit ſuum lectulum in ſabbato: quod abſque Dei juſſu pugnaſſet cum præcepto, Memento ut diem ſabbati ſanctifices.

18 *Propterea*] Narrat Euangeliſta, quid Chriſtus illa ſua apologia apud Scribas & Phariſæos profecerit: nempe illos non ſolúm non eſſe placatos, verúm etiam rabiem eorum magis eſſe irritatam: quippe qui novæ & quidem gravioris offenſionis materiam arripuerunt ex hac Chriſti de ſua perſona operibúſque doctrina.

19 *Reſpondit ergo*] Chriſtus nihil moratus iſtorum offenſionem, pergit in doctrina cœpta; & ſententiam quæ eos offenderat, pluribus verbis repetit: affirmans, opera ſua (nempe divina illa) ſibi eſſe cum patre communia: ut innuat, ſe propter illa opera accuſari non poſſe, quin eâdem criminatione involvatur ipſe Pater.

20 *Pater enim*] Communicationem illam operum patris probat *á cauſa efficiente impulſiva*, videlicet amore Patris erga ipſum. Deinde eandem illuſtrat *á comparatis*: nam cum ſanatione corporum comparat ſanationem animorum, imó excitationem ex morte & vivificationem, v. 21. Quibus verbis docet, ſe unâ cum Patre per Spiritum ſanctum illuminare cæcas hominum (nempe electorum) mentes, ut gratiam Dei in filio præſtitam intelligant & fide recipiant, atque ita fiducia filiali in paterno favore Dei acquieſcant, Deumque filiali timore colere incipiant. Hac enim fiducia vivificatur cor hominis, quod aliâs in æterna morte ex ſenſu iræ Dei contra peccata demerſum eſt.

22 *Nec enim*] Quod dixit de poteſtate vivificandi, probat *á toto*, videlicet poteſtate judicandi ſeu gubernandi Eccleſiam: quæ nimirum gubernatio quodve judicium duas continet partes, vivificationem credentium & condemnationem incredulorum. Hanc judicandi poteſtatem amplificat *á cauſa finali*, v. 23. quæ eſt, ut idem honor deferatur á nobis Filio, quem deferimus patri. unde deducit corollarium, quo incredulitatem Judæorum perſtringit: qua ſcilicet ignominia afficiant Deum, quippe quum nolint honorare Filium Dei á Patre miſſum, credendo ſcilicet doctrinæ ejus.

24 *Amen amen*] Superiore verſiculo perſtrinxit incredulitatem ſuorũ adverſariorum cum ipſius & Dei Patris contemtu conjunctam: Nunc ad ſeipſum conſolandum & ad ſcandalum ex animis electorum removendum, incredulitati ſuorum adverſariorum opponit fidem electorum, & illius fidei fructum indicat, (ut hoc ipſo electos ad credendum invitet) vitam ſcil. æternam: ſimúlque pœnam incredulitatis innuit, nimirum condemnationem ſeu mortem æternam, ut eoſdem ab incredulitate deterreat. Fructum autem fidei amplificat collatione temporum: affirmans, fructum illum non ſolúm ſperari tanquam percipiendum poſt hanc vitam: ſed etiam initia vitæ æternæ ſentiri jam in hac vita: quatenus nimirum credentes certó ſciunt, mortem nihil in ipſos juris habere, quum ſint filii Dei in Chriſto: & quatenus afficiuntur gaudio ineffabili ex ſenſu paterni erga ſe favoris Dei, tanquam ſibi per Chriſtum reconciliati. Itaque credentes habent vitam æternam partim re, partim ſpe: ſeu (ut aliis verbis idem dicam) partim poſſeſſione, partim jure poſſidendi: poſſeſſione ſcilicet partis, jure

poſſidendi

possidendi totum suo tempore. ut si quis vir locuples ex plurimis suis prædiis unum filio suo, ipse adhuc vivens, utendum fruendum dederit: is filius habet patrimonium suum partim re, partim spe: seu (quod idem est) partim possessione, partim jure possidendi suo tempore, videlicet post mortem patris. Et quidem ad illius felicitatem non solúm unius prædii possessio, sed etiam totius patrimonii possidendi spes facit.

25 *Amen amen*] Quod de fidei fructu affirmavit, confirmat *testimonio experientiæ* tum præsentis tum futuræ: atque ita sententiam illam versiculi vigesimi primi de sua vivificatione repetit. Quam ipsam sententiam v. 26. confirmat *á causa*, quia scilicet vitam habeat in se ipso non minús quám Pater. Simúlque hujus rei causam exponit, communicationem scil. Patris, qua is Filio vitam communicavit per æternam generationem. Itaq; quum Filius vitam in se ipso æqué habeat ac Pater: consequens est ut ipse quoq; vivificet quoscunque vult, per vocem Euangelii, qua fidem in electis creat.

27 *Et authoritatem*] Transit ad aliud genus operum divinorum, quod cum Patre commune habeat. nam hactenus duo operum genera allegavit, primúm quidem opera creationis & conservationis atque gubernationis totius mundi, ver. 17. 19. 20. deinde opera gubernationis ecclesiæ, quæ gubernatio consistit in vivificandis electis & condemnandis reprobis, vers. 21. 22. 24. 25. 26. Nunc addit opus judicij ultimi, ubi Christus judex mortuis excitatis, pios ad se assumet in cælum ad vitam æternam perfectè fruendam: impios verò relegatos in gehennam condemnabit cruciatibus sempiternis. Confer Matth. 25. vers. 31. & deinceps.

Hanc sententiam primúm proponit amplificatam collatione minorum: comparat enim opus ultimi judicii cum reliquis de quibus antea dixit, divinis operibus, tanquam majus & admirabilius: quæ comparatio notatur per particulam καὶ, id est Etiam. sicuti v. 20. opera secundi generis cum operibus primi generis comparavit. Deinde amplificat eandem sententiam expositione formæ seu modi quo judicium illud exercebit: nempe non solúm ut Deus, videlicet filius Dei, sed etiam ut filius hominis seu homo: quippe qui in nubibus carnem suam conspiciendam præbebit, & sanctissimo ore suo sententiam pronuntiabit, patefactis nimirum humanæ suæ menti á sua deitate omnium hominum operibus. Tum vers. 28. sententiam propositam, per prolepsin asseverat & confirmat testimonio experientiæ.

Etenim incredulæ Judæorum admirationi atque irrisioni ita occurrit, ut ad ipsam experientiam certó eventuram provocet. Ubi etiam formam judicii ultimi declarare incipit, commemorans resurrectionem mortuorum: quam ipsam v. 29. illustrat distributione ex eventis contrariis, vita scilicet & morte: atque ita formam judicii ampliús declarat.

30 *Non possum*] Sequitur præcedentis disputationis epilogus, ubi Dominus paucis repetit præcipua capita eorum quæ dixit de suis operibus: nimirum sese omnia sua divina opera edere tanquam συνεργὸν, id est cooperatorem Patris. Repetit autem primúm opera primi generis, eorum scilicet quæ pertinent ad conservationem rerum creatarum, ubi ait: *Non possum ego á me ipso facere quicquam.* Deinde repetit opera secundi & tertii generis, nimirum opera judicii præsentis seu gubernationis Ecclesiæ & opera judicii futuri in die ultimo: ubi ait, *Prout audio, judico.* Et hanc alteram de judicio suo sententiam amplificat corollario, quo affirmat, judicium suum esse justum: quia nimirum judicet ex voluntate patris: quibus verbis innuit, jussum quoque illud suum quo jussit sanatum tollere

grabatum

grabatum in ſabbato, juſtum eſſe, ac proinde geſtatione illa grabati ſabbatum nequaquam eſſe violatum.

31 *Si ego teſtor*] Deinceps occurrit objectioni. Quum enim tam magnificé de ſuis operibus aſſeveraſſet: poterant Iudæi aſſeverationem illam rejicere, tanquam teſtimonium quod ſibi ipſe daret in propria cauſſa. Iſtam objectionem commemorat v. 31. per conceſſionem: deinde v. 32. ſuam doctrinam confirmat teſtimonio patris, nempe illuſtri illo teſtimonio, quod ei pater dedit quum á Iohanne baptizaretur, Matth. 3. v. 17. Hoc enim teſtimonium ſimpliciter notari puto. Alii veró malunt intelligere teſtimonia conſignata in ſcripturis propheticis. Sed de illis dicet ſeparatim inf. ver. 39.

33 *Vos miſiſtis*] interſerit teſtimonium Iohannis Baptiſtæ: cujus autoritatem confirmat ex ipſorum facto: qui ad illum miſerant legatos, per quos de ipſius officio cognoſcerent. quo certé facto teſtatum fecerunt, ſe Iohannem Baptiſtam tanti facere, ut ejus teſtimonio fidem habere vellent. Deinde v. 34. amplificat hoc teſtimonium prolepſi, qua negat ſe ideo teſtimonium Iohannis allegare, quaſi non haberet teſtimonium majus, nempe Patris: ſed in eo allegando ſeſe ſpectare ipſorum ſalutem. quippe qui ſi teſtimonio Johannis crederent, ut ſeſe facturos ſimulaverant, ſalutem conſequerentur per Chriſtum: quem nimirum crederent eſſe agnum illum DEI qui tollit peccatum mundi, ſicut Johannes fuerat teſtatus. Tum v. 35. commendat Johannem ab eximia ſanctitate qua fuerat ornatus: ſimulque objurgat adverſarios propter illius abuſum: quippe qua abuſi ſint ad opprimendum Chriſtum, deferentes nimirum honorem Chriſti Johanni: quum tamen Johannes ſanctitate illa á Deo fuerit ornatus propter Chriſtum Iudæis commendandum. Alii lucernæ metaphoram ad doctrinam Johannis Baptiſtæ referunt, qua is populo veluti præluxit ſeu facem prætulit ad Deum cognoſcendum. Sed huic expoſitioni videntur obſtare hæc verba, *Vos voluiſtis ad tempus exultare in ejus luce.* Certum eſt enim, Phariſæos illos qui manſerunt hoſtes Chriſti, doctrinam Johannis baptiſtæ nunquam approbaſſe. Quod teſtatur ipſe Chriſtus quum ex eis quæſivit, an baptiſma Johannis fuerit é cœlo, an ex hominibus, Matth. 21. 25.

36 *At ego*] Redit ad teſtimonium Patris: ſed priús repetit ſua opera divina, nempe miracula, tanquam teſtimonium experientiæ, v. 36. Teſtimonium autem Patris repetit v. 37. Et illud amplificat antitheſi incredulitatis Iudæorum: quam objurgat: ſimulque iſtius incredulitatis effectum indicat, videlicet ignorantiam Dei. Hanc autem objurgationem qua de iſtis affirmat incredulitatem, quòd ſcilicet non credant teſtimonio Dei in baptiſmo Chriſti cœlitus audito, confirmat v. 38. á pari: quia ſcilicet non credant ipſi, quem tamen Pater miſit. Par enim fides debetur atque etiam haberi ſolet legato, quæ habetur ipſi domino qui miſit eum.

39 *Scrutamini*] Pergit confirmare doctrinam ſuam, & allegat teſtimonium ſcripturarum: ſimulque exaggerat incredulitatem ſuorum adverſariorum: quippe qui quantumvis ſcripturas ſcrutentur, idque eo conſilio ut vitæ æternæ rationem ex illis diſcant, tamen nolint credere in ipſum, in quo tamen ſolo vitam æternam poſitam eſſe ſcripturæ teſtantur. Hic videtur eſſe genuinus hujus loci ſenſus: quem ſi ſequamur, verbum ἐρευνᾶτε accipiendum erit tanquam poſitum in modo indicatiuo. Quanquam fatendum eſt, prima fronte poſitum videri in modo imperativo: quum non præcedat pronomen ὑμεῖς: quod quidem non ſolúm ex conſuetudine

Græcorum,

Græcorum, verúm etiam Hebræorum (quorum loquendi ratio Johanni, ut & reliquis Apoſtolis, uſitata eſt) præcedere deberet. unde Syrus per imperativum loquendi modum reddidit. Sed tamen cohærentia ſententiarum oſtendit, pronominis illius ellipſin hic intelligendam. Si quis veró imperativo modo accipere malit: cohortatio erit ad ſcrutandum ſcripturas: quæ per ſe nihil abſurdi continet. Talis exhortatio extat inf. 7. 52.

41 *Gloriam*] Per prolepſin occurrit ſiniſtræ ſuſpicioni ambitionis: quaſi ſcilicet ſuadendo ut in ſe credant & vitam in ipſo quærant, ambitioſé agat & gloriam apud homines quærat. Hoc igitur negat: & ſimul annectit alteram prolepſin, qua eis adimit ipſorum prætextum, quaſi nimirum moti dilectione Dei, Chriſto ſeſe opponerent. Negat igitur in eis eſſe dilectionem DEI: idque mox v. 43. probat ex effectis ſeu factis eorum: quippe qui legatum Dei, nempe ipſum, nolint recipere. Quam quidem illorum malitiam amplificat á contrario, quód ſcilicet recepturi ſint impoſtores, qui abſque Dei vocatione ſeſe pro Chriſto ſint venditaturi. quod ipſum jam anté evenerat in Theuda & Juda Galilæo. de quibus Act. 5. v. 36. & 37.

44 *Quomodo*] Hic vehementiſſimé eis incredulitatem objicit, ejuſqué cauſſam procreantem aperit, nimirum ambitionem: quæ eadem eſt cauſa corrumpens fidei, nempe cauſa impediens. Porró ambitionem amplificat antitheſi pietatis qua quæritur vera gloria, quæ proficiſcitur á ſolo Deo: quum ambitio quærat gloriam ab hominibus. Confer inf. 12. v. 42. & 43.

45 *Ne putate*] Objurgationem præcedentem amplificat prolepſi, qua eis adimit patrocinium Moſis quo confidebant: & contrá minatur illius accuſationem: quippe cui non credant. Hanc ſententiam amplificat antitheſi diverſorum: quód ſcilicet non ipſe, ſed Moſes eos accuſaturus ſit. quibus verbis ſignificat, non eſſe opus ut ipſe eos accuſet: quia ſatis ſit ipſos accuſari á Moſe. Deinde v. 46. probat, eos Moſi non credere. hoc probat à pari: quia par fides haberi ſolet teſti & ei quem teſtis commendat. Quum igitur non credant Chriſto, quem Moſes ſuo teſtimonio commendavit: ſequitur eos nec Moſi credere. Ad extremum v. ult. annectit corollarium per ratiocinationem á majori, quo ſeſe contra adverſariorum ſuorum incredulitatem conſolatur: vt qui ne Moſi quidem credant, quem ſcilicet tanquam ſuum doctorem & legis latorem in ſummo pretio habeant.

SCHOLIA IN CAP. V.

2 *Ad portam pecuariam.* ὅτι τῇ προβατικῇ. Subaudi πύλῃ. ſicut expreſſé in verſione Græca appellatur Nehem. 3. v. 1. in Hebræo שער הצאן, id eſt, porta gregis. quæ porta (ut ibidem Tremellius & Junius annotant) ad meridiem urbis erat, & frontem civitatis Davidis ac templi ſpectabat. Ita autem (ut iidem ajunt) vocata fuiſſe videtur, quia in ea parte erat forum pecuarium ad commoditatem ſacrificantium.

2 *Beth-eſda.* Βηθσαϊδά. Syrus interpres nominat בית-חסרא beth cheſdá, i.e. domum beneficentiæ ſeu benignitatis, eó quód in eo loco Deus (ut doctiſſimus Tremellius annotat) benigné potentiam ſuam exereret in curandis

randis quibuſvis morbis populi ſui. Eſt autem conjectura valde probabilis, illam hujus nominis ſcripturam quam Syrus habet, veram eſſe: tum propter jam expoſitam nominis rationem, quæ ex præſente hiſtoria confirmatur: tum verò etiam quòd litera Hebræorum Cheth in propriis nominibus referendis apud Novi Teſtamenti ſcriptores omitti ſolet: ut Matth. 1. v. 3. ἑσρὼμ pro χασρὼμ. & v. 4. Ναασσὼν pro Ναχσων. Luc. 3. v. 25. Ναὺμ pro Ναχὺμ: item ἑσλὶ pro χασλὶ: & v. 27. ἰωανὰ pro ἰωχανὰ: & v. 36. Νῶε pro Νῶαχ: &. v. 37. Μαθουσάλα pro Μαθουσάλαχ: item ἐνὼχ pro χανὼχ.

4 *In piſcinam.* ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ. Pro εἰς τὴν κολυμβήθραν. Enallage Hebræa. *Sanus fiebat.* ὑγιὴς ἐγίνετο. Iſto miraculo veriſimile eſt piſcinam hanc ornatam fuiſſe inde ab illo tempore, quum ſacerdotes é Babylone reduces locum illum ad uſum templi conſecrarunt: idque in ſignum approbatæ illius inſtaurationis: ſicut annotant Tremellius & Iunius ad Nehem. 3. v. 1.

6 *Cupis.* Θέλεις. Pro ἐπιθυμεῖς. ut ſæpe, non ſolùm apud ſacros ſcriptores, verùm etiam profanos: ut apud Anacreontem, θέλω λέγειν Ατρεΐδας.

7 *Immittat.* βάλλῃ. vel, demittat.

10 *Qui curatus fuerat.* τῷ τεθεραπευμένῳ. Pro, τῷ ἰαμένῳ vel τῷ ἰαθέντι: quo verbo utetur verſu 13. Eſt catachreſis: quia proprié loquendo curantur quibus adhibetur medicina. at hæc ſanatio, miraculoſa fuit. Sic Matth. 4. v. 23. item cap. 8. v. 7. *Sabbatum eſt: non licet &c.* σάββατόν ἐστιν οὐκ ἔξεστι &c. Pro, Sabbatum eſt: non igitur licet. Ellipſis conjunctionis ſyllogiſticæ. *Attollere.* ἆραι. Pro βαστάζειν, portare. quia jam ſuſtulerat grabatum, & jam portabat: ut liquet ex v. 9. Porrò vox κράββατος corrupta eſt ex Latina *grabatus*, triplici mutatione: videlicet literæ G in literam K, productione primę ſyllabæ per epentheſin literæ B, & correptione penultimæ. Apud latinos enim dicitur *Grabátus*. ut apud Martial. *Sed ſi nec focus eſt, nudi nec ſponda grabati.*

13 *Evaſerat.* ἐξένευσεν. vel (ut vetus interpres) Declinaverat. Nam νύειν proprié nuere eſt: unde ἐκνύειν, quaſi ἔξω νύειν, foras nutare: ut ex antecedente intelligatur conſequens. νύειν verò pro natare, itemque ἐκνύειν pro enatare, rariùs occurrunt. *E turba quæ erat.* ὄχλου ὄντος. vel potiùs: Eó quòd turba eſſet. nam prior expoſitio poſtulat articulum τῷ ante participium ὄντος.

17 *Uſque adhuc.* ἕως ἄρτι. Nempe inde ab initio rerum á nobis creatarum. *Operatur.* ἐργάζεται. Nempe res creatas conſervando & gubernando, idque continenter. Continus n. hic actus notatur verbo temporis præſentis. *Etiam ego.* κἀγώ. Sic Syrus, אנאנא Etiam ego, rectè expreſſa conjunctione καὶ: nam ſignificat hoc loco æqualitatem. ut liquet ex verſu ſequente.

18 *Deum dixiſſet patrem ſuum.* πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν Θεόν. In Græco verba ſunt trajecta: ſed partem ſententiæ antecedentem oſtendit articulus. Sic ſuprá cap. 1. v. 1. & cap. 4. v. 24. *Parem.* ἴσον. vel, æqualem. *Se faciens.* ἑαυτὸν ποιῶν. Pro, falsó affirmans, atque ita Deum blaſphemans.

19 *A ſemetipſo.* ἀφ' ἑαυτοῦ. Id eſt, Per ſeipſum ſeu ſolus, videlicet abſque communione Patris. Sic enim ipſe Chriſtus declarat verbis ſequentibus. Et in hanc ſententiam vertit Syrus: מן נפשה דלחוד, ex voluntate animæ ſuæ. hoc eſt, pro ſuo ſolius placito ſeu arbitrio. quaſi dicat: Nihil agit niſi ex voluntate & ſapientia Patris, & quaſi communicato cum Patre

consilio. Quod ipsum significatur verbo *videndi* in epexegesi. *Id est nisi.* ἐὰν μὴ. Rectè in versione suppletæ sunt particulæ exegeticæ. Etenim sequentibus verbis interpretatur Dominus id quod modó dixerat, ἀφ' ἑαυτοῦ. Est autem hoc genus appositionis ἐπεξηγητικὸν, sacris scriptoribus usitatum, ubi aliqua pars sententiæ præcedentis per appositionem sequentium verborum ita exponitur, ut reliqua illius sententiæ pars ἀπὸ κοινοῦ repetenda sit, adhibitis exegeticis particulis. ut hoc loco: Non potest Filius operari á semetipso, *id est, non potest operari* nisi viderit Patrem operantem. Ad eundem modum exponenda sunt hæc loca: Gal. 2. v. 16. Matth. 12. v. 4. Apocal. 9. v. 4. & cap. 21. v. 27. *Nisi viderit &c.* ἐὰν μὴ βλέπῃ. hoc est, Nisi intellexerit Patri placere ut operetur. ut sit similitudo sumta á filio regis, cui pater commisit totam regni gubernationem: sed ita ut filius nihil agat nisi communicato cum patre consilio. Vel sic: Nisi ea sapientia ac potentia quam á Patre accepit & quasi didicit. ut sit similitudo sumta á filio artificis, verbi gratia aurifabri: qui totam suam artem á patre didicit, nec quicquam aliter facit quam á patre edoctus est. Porró verbo *videndi* é regione vt relatum respondet verbum *Ostendendi*, δείκνυειν, v. sequente. *Pariter.* ὁμοίως. id est, æqué seu non minús. vel, *Similiter*, id est eodem modo: nempe virtute sibi insita seu nativa, non autem aliena & extrinseca: sicut scilicet Apostoli & Prophetæ miracula fecerunt virtute Dei, quem idcirco invocarunt.

20 *Ut vos miremini.* ἵνα ὑμεῖς θαυμάζητε. Conjunctio ἵνα videtur hîc posita pro ὥστε: videtur enim non tam finis notari quám eventus. quippe adjecta videntur hæc verba ad magnitudinem operum Christi amplificandam ab effectu. quasi dicat, Et talia quidem ac tanta posthac editurus est opera, vt vos meritó sitis admiraturi.

21 *Sicut enim.* ὥσπερ γάρ. Iam declarat quænam sint illa majora quæ commemoravit, opera.

22 *Nec enim Pater judicat &c.* id est, Pater non judicat solus, ut vos putatis: sed omnia judicat per Filium. ut rectè exponit D. Beza: quæ expositio confirmatur ex versu sequente. Nam si uterque honorandus est, & Pater inquam, & Filius: sequitur, utrumque judicare, seu judicium penes utrumque esse.

23 *Ut qui miserit.* τὸν πέμψαντα. Adjectum εἰπολογικῶς. nam legato debetur idem honos qui mittenti.

25 *Et nunc.* καὶ νῦν. id est, imó nunc: μᾶλλον δὲ νῦν. Dictum per correctionem rhetoricam. *Mortui.* οἱ νεκροὶ. Nempe spiritualiter-mortui. nam de corporaliter-mortuis postea seorsim loquetur v. 28. *Audient vocem filii Dei.* Nempe alloquentis eos per Euangelium. Audient autem non solúm corporis, sed & cordis auribus, hoc est, testimonio Christi credent. *Et qui audierint.* Nempe eo quem diximus modo. *Vivent*, ζήσονται. Id est, exhilarabuntur, lætabuntur, gaudebunt in Deo, gustantes nimirum favorem illius paternum propter Christum, de quo Euangelium testatur.

26 *Dedit.* ἔδωκε. Nempe per æternam illam generationem.

27 *Autoritatem.* ἐξουσίαν. vel, potestatem. Hæc sententia proxime præcedenti videtur annecti per collationem majoris, id est rei magis miræ. quasi dicat: Imó non solúm dedit Pater Filio, ut haberet vitam in seipso quatenus Deus est: sed etiam (quod magis mirum est) dedit ei potestatem judicium exercendi non solúm quatenus Deus, sed etiam quatenus homo est.

est. Etenim Christus ut homo veniet ad judicium universale: & patefactis suæ menti humanæ à sua deitate omnium hominum operibus, judicis sententiam de singulis pronunciabit: pios quidem invitando in regnum cœlorum, impios verò repellendo in gehennam seu ignem illum æternum. Matt. 25.v.31.& deinceps.

28 *Ne hoc miramini, nam veniet &c.* Id est, Ne miramini tanquam incredibile id quod modo dixi de potestate judicii exercendi data filio hominis: nam certò futurum est judicium universale per filium hominis.

31 *Si ego testor de meipso.* Scilicet ut vos mihi posletis objicere. *Testimonium meum non est idoneum.* Hoc dicit per concessionem rhetoricam, quare non repugnat quòd contrarium asseverat infra cap. 8. v. 14.

32 *Alius.* ἄλλος. Nempe pater.

34 *Ut vos servemini.* Scilicet, credentes testimonio Johannis.

39 *Scrutamini.* ἐρευνᾶτε. Accipiendum non imperativo, sed indicativo modo: quasi dicat, Quum vos scrutemini scripturas, idque eò faciatis, quia videmini vobis vitam æternam in ipsis habere: illæ autem testentur de me, per me scilicet solum vitam æternam contingere credentibus: mirum certè est, & valde perversè agitis, quòd non vultis venire ad me, id est in me credere, ut vitam quam in scripturis quæritis, consequamini. Sic igitur amplificat incredulitatem eorum, de qua in fine versiculi præcedentis questus fuerat.

43 *Nomine patris mei.* ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου. Id est, missus à patre meo. *Nomine suo.* ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ. Id est, per se & propria authoritate.

45 *Ne putate me accusaturum &c.* Non simpliciter negat se accusaturum illos: sed tantùm significat, non esse opus ut ipse eos accuset, quum satis sit eos accusari à Mose. Similis loquendi ratio extat infra cap. 16. v. 26. ubi ait, Non dico vobis, me rogaturum patrem pro vobis, &c. *In quo vos speratis.* εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίκατε. Id est in cujus doctrina vitam æternam quæritis. Quod quanquam facitis, tamen illi non creditis. hanc posteriorem sententiam hoc loco subaudiendam, percipitur ex verbis sequentibus.

46 *Si enim crederetis Mosi.* εἰ γὰρ ἐπιστεύετε Μωσεῖ. Ratio exponitur non ejus quòd proximè dictum est: sed ejus quod ad proximè dictum subaudiendum est, nempe Judæos etsi glorientur de doctrina Mosis, tamen illi non credere: & propterea scilicet ab eo accusatum iri. Quòd autem credant Mosi, jam probat.

47 *Quod si illius &c.* εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου &c. Ex conclusione facta, nempe eos non credere Mosi, deducit corollarium per ratiocinationem à majori, ἀπὸ τοῦ μᾶλλον. nam magis probabile erat, eos credituros Mosi, quem magnifaciebant: quàm Christo, quem contemnebant. *Quomodo.* πῶς. Quasi dicat, Multo minùs.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. 5.

EX PRIMA PARTE.

1. Ex v. 1. Quòd Christus Hierosolymam ascendit ad festum, eo admonemur, ipsum Legi sese subjecisse, ut nos qui sub lege eramus, redimeret, ut

adoptionem acciperemus. Gal.4.v.4.& 5. Nisi enim sanctè secundum Legem vixisset,redimere nos sua morte non potuisset. neque enim placuisset Deo victima quam pro nobis obtulit,nisi fuisset sancta.

II. Ex v.4. Deum nunquam destituere Ecclesiam præsentiæ suæ signis: quippe qui quum prophetas ad suum populum mittere destitisset,insolito & miraculoso beneficio sanationis præsentiam suam testatam fecit.

III. Ex eod.v. Illa aquæ turbatio clarum documentum fuit, Deum pro suo arbitrio liberè elementis uti,& operis effectum sibi vendicare. Quã enim vim habuerit aqua turbida ad morbum quemvis sanandum? Non igitur creaturis adscribendum est,quod unius Dei est. Quod quum non sit faciendum in sanatione corporis: multò minùs faciendum est in sanatione animorum, cujus sanationis actiones illæ sacræ, quæ sacramenta nominantur,symbola ac testimonia sunt.

IIII. Ex v.5. Exemplo istius ægroti à Christo sanati, ad tolerantiam nos erudiri decet.Longum enim fuit triginta & octo annorum tempus,quo Deus beneficium suum in misero hoc homine juvando distulit,quod tamen illi ab initio præstare statuerat.Quantumvis ergo diu nos suspensos teneat, sic anxiè gemamus sub nostris ærumnis, ut tamen longi temporis tædium nunquam nos exanimet. Etsi enim nullus exitus appareat, quum mala nostra longiùs protrahuntur: statuendum tamen semper est, Deum mirificum esse liberatorem,qui virtute sua omnia obstacula facilè perrumpit.

V. Ex v.9. Exemplo Christi docemur, etiamsi totus mundus in iram efferveat, publicandam nobis esse Dei gloriam, prædicandaque ejus opera, quatenus gloriæ ejus interest, nota esse. Nec verò fatigari nos vel frangi oportet, etiamsi infeliciter nobis cedat nostrum hoc studium: modò gloriam Dei propositam habeamus,nec transiliamus officii nostri metas.Porrò scandalum ejusmodi vocant acceptum & Pharisaicum: quia Pharisæi ex factis Christi quantumvis rectis arripiebant calumniandi occasionem. Contrà datum scandalum appellant,quum quis ea agit quibus simplices ac pii animi meritò offenduntur,ut quæ pietati repugnent.

VI. Ex v.10.& 16. Exemplo Judæorum docemur, à præcipiti judicio cavendum esse: nec factum cujuiquam condemnandum, donec ejus ratio penitus nobis comperta sit.Etsi enim quicquid pugnat cum Dei verbo,sine controversia damnari meretur: tamen quia hic sæpe hallucinari contingit,ut scilicet existimemus cum verbo Dei pugnare quod tamen non pugnat: præcedere debet modesta & placida inquisitio, ut judicium sanum ac sobrium sit.

VII. Ex v.14. Quicquid patimur mali, peccatis nostris imputandum est.neque enim fortuitæ sunt nostræ calamitates, sed totidem sunt castigatoriæ ferulæ. Primò itaque manum Dei quæ nos percutit, agnoscere oportet,non cæcum fortunæ impetum imaginari in malis nostris: deinde hunc Deo honorem tribuere, quòd quum optimus sit pater, ex nostris miseriis voluptatem non capiat: ideoque nunquam duriùs nos tractet, nisi peccatis nostris offensus.

VIII Ex eod.v. Beneficiis Dei ad gratitudinem excitari debemus,cavenda scilicet ejus offensione, & contra operam dando ut illi placeamus. Hoc autem fieri nequit, nisi pœnæ jam sublatæ recordatio animis nostris perpetuò insideat, ut in meditatione beneficii accepti tota vita nos exerceamus.

IX. Ex eod.v. Castigationum Dei hic usus apud nos esse debet,ut cautiores

tiores in posterum reddamur. Alioquin enim si Deus servulis suis nihil apud nos proficiat, quibus leniter nos tanquam teneros filios humanissimus pater castigat: novam personam & quasi alienam induere cogitur. Itaq; flagella ad domandam nostram ferociam tunc arripit, quemadmodum in lege pronunciat, Levit. 26. & Deuter. 28. Quapropter si novis subinde malis assiduè premimur, id nostræ contumaciæ acceptum ferre debemus. Nec mirum est si atrocioribus pœnis quasi malleis conterat Deus, quibus mediocris pœna nihil prodest: Frangi enim æquum est qui corrigi non sustinent. Semper tamen etiam in gravissimis pœnis tenendum est illud Psalm. 89. v. 34. Deum suam benignitatem nunquam à nobis ablaturum.

DOCTRINAE EX SECUNDA PARTE.

I. Ex v. 17. Etsi Deus sex dierum spatio mundi creationem absolvit: tamen non desinit mundum à se conditum sua virtute sustinere, regere suo consilio, bonitate fovere, & cuncta suo arbitrio in cœlo & in terra statuere. Hinc Paulus ait Act. 17. vers. 28. In ipso (seu per ipsum, id est, ipsius virtute) vivimus & movemur & sumus. Vide Psalm. 104. vers. 27. 28. 29. 30. Nec generali tantùm providentia creatam à se naturam curat Deus, sed singulas ejus partes ordinat ac temperat: ut vel hoc exemplum sanati ægroti evincit. Vide Matth. 10. vers. 29. & 30. Præsertim verò suo præsidio regit ac servat fideles, quos in fidem tutelamque suam recipit ac servat. Matth. 10. versu 31.

II. Notentur aliquot argumenta pro deitate Christi contra Arianos. Primum argumentum: Christus Deum vocat patrem suum, vers. 17. nempe ἴδιον, proprium seu naturalem, vers. 18. Ergo ipse est naturalis ac proprius Dei filius, Patri ὁμοούσιος. Sic Rom. 8. v. 32. Apostolus Christum nominat proprium filium Dei. Sic Johannes supr. cap. 1. eum vocat filium Dei unigenitum, v. 14. & 18. Secundum argumentum: Christus eadem opera facit, idq; eodem modo, quæ opera & quo modo facit Deus pater, vers. 17. 19. 20. 22. Ergo est æqualis Patri & ὁμοούσιος. Tertium argumentum: Christus vitam habet in seipso æquè ac pater, v. 26. Ergo est Patri æqualis & ὁμοούσιος. Quartum argumentum: Christus sua potentia excitabit mortuos, vers. 28. & 29. Ergo est verus Deus.

III. Turcæ & Judæi falsò gloriantur de cultu veri Dei: quia non honorant Filium Dei: ex v. 23. Idem sentiendum de Papistis: quia illi quamvis Filium Dei honorent verbo, tamen reipsa ignominia afficiunt: quatenus negant nos illius solius merito servari: contendentes, nos nostris quoque operibus vitam æternam ex parte mereri.

IV. Finis testimoniorum divinorum de Christo est, ut nos illis fidem habendo servemur, ex v. 34.

V. Miraculorum Christi finis est, ut credamus ejus doctrinæ: ex ver. 36. Huic fini adjungendus est finis superior: nimirum ut credentes vitam habeamus per nomen ejus. inf. 20. v. ult.

VI. Scripturarum propheticarum scopus est, testificari de Christo, nimirum illum solum esse vitæ æternæ authorem. Ex v. 39. Quare in scripturis propheticis Christus præcipuè quærendus est. Confer dictum Christi Luc. ult. v. 44.

VII. Ambitione impediuntur homines, ne possint in Christum credere. quippe homines ambitiosi summam felicitatis in gloria terrena seu mun-

dana collocant: atque ita de vera illa gloria cœlesti solliciti non sunt: ex v.44 Similis ratio est avaritiæ & curarum hujus seculi: Matth.13 v.22.

VIII. Qui jactant scripturas, & tamen Christum repudiant: non solùm de patrocinio scripturarum frustra gloriantur, sed etiam auctoritate illarum condemnantur. hoc omnibus hæreticis accidit. ex v.45.& 46.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Tres sunt principales hujus capitis partes. Prima pars continet miraculum cibatorum a Christo quinque panibus quinquies mille virorum utq; ad v.16. Secunda pars continet miraculum ambulationis Christi super mare: a v.16.usque ad 22. Tertia pars continet concionem Christi ad Capernaitas de cibo cœlesti seu pane vivifico, a v.22.usque ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE.

POst hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est *Tiberiadis*.

2 *Et sequebatur eum turba multa, quia videbant ejus signa quæ edebat in ægrotis.*

3 *Subiit verò in montem Jesus, & ibi consedit cum discipulis suis.*

4 *Propè autem erat pascha, festum Judæorum.*

5 *Quum ergo sustulisset oculos Jesus, & conspexisset multam turbam ad se venire, dicit Philippo, Unde ememus panes, ut isti vescantur?*

6 *(Hoc autem dicebat, tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus)*

7 *Respondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non sufficerint eis, ut singuli eorum paululum quiddam accipiant.*

8 *Dicit ei unus ex discipulis ejus, nempe Andreas frater Simonis Petri.*

9 *Est hîc puerulus quidam qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piscieulos: sed hæc quid sunt inter tam multos?*

10 *Dixit autem Jesus, Facite ut isti discumbant. Erat autem gramen multum in eo loco: Discubuerunt ergo viri illi numero quasi quinquies mille.*

11 *Accepit autem panes illos Jesus, & actis gratiis distribuit discipulis, discipuli verò discumbentibus: similiter etiam ex piscibus illis quantum volebant.*

12 *Ut autem expleti sunt, dixit* Jesus *discipulis suis, Cogite quæ superfuerunt fragmenta, ne quid pereat.*

13 *Coëgerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentis ex quinque illis panibus hordeaceis, quæ superfuerant iis qui comederant*

14 *Illi ergo quum vidissent signum quod Jesus ediderat, dicebant. Hic est verè Propheta ille qui venturus erat in mundum.*

15 *Jesus ergo quum cognovisset venturos & ipsum abrepturos ut facerent se regem, secessit rursus in montem solus ipse.*

In miraculo cibationis describendo primùm indicatur ejus occasio ex circumstantia loci, vers.1.& 3. & personarum, vers.2.& 5. & temporis, vers.4. Deinde commemoratur præparatio ad miraculum, nempe consultatio cum discipulis de cibanda turba, v.5.6.7.8.9.& 10. Tum exponitur ipsa miraculi forma, versu 11. Postremò narrantur ea quæ miraculum proximè

consecuta

consecuta sunt & ex eo evenerunt: nempe primùm collectio fragmentorum, v. 12. & 13. deinde agnitio personæ Christi, & studium creandi eum regem: v. 14. & 15.

DE SECUNDA PARTE.

16 *Ut autem serum* diei *factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare.*

17 *Et ingressi navigium, ibant trans mare versus Capernaum. jam autem tenebræ erant, nec venerat ad eos Jesus.*

18 *Et mare, vento magno flante, insurgebat.*

19 *Provecti vero quasi stadia viginti quinque aut triginta, conspiciunt Jesum ambulantem super mare, & appropinquantem navi, & timuerunt.*

20 *Ille verò dixit eis, Ego sum, nolite timere.*

21 *Cupidè ergo receperunt eum in navigium: & statim navigium pervenit ad regionem in quam ibant.*

Ambulationem Christi super mare descripturus Evangelista, primó exponit ejus occasionem, videlicet navigationem discipulorum, v. 16. & 17. & tempestatem in mari coortam, v. 18. Secundó indicat, subjectum locum, videlicet circiter triginta stadia á Bethsaida, v. 19 h. e. non procul á Capernaum: ut colligitur ex collatione versiculi 17 & 21. Tertió indicat quoddam adjunctum, videlicet conspectum discipulorum, qui conspexerunt eum ambulantem super mare, eod. v. 19. Quartó exponit quandam ambulationis formam, videlicet quód appropinquarit navi, eod. v. Quintó commemorat effectum, videlicet timorem discipulorum, v. eod. cujus timoris causa propinqua fuit, quód putarunt se videre spectrum, ut testantur cæteri Evangelistæ, Matt. 14. 26. Marc. 6. v. 49. Sextó exponit quæ proximè consecuta sunt atque evenerunt, videlicet quomodo Christus eos sit consolatus, vers. 20. & quomodo eum agnitum in navim receperint, & mox ad ripam pervenerint, vers. 21.

DE TERTIA PARTE, ET PRIma ejus particula.

22 *Postero die turba quæ substiterat cis mare, quum vidisset illic non fuisse aliud navigiolum nisi unum illud in quod ingressi fuerant discipuli ejus, & Jesum non introisse cum discipulis suis in illud navigiolum, sed solos ejus discipulos abiisse.*

23 *(Alia verò navigiola Tiberiade venerunt prope locum ubi comederant panem, postquam gratias egisset Dominus:)*

24 *Quum igitur* inquam *vidisset turba Jesum illic non esse, neque discipulos ejus, ingressi sunt & ipsi in navigia, & venerunt Capernaum, quærentes Jesum.*

25 *Et eo invento trans mare, dixerunt ei, Rabbi, quando huc perveniisti?*

Evangelista descripturus concionem Christi, habitam Capernaumi ad Galilæos de pane cælesti seu cibo vivifica: primùm omnium exponit illius concionis occasionem, videlicet studium Galilæorum in Christo sectando, vers. 22. 23. 24. 25. Deinde concionem ipsam commemorat, non quidem perpetua oratione contextam, sed variis auditorum interpellationibus interruptam, á vers. 26. usque ad vers. 59. Postremó exponit ea quæ concionem illam proximè consecuta sunt & ex ea evenerunt, á v. 59. usque ad finem cap.

Porrò in occasione concionis describenda primùm commemorat, quando & ubi post miraculosam illam sui cibationem turba Christum quæsierit, nempe postridie, ad ripam lacus ubi antè appulerat navigiolum quo discipuli jam discesserant, v. 22. Deinde narrat qua opportunitate usi sint, ut venirent Capernaumum & illic Christum quærerent, videlicet opportunitate navigiorum quæ venerant Tiberiade, v. 23. & 24. Tertiò commemorat, quibus verbis Christum inventum salutarint, v. 25.

De secunda particula tertiæ partis.

26 *Respondit eis Jesus, & dixit, Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa sed quia comedistis ex panibus illis, & saturati estis.*

27 *Operemini non cibo qui perit, sed cibo illi qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater obsignavit,* id est, *Deus.*

28 *Dixerunt ergo ad eum, Quid faciemus ut operemur opera Dei?*

29 *Respondit Jesus & dixit eis, Hoc illud est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.*

30 *Dixerunt ergo ei, Quod ergo tu signum edis, ut videamus & credamus tibi? quid operaris?*

31 *Patres nostri comederunt illud manna in deserto: sicut scriptum est, Panem cælestem dedit eis vescendum.*

32 *Dixit ergo eis Jesus, Amen amen dico vobis, non Moses dedit vobis panem illum cælestem: sed Pater meus dat vobis panem illum cælestem verum.*

33 *Panis enim ille Dei, is est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.*

34 *Dixerunt ergo ei, Domine, da nobis semper panem istum.*

35 *Dixit autem eis Jesus, Ego sum panis ille vitæ: qui venit ad me, nequaquam esuriet & qui credit in me, non sitiet unquam.*

36 *Sed dixi vobis, Etiam vidistis me, nec creditis.*

37 *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, nequaquam ejecerim foras.*

38 *Quia descendi è cælo ut faciam non voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.*

39 *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me,* id est Patris, *ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.*

40 *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui conspicit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: ego verò suscitabo eum ultimo illo die.*

41 *Murmurabant ergo Judæi de eo, quia dixerat, Ego sum panis ille qui è cælo descendit.*

42 *Et dicebant, Nónne hic est Jesus, filius ille Joseph, cujus nos novimus patrem & matrem? quomodo ergo dicit iste, E cælo descendi?*

43 *Respondit ergo Jesus & dixit eis, Ne murmurate inter vos.*

44 *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: ego verò suscitabo eum ultimo illo die.*

45 *Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me.*

46 *Non quòd Patrem viderit quisquam, nisi is qui est à Deo; hic vidit Patrem.*

47 *Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.*

48 *Ego sum panis ille vitæ.*

49 Patres

49 *Patres vestri comederunt manna in deserto, & mortui sunt.*

50 *Hic est panis ille qui è cælo descendit, ut qui eo vescitur non moriatur.*

51 *Ego sum ille panis vivificus qui è cælo descendit. si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.*

52 *Pugnabant ergo Judæi alii adversus alios, dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad vescendum?*

53 *Dixit ergo eis Jesus, Amen amen dico vobis, nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis.*

54 *Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego excitabo eum in ultimo illo die.*

55 *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

56 *Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.*

57 *Sicut misit me vivens ille Pater, & ego vivo per Patrem: ita etiam qui ederit me, vivet ipse quoque per me.*

58 *Hic est panis ille qui de cælo descendit: non prout comederunt Patres vestri manna, & mortui sunt. qui ederit hunc panem, vivet in æternum.*

In hac concione Christi duæ potissimùm quæstiones explicantur: una, quisnam sit nobis vitæ æternæ author, seu cujus beneficio vitam æternam consequamur: nempe beneficio Christi: altera, quomodo vitam æternam à Christo percipiamus, nempe per fidem in ipsum. Hæ duæ quæstiones promiscué hîc tractantur, & variè illustrantur: sicut in contextu ordine exponendo sigillatim videbimus.

26 *Respondit*] Primó omnium reprehendit Christus in hac turba Galilæorum, perversum ipsorum studium in se quærendo: quòd nimirum se quærant ventris ac vitæ terrenæ causâ, non autem causâ doctrinæ suæ miraculis á se confirmatæ, ac proinde vitæ æternæ, cujus consequendæ rationem docebat. Deinde v. 27. hortatur eos ad studium vitæ æternæ: simúlque docet, per quem vita æterna à Deo detur, nempe per ipsum quatenus est mediator à Deo constitutus.

28 *Dixerunt ergo*] Occasione verborum CHRISTI quæstionem proponunt de bonis operibus, videlicet quænam sint opera Dei, hoc est, quæ Deus exigit, quæque ei placent. Hujus quæstionis occasionem arripiunt ex verbo ἐργάζεσθε, id est operari, quo usus fuerat Christus. Interim verò non attendunt ad mentem seu sensum verborum Christi, nimirum eum loquutum esse de studio vitæ æternæ per fidem in ipsum adipiscendæ.

29 *Respondit*] CHRISTVS ita ad quæstionem illorum respondet, ut simul sensum verborum antè á se dictorum declaret. In qua responsione inprmis observanda est mutatio numeri. Galilæi enim quærebant numero plurali *de operibus Dei*: at Christus respondet numero singulari *de opere Dei*, & quidem uno certo atque insigni opere, quod notat articulus. q. d. Omnia opera quæ DEO placent, continentur uno hoc opere, quod est, Credere in Christum quem Deus misit. qui enim in hunc credit, is ex hac fide etiam alia opera DEO placentia faciet. Atque adeó absque hac fide nullum hominis opus Deo placet. Vocatur ergo hîc fides opus, occasione quæstionis á turba propositæ: quia est opus quoddam seu operatio cordis.

Porró in occasione concionis describenda primùm commemorat, quando & ubi post miraculosam illam sui cibationem turba Christum quæsierit, nempe postridie, ad ripam lacus ubi antè appulerat navigiolum quo discipuli jam discesserant, v. 22. Deinde narrat qua opportunitate usi sint, ut venirent Capernaumum & illic Christum quærerent, videlicet opportunitate navigiorum quæ venerant Tiberiade, v. 23. & 24. Tertiò commemorat, quibus verbis Christum inventum salutarint, v. 25.

De secunda particula tertiæ partis.

26 *Respondit eis Jesus, & dixit, Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa sed quia comedistis ex panibus illis, & saturati estis.*

27 *Operemini non cibo qui perit, sed cibo illi qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater obsignavit,* id est, *Deus.*

28 *Dixerunt ergo ad eum, Quid faciemus ut operemur opera Dei?*

29 *Respondit Jesus & dixit eis, Hoc illud est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.*

30 *Dixerunt ergo ei, Quod ergo tu signum edis, ut videamus & credamus tibi? quid operaris?*

31 *Patres nostri comederunt illud manna in deserto: sicut scriptum est, Panem cælestem dedit eis vescendum.*

32 *Dixit ergo eis Jesus, Amen amen dico vobis, non Moses dedit vobis panem illum cælestem: sed Pater meus dat vobis panem illum cælestem verum.*

33 *Panis enim ille Dei, is est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.*

34 *Dixerunt ergo ei, Domine, da nobis semper panem istum.*

35 *Dixit autem eis Jesus, Ego sum panis ille vitæ: qui venit ad me, nequaquam esuriet & qui credit in me, non sitiet unquam.*

36 *Sed dixi vobis, Etiam vidistis me, nec creditis.*

37 *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, nequaquam ejecerim foras.*

38 *Quia descendi è cælo ut faciam non voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.*

39 *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me,* id est Patris, *ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.*

40 *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui conspicit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: ego verò suscitabo eum ultimo illo die.*

41 *Murmurabant ergo Judæi de eo, quia dixerat, Ego sum panis ille qui è cælo descendit.*

42 *Et dicebant, Nónne hic est Jesus, filius ille Joseph, cujus nos novimus patrem & matrem? quomodo ergo dicit iste, E cælo descendi?*

43 *Respondit ergo Jesus & dixit eis, Ne murmurate inter vos.*

44 *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: ego verò suscitabo eum ultimo illo die.*

45 *Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me.*

46 *Non quòd Patrem viderit quisquam, nisi is qui est à Deo; hic vidit Patrem.*

47 *Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.*

48 *Ego sum panis ille vitæ.*

49 Patres

49 *Patres veſtri comederunt manna in deſerto, & mortui ſunt.*

50 *Hic eſt panis ille qui è cælo deſcendit, ut qui eo veſcitur non moriatur.*

51 *Ego ſum ille panis vivificus qui è cælo deſcendit. ſiquis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.*

52 *Pugnabant ergo Judæi alii adverſus alios, dicentes, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad veſcendum?*

53 *Dixit ergo eis Jeſus, Amen amen dico vobis, niſi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis.*

54 *Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego excitabo eum in ultimo illo die.*

55 *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.*

56 *Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.*

57 *Sicut miſit me vivens ille Pater, & ego vivo per Patrem: ita etiam qui ederit me, vivet ipſe quoque per me.*

58 *Hic eſt panis ille qui de cælo deſcendit: non prout comederunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt. qui ederit hunc panem, vivet in æternum.*

In hac concione Chriſti duæ potiſſimùm quæſtiones explicantur: una, quiſnam ſit nobis vitæ æternæ author, ſeu cujus beneficio vitam æternam conſequamur: nempe beneficio Chriſti: altera, quomodo vitam æternam á Chriſto percipiamus, nempe per fidem in ipſum. Hæ duæ quæſtiones promiſcué hîc tractantur, & variè illuſtrantur: ſicut in contextu ordine exponendo ſigillatim videbimus.

26 *Reſpondit*] Primó omnium reprehendit Chriſtus in hac turba Galilæorum, perverſum ipſorum ſtudium in ſe quærendo: quòd nimirum ſe quærant ventris ac vitæ terrenæ causâ, non autem causâ doctrinæ ſuæ miraculis á ſe confirmatæ, ac proinde vitæ æternæ, cujus conſequendæ rationem docebat. Deinde v. 27. hortatur eos ad ſtudium vitæ æternæ: ſimúlque docet, per quem vita æterna á Deo detur, nempe per ipſum quatenus eſt mediator á Deo conſtitutus.

28 *Dixerunt ergo*] Occaſione verborum CHRISTI quæſtionem proponunt de bonis operibus, videlicet quænam ſint opera Dei, hoc eſt, quæ Deus exigit, quæque ei placent. Hujus quæſtionis occaſionem arripiunt ex verbo ἐργάζεσθε, id eſt operari, quo uſus fuerat Chriſtus. Interim verò non attendunt ad mentem ſeu ſenſum verborum Chriſti, nimirum eum loquutum eſſe de ſtudio vitæ æternæ per fidem in ipſum adipiſcendæ.

29 *Reſpondit*] CHRISTVS ita ad quæſtionem illorum reſpondet, ut ſimul ſenſum verborum anté á ſe dictorum declaret. In qua reſponſione inprmis obſervanda eſt mutatio numeri. Galilæi enim quærebant numero plurali *de operibus Dei*: at Chriſtus reſpondet numero ſingulari *de opere Dei*, & quidem uno certo atque inſigni opere, quod notat articulus. q. d. Omnia opera quæ DEO placent, continentur uno hoc opere, quod eſt, Credere in Chriſtum quem Deus miſit. qui enim in hunc credit, is ex hac fide etiam alia opera DEO placentia faciet. Atque adeó abſque hac fide nullum hominis opus Deo placet. Vocatur ergo hîc fides opus, occaſione quæſtionis á turba propoſitæ: quia eſt opus quoddam ſeu operatio cordis.

30 *Dixerunt*] Hic Judæi insignem suam malitiam ac perversitatem produnt: quippe qui jussi in Christum credere, recusant hoc argumento, quòd is Messiam se esse nullo idoneo miraculo probet. At pessimi ac perversissimi homines jam plurima & maxima Domini miracula viderant, & nuper ex miraculo cibationis sui in deserto ipsum esse Messiam agnoverant, ac diserté inter se professi fuerant, atque etiam hac fide moti regem eum creare voluerant. Qui fit ergo quód nunc novum aliquod miraculum á Domino postulant, quo se e Messiam esse testatum faciat? Nempe quum ventri & commodis terrenis addicti sint, petunt continuationem miraculosæ illius cibationis & omnino commodorum terrenorum. Id quod satis intelligitur ex verbis sequentibus, nam v. seq. 31. objiciunt Domino exemplum miraculosæ illius cibationis patrum in deserto sub ductu ac ministerio Mosis. Meminerant autem ex Deut. 18. Mosen promisisse Messiam talem qui futurus esset propheta ipsi similis: unde promissionem illam sup. vers. 14. ad Jesum accommodabant, nempe quód putarent similitudinem hanc in eo positam fore, ut Messias ipsos miraculosè pasceret, sicut Moses veterem populum miraculosé paverat in deserto.

32 *Dixit*] Quoniam Judæi allegarant manna, tanquam cibum cælestem atque eximium, cujus nimirum fruitione beati fuerint ipsorum patres: Dominus hunc errorem reprehendit, monens, cibum illum verè cælestem á cujus fruitione vita æterna pendeat, non fuisse manna, sed esse seipsum, quatenus á Patre donatus sit mundo Mediator.

33 *Panis enim*] Quod dixit, probat á definitione. Syllogismus sic potest formari: Is qui de cælo descendit & dat vitam mundo, est panis ille Dei, seu panis ille verè cælestis. At panis quem vobis nunc dat pater meus, est is qui de cælo descendit & dat vitam mundo: nempe ego. Ergo panis quem vobis nunc dat Pater meus, est panis ille vere-cælestis.

34 *Dixerunt*] Judæi audito, Dominum promittere panem quendam vivificum, petunt illum sibi dari, idque semper. Putant autem Christum loqui de pane quodam corruptibili & corporibus alendis destinato, qualis erat Manna. unde petunt talem panem sibi dari semper: Sicut olim Moses (vel potiùs Deus per Mosen) per totos quadraginta annos Manna dabat quotidie. Ruditas hæc vel potiùs stupor in intelligendis verbis Christi, similis est illi mulieris Samaritanæ sup. 4 15. ubi quum Dominus aquam quandam spiritualem promisisset, quam qui biberet, in æternum non sitiret: excipit mulier: Domine, da mihi aquam istam, ut non sitiam, neque veniam huc ad hauriendum. Sed stupor iste simul conjunctus est cum malitia: quippe sapiunt ista verba ironiam, qua Domino insultant, quasi non possit id præstare quod petunt.

35 *Dixit*] Christus nihil moratus istorum stuporem & malitiam, apertè docet ac profitetur, se esse panem illum cælestem, de quo loquebatur. Quem autem antè vocavit panem cælestem, ratione loci unde descendit: eum nunc appellat panem vitæ ratione effecti quem panis ille in credentibus producit. Vitam autem intelligit spiritualem & æternam, quæ consistit in sensu paterni favoris Dei erga nos. Simul etiam tradit modum hujus panis edendi, nempe per fidem. Qui enim credit, Deum sibi reconciliatum esse per Christum, is spiritualem vitam ex hac fide ac sensu favoris Dei percipit. Effectum autem hujus cibi, id est vitam illam spiritualem, amplificat ab adjuncta æternitate. Item eundem effectum illustrat distributione contrarii, qua mortem spiritualem, id est, sensum iræ Dei & inde

existentem

exiſtentem cruciatum, partim fami, partim ſiti comparat. Etenim Chriſtus non ſolúm panis ſeu cibi, ſed etiam potus rationem habet: cibi quidem, ratione crucifixæ ſuæ carnis: potus verò, ratione effuſi ſui ſanguinis: ut ipſe declarat inf. v. 55. & 56.

36 *Sed*] Doctrinæ ſubjungit reprehenſionem auditorum: quos reprehendit ob incredulitatem; quam amplificat antitheſi cauſæ corrumpentis, nempe miraculorum ab illis conſpectorum, unde cum eſſe Meſſiam facilé poterant colligere.

37 *Quicquid*] Quia Judæis exprobravit incredulitatem loquens de maxima eorum parte: ne iſto exemplo offenderentur pii & ab ipſo deterrerentur, monet incredulitatē iſtorū non obſtare aut impedire poſſe, quó minús in ſe credant aliqui: ſin.úlq; docet quinam illi ſint, nempe ii qui ſibi dati ſeu donati ſint á Patre, h.e. quos Pater ab æterno elegit in Chriſto ad vitam æternam, hoc eſt, ut per Chriſtum conſequantur vitam æternam: quo ipſo innuit, fidem non oriri ex viribus liberi arbitrii, ſed ex gratuita electione DEI. Simul etiam monet, quomodo ipſe erga credentes ſit affectus, & quomodo eos velit excipere, nempe benevolé ac benigné. Deinde v. 38. hanc ſuam erga electos & credentes benevolentiam probat á fine ſeu ſcopo ſui adventus, id eſt ſuæ incarnationis: quem eſſe dicit hunc, ut faciat voluntatem ſui patris, id eſt, ut exequatur mandatum á Patre ſibi datum, fungens nimirum officio redemtoris. Tum v. 39. & 40. ſententiam hanc plurib. verbis declarat, ſalvandos deſcribēs primúm ab electione, v. 39. deinde á fide v. 40.

41 *Murmurabant ergo*] Hic exponit Euangeliſta eventum, quid ſcilicet ex doctrina Chriſti modó propoſita evenerit, nempe murmur Judæorum, ortum ex incredulitate: cujus incredulitatis cauſam exponit, videlicet argumentum á diſparatis, quod concluditur iſto enthymemate: Hic Jeſus ortus eſt é terra, quippe quum ſit filius Joſephi & Mariæ: Ergo non deſcendit é cælo. Apud Euangeliſtam loco antecedentis ponitur ejus probatio. Hoc enthymema nititur falſa hypotheſi, id eſt falſa propoſitione quæ reticetur, nempe, Nemo é terra ortus, ortus eſt etiam é cælo. Hæc enunciatio etſi vera eſt de omnib. aliis hominib. tamen non eſt vera de filio Dei incarnato: Is enim & é terra ortus eſt ſecundúm carnem, & é cælo ſecundúm deitatem. Quin & aſſumtio ex parte falſa eſt, nempe quatenus affirmat Jeſum eſſe filium Joſephi. Concepit enim eum Maria non ex Joſepho marito, ſed ex Spiritu ſancto, id eſt operatione ſingulari Spiritus ſancti.

45 *Reſpondit*] Dominus eos dehortatur ab iſto murmure: ſimúlque incredulitatis eorum cauſam altiorem exponit, videlicet quód non trahantur ſeu audiant ac diſcant á Patre, h. e. quód á Deo non illuminentur virtute Spiritus ſancti. Eādem autem operā exponit cauſam procreantem fidei, videlicet tractum Patris, h. e. illuminationem per Spiritum ſanctum. Deinde fidei fructum exponit, nempe vitam æternam: ut ita ad fidem invitet argumento ab effecto utili, v. 44. Tum v. 45. doctrinam hanc ſuam de fidei cauſa procreāte cōfirmat teſtimonio Prophetę Eſaiæ. Syllogiſmus ita cōcluditur:

Quicunque veniunt ad me, id eſt credunt in me, eos neceſſe eſt trahi á Patre, id eſt audire á Patre ac diſcere.

At vos non trahimini á Patre, &c.

Ergo non venitis ad me, ſeu non creditis in me.

Propoſitio enunciatur bis: primúm verſ. 44. *Nemo poteſt, &c.* deinde v. 45. *Quiſquis ergo*. Sed hæc poſterior ſententia non poteſt accommodari ſyllogiſmo propoſito, niſi converſa ſimpliciter: aliās. n. fieret ſyllogiſmus ex aſſumptione

assumptione seu minore negante in prima figura. *Propositio* syllogismi confirmatur testimonio Esaiæ. Assumtio omittitur. Conclusionis sententia latet in illa dehortatione, *Ne murmurate.*

46 *Non quod*] Prolepsis. Nam quia dixerat, eos demum venire ad se qui á Patre audiverint ac didicerint: ne quis putet, quenquam á Patre audire ac discere extra Christum, admonet, se solum esse qui immediatè á Patre audierit ac didicerit, per se autem tanquam mediatorem á Patre discere cæteros.

47 *Amen*] Reperit doctrinam paulo-antè traditam, nempe se esse panem vivificum, & hunc panem edi fide. v.47.& 48. Deinde hanc doctrinam amplificat antithesi mannę v.49.& 50. Tum qua ratione sit panis vivificus, specialiùs declarat, nempe quatenus caro ejus crucifixa est pro nostra vita. h.e. ad vitam nobis promerendam.

52 *Pugnabant*] Rursus eventum commemorat qui ex doctrina Domini secutus est; nempe incredulum murmur, quanquam simul notatur aliquorum fides: quum aliâs non fuisset pugnæ locus. Pugnabant autem, nimirum aliis doctrinam Domini approbantibus, aliis veró damnantibus.

53 *Dixit*] Christus nihil moratus incredulorum offensionem, doctrinā suam cum asseveratione repetit, & summam illius credendæ necessitatem exponit. Intelligit autem esum suæ carnis & potum sui sanguinis, qui fit fide in promissionem Euangelii de carne ejus crucifixa & sanguine ejus effuso pro nostra vita, id est ad promerendum nobis vitam. Qui enim huic promissioni credit, ejus cor suavissimo tanquam cibo ac potu recreatur, ne fame & siti spirituali, id est cruciatu ex sensu iræ Dei contra peccata orto, contabescat.

54 *Qui edit*] Commoratur in eadem doctrina, eamque pluribus verbis exponit usque ad v. 59.

De tertia particula tertiæ partis.

59 *Hæc dixit in synagoga, quum doceret in Capernaum.*

60 *Multi ergo ex discipulis ejus* his *auditis dixerunt, Durus est hic sermo: quis potest eum audire?*

61 *Sciens autem Jesus apud se discipulos suos de hoc murmurare, dixit eis, Hoc vos offendit?*

62 *Quid si igitur spectaveritis Filium hominis ascendentem eò ubi erat priùs?*

63 *Spiritus est id quod vivificat, caro non prodest quicquam: verba quæ ego loquor vobis, spiritus sunt & vita sunt.*

64 *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. noverat .n. à principio Jesus quinam essent qui non credebant, & quis eum proditurus esset.*

65 *Et dicebat, Propterea dixi vobis neminem posse venire ad me nisi fuerit ei datum à Patre meo.*

66 *Ex eo tempore multi discipulorum ejus pedem retulerunt, nec amplius cum eo versabantur.*

67 *Dixit ergo Jesus duodecim illis, Num & vos vultis abire?*

68 *Respondit ergo ei Simon Petrus, Domine, ad quem abibimus? verba vitæ æternæ habes.*

69 *Et nos credidimus & cognovimus, te esse Christum illū Filium Dei viventis.*

70 *Respondit eis Jesus, Nonne ego vos duodecim elegi? & tamen unus ex vobis est diabolus.*

71 *Loque-*

71 *Loquebatur autem de Juda Simonis filio Iſcariota. futurum enim erat ut hic proderet eum, quum eſſet unus ex illis duodecim.*

Sequitur tertia particula tertiæ partis capitis, videlicet de iis quæ concionem Chriſti conſecuta ſunt, & ex ea evenerunt. Quid igitur ex doctrina illa Chriſti conſolationis pleniſſima, de cibo ſcil. vitæ æternæ, evênit? Nempe offenſio ac murmur multorum, quib. doctrina illa dura & auditu moleſta eſt viſa, v. 60. & 61. Sed quid agit Dominus, iſto murmure animadverſo? Primùm oſtendit argumento á majori, eos non habere juſtam offenſionis cauſam: quippe qui ne tum quidem offendi deberent doctrina hac Chriſti de neceſſitate edendi ipſius carnem & bibendi ipſius ſanguinem, ſi carnem ſuam & ſanguinem ſuum per aſcenſionem in cælum, quam-longiſſimé ab eis removiſſet atque ſuſtuliſſet, v. 62.

Deinde doctrinam ſuam declarat, & craſſum illorum errorem de carnis ſuæ comeſtione reprehendit: admonens, vim vivificandi non ineſſe carni ſuæ carnaliter comeſtæ, ſed comeſtæ ſpiritualiter: quatenus nimirum per efficaciam Spiritus ſancti creditur data eſſe pro noſtra vita: v. 63. Tum addit querelam de incredulitate multorum, v. 64. Contráque illam ſe conſolatur conſideratione arcanæ voluntatis Dei, v. 65. Poſtea v. 66. exponit Evangeliſta alterum eventum qui evênit ex illa doctrina Chriſti, ſuperiore deteriorem: nempe quód multi diſcipulorum prorſus á Domino defecerunt. Qua occaſione Dominus é duodecim Apoſtolis quærit, an & ipſi deficere velint, v. 67. Ad quam interrogationem Petrus communi nomine reſpondens, egregiam tum de doctrina, tum de perſona & officio Chriſti confeſſionem edit, ver. 68. & 69. Quam confeſſionem Dominus ita approbat, ut interim admoneat de hypocrita inter ipſos latente: nempe de Juda proditore: quẽ Diabolum vocat, propterea quód Diaboli ſervus eſſet, v. 70. & 71.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 *Trans mare.* πέραν τῆς θαλάσσης. Id eſt, trans lacum: ut eum vocat Plinius lib. 5. & Joſephus Antiq. Jud. lib. 18. cap. 3. Nempe trans ſinum illius lacus interjacentem inter Tiberiadem & Bethſaida: pervênit enim ad locum deſertum oppidi Bethſaida: ut colligitur ex collatione narrationis Lucæ cap. 9. v. 10. Quód igitur dicitur abiiſſe trans mare Galilæę, non de latitudine illius lacus intelligendum eſt, ſed de ſinu quodam citeriore: quum oppida iſta Tiberias & Bethſaida in eodem tractu, idque cis lacum reſpectu Hieroſolymæ, ſita fuerint: ut ex tabula Geographica patet. Eſt igitur hîc ſynecdoche integri.

Quod eſt Tiberiadis. τῆς τιβεριάδος. Supplementum additum eſt perſpicuitatis cauſa: ut intelligatur, genitivum τῆς Τιβεριάδος non pendêre á genitivo proxime præcedente, τῆς Γαλιλαίας, ſed á genitivo remotiore τῆς θαλάσσης. Porró totus ille lacus aliâs nominabatur lacus Geneſareth (Luc. 5. ver. 1.) ſed qua parte ad illum ſita erat Tiberias, ab illa denominabatur mare Tiberiadis, ut hic & infrá cap. 21. v. 1. Fuit autem Tiberias urbs Galilææ ab Herode condita, & ſic appellata in honorem Tiberii Cæſaris: teſte Joſeph. Antiq. Jud. lib. 18. cap. 3.

2 *Sequebatur.* ἠκολούθει. Nempe itinere pedeſtri: ut meminit Matthæus cap. 14. ver. 13. Unde colligere promtum eſt, Jeſum trajeciſſe tantúm ſinum lacus citeriorem: ut obſervavimus paulo anté ad v. 1. *Turba multa.* ὄχλος πολὺς. Nempe ex omnibus urbibus Galilææ. Matth. 14. v. 13. Marc. 6. v. 33. *Signa.* σημεῖα. Id eſt, miracula quæ ſunt ſigna vocationis, nempe teſtimonia

ſtimonia divina quibus Deus ſignificat ac teſtatur, ſe ad docendum miſiſſe perſonam illam per quam miracula illa facit. Hæc autem ſigna narrat Lucas cap.6 7.& 8. *In ægrotis*, Nempe ſolo verbo ſanandis.

3 *In montem*, εἰς τὸ ὄρος. Id eſt, in montem ejus loci. Articulus enim eſt ἀναφορικός. Intelligit autem montem prope Bethſaida qui erat deſertus: ut intelligitur ex Luc.9. v.10. *Conſedit cum diſcipulis*. Nempe quietem illis ad tempus conceſſurus: ut teſtatur Marcus cap.6.v.31.

6 *Tentans eum*. περιάζων αὐτόν. Id eſt, experiri volens ejus fidem, vel potiús in apertum proferre ejus diffidentiam.

Sciebat. ᾔδει. Id eſt, jam apud ſe conſtituerat. *Quid eſſet facturus*. Nempe ſe miraculosé turbam cibaturum: ita ut panes emere non eſſet opus.

7 *Ducentorum denariorum*. διακοσίων δηναρίων. Denarius valet quindecim nummos Argentinenſes, id eſt octavam partem floreni continentis baciis quindecim, quem vulgó florenum Francofurdenſem nominant Ergo octo denarii valent florenum unum. nam octo nummi Argentinenſes faciunt bacium unum. Ducenta autem ſunt vicies & quinquies octo. Ergo ducenti denarii ſunt floreni vigintiquinque. Jam ſi ſingulis capitibus tribuas panem unius nummi Argentinenſis: tum quindecim capitibus cedent panes unius denarii. Denarius enim (vt diximus) valet quindecim nummos Argentinenſes. Ergo panes ducentorum denariorum cedent ter mille capitibus. At fuerunt quinquies mille viri, præter mulieres & pueros, Matth. 14.v.21. Unde colligitur, ſingulis minus ceſſurum fuiſſe quám panem dimidii nummi Argentinenſis: Etenim mulieres ac pueros ultra mille fuiſſe credibile eſt. Atque hoc eſt illud βραχὺ, quod Philippus commemorat.

9 *Piſciculos*. ὀψάρια. Reliqui tres Euangeliſtæ vocant ἰχθύας, id eſt piſces. Porró nomen ὀψάριον Latiné ſonat opſoniolum: eſt enim diminutivum á nomine ὄψον, id eſt opſonium: quo nomine intelligitur omne cibi genus quod unâ cum pane comedimus, & pani quaſi condimenti gratia addimus. Sic autem per ſynecdochen generis κατ' ἐξοχὴν appellari ſolent piſces. Et ſic quoque á Terentio in Adelphis piſces vocantur opſonium. Cæterúm nomen ὄψον ortum eſt á verbo ὀπτάω, id eſt aſſo: nam piſcem aſſum ſignificat.

10 *Diſcubuerunt*. ἀνέπεσον. Nempe diſtributi per centenos & quinquagenos, Marc.6.v.40. centenos nimirum in longitudinem, quinquagenos veró in latitudinem: ex qua diſpoſitione extitit figura quam Geometræ vocant ἑτερόμηκες, id eſt, altera parte longius: cujus proportio ſit iſta:

• • • • • • • • • •

• • • • • • • • • •

• • • • • • • • • •

• • • • • • • • • •

• • • • • • • • • •

Hîc decem puncta diſpoſita ſunt in longitudinem, quinq; veró in latitudinem. Eadem autem eſt proportio centum ad quinquaginta, quæ eſt decem ad quinque: videlicet dupla. *Viri quinquies mille*. Abſque mulieribus ac puerulis, Matth.14.v.21.

12 *Expleti*

12 *Expleti sunt.* ἐνεπλήσθησαν. Id est, saturati sunt.

13 *Cophinos.* κοφίνους. Id est, corbes. κοφίνος dictus videtur παρὰ τὴν κυφότητα, a levitate.

14 *Propheta ille.* ὁ προφήτης. Quem scilicet promisit Moses Deut. 18. Hic autem propheta non est vulgaris quispiam propheta, sed eximius, videlicet ipse Messias seu Christus.

15 *Quum cognovisset.* γνὺς. Id est, quum animadvertisset, nempe ex illo sermone eorum quo prædicabant ipsum esse prophetam illum. *Venturos &c.* ὅτι μέλλουσιν ἔρχεσθαι. Id est, eos hoc agere ut venirent & se raperent &c.

15 *Facerent regem.* Existimantes nimirum falsó, Christum fore regem terrenum seu mundanum: quod ipse negat coram Pilato, dicens, Regnum meum non est de hoc mundo.

16 *Descenderunt* Id est, abierunt jussu Domini: ut testantur Matth. cap. 14. v. 22. & Marcus cap. 6. v. 45. *Ad mare.* ἐπὶ τὴν θάλασσαν. Articulus refertur ad mare Tiberiadis, cujus facta est mentio supra versu 1.

17 *Ingressi navigium.* ἐμβάντες εἰς τὸ πλοῖον. nempe navigium illud quo fuerant: advecti ad ripam urbis Bethsaida: quod notatur suprá v. 1. Articulus igitur rursum ἀναφορικὸς est. *Ibant.* ἤρχοντο. Ad verb. Veniebant, id est, proficiscebantur, navigabant. Metonymia causæ, nempe finis. nam ideó navigabant ut venirent Capernaumum. *Trans mare.* πέραν τῆς θαλάσσης. Nempe trans sinum interjacentem inter Bethsaida & Capernaum: ut intelligitur ex verbis sequentibus, εἰς Καπερναούμ. Synecdoche integri, similis illi quæ fuit suprá versu 1. *Erant.* ἐγεγόνει. Factæ fuerant, id est, nox jam advenerat, jam advesperaverat. *Nec venerat ad eos.* Nempe quum solverent Bethsaida, ut unâ navim ingrederetur. Nam quum miraculum sit editú in deserto urbis Bethsaida, Luc. 9 v. 10 probabile est, eos prope illam urbem navim conscendisse. At huic sententiæ videtur repugnare Marcus, qui cap. 6. vers. 45 refert, discipulos á Christo jussos conscendere navigium, & præire Bethsaidam in ulteriorem ripam. Quod si jussi sunt navigare Bethsaidam, non ergo jussi sunt solvere Bethsaida & navigare Capernaumum: quó eos navigasse testatur Johannes. Ad hanc antilogiam tollendam, verba Marci videntur aliter accipienda quám ut modó retulimus. Sunt autem verba Marci illa: καὶ εὐθέως ἠνάγκασε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, καὶ προάγειν εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν. Ubi verba hæc, πρὸς Βηθσαϊδάν, non videntur conjungenda cum verbo proximo προάγειν, ut significetur terminus ad quem fuerit navigandum: sed per trajectionem videntur jungenda cum verbo ἐμβῆναι, ut notetur locus apud quem navim debuerint conscendere. Ac proinde verba illa Marci sic erunt interpretanda: *Et statim coëgit discipulos suos inscendere navigium apud Bethsaidam, & præire in ulteriorem ripam*: id est, in ripam ubi sita erat Capernaum, quæ ripa opposita est ripæ urbis Bethsaida propter sinum interjectum Vel dicendum, illa verba πρὸς Βηθσαϊδάν cohærere cum proxime præcedentibus, deficiente articulo τό: quasi scriptum esset, εἰς τὸ πέραν τὸ πρὸς Βηθσαϊδάν: ac proinde vertendum, In ulteriorem *ripam* Bethsaidæ oppositam: quo modo D. Beza in ultima editione vertit. *Versus Capernaum.* εἰς Καπερναούμ. εἰς pro πρὸς

18 *Mare.* ἡ θάλασσα. nempe mare illud in quo navigabant. hoc notat articulus. *Insurgebat.* διηγείρετο. Excitabatur, vel concitabatur, id est, fluctus existebant in mari, tempestas coorietur.

19 *Pro*

19 *Provecti.* ἐληλακότες. Ad verb. Quum impulissent. scilicet remos navigii: vel potius, quum impulissent navigium remigando. Metonymia efficientis. *Stadia.* στάδιους. Vox Græca e Latina corrupta est mutato genere neutro in masculinum. Stadium authore Plinio, facit centum & viginti quinque passus. Septem stadia & semis, authore Suida, faciunt miliare. Triginta autem in se quater continent septem & semis. Ergo triginta stadia faciunt miliaria quatuor. Viginti autem quinque stadia faciunt miliaria tria, stadia duo & semis. Quare quum hic dicitur, *Quasi stadia viginti quinque aut triginta:* perinde est ac si diceretur, Miliaria tria aut quatuor. Porró hic lacus, authore Josepho lib. 3. de Bello Jud. longus est stadia centum, id est miliaria tredecim, stadia duo & semis: latus verò stadia quadraginta, id est miliaria quinque, stadia duo & semis. *Conspiciunt Jesum.* θεωροῦσι τὸν ἰησοῦν. Nondum tamen agnoscunt: putabant enim se videre spectrum: ut testantur Matthæus & Marcus. *Ambulantem super mare.* Sive mare sub ambulante fuerit consolidatum, ut corpori gravi non cederet: sive corpus ambulantis fuerit in aëre quasi suspensum & virtute divina aut ministerio angelorum sustentatum ne aquis immergeretur: sive deniq; corpus ambulantis ad tempus fuerit glorificatum, ut in monte Matth. 17. Mihi secundus modus maximé probabilis videtur: quum Matthæus testetur, etiam Petrum jussu Domini super mare ambulasse, Matth. 14. v. 29. *Timuerunt.* ἐφοβήθησαν. Terrefacti sunt.

21 *Ego sum.* ἐγώ εἰμι Emphasis est in pronomine *Ego.* nam tacitè opponitur falsæ discipulorum opinioni, putantium se videre non ipsum Christum, sed spectrum mentiens figuram Christi. ait igitur, Ego ipse sum quem videtis: non autem spectrum est, ut vos putatis. Sic Luc. ult. v. 37. 38. 39.

21 *Cupidè ergo receperunt eum.* ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτόν. Ad verbum. Voluerunt igitur recipere eum. ubi una cum voluntate per synecdochen membri intelligendum est ipsum factum. nam quód eum in navim receperint, testantur reliqui Euangelistæ. *Et statim.* Scilicet Christo in navim recepto. *Ad regionem in quam ibant.* Nempe in regionem ubi sita erat Capernaum, ut liquet ex v. 17. *Ibant.* ὑπῆγον. Ad verb. *Subducebant.* scilicet navim. phrasis nautica. Vel ὑπῆγον, scilicet ἑαυτὲς: subducebant se, id est, abibant.

22 *Postero die.* τῇ ἐπαύριον. Subaudi ἡμέρᾳ. id est, die crastino, nam αὔριον significat *Cras.* Sed αὔριον refertur ad personam loquentem: ἐπαύριον verò ad personam de qua quis loquitur: & respondet Latinæ voci *Postridie. Postridie* autem hic intellige, scilicet post miraculosam illam turbæ cibationem in deserto urbis Bethsaidæ: quæ in præcedentibus narrata fuit. *Cis mare.* πέραν τῆς θαλάσσης. Nempe prope urbem Bethsaida, ubi discipuli navim fuerant ingressi & vecti Capernaumum.

23 *Comederant.* ἔφαγον. Nempe pridie: ut patet ex collatione versu. 22. cum v. 16. *Panem.* τὸν ἄρτον. Panem illum. nempe de quo narratum est in præcedentibus. Articulus igitur vim habet ἀναφορικήν.

24 *Illic.* ἐκεῖ. Nempe circa Bethsaidam, in ripa lacus ubi eum quæsierant. *Ingressi sunt & ipsi.* ἐνέβησαν καὶ αὐτοί. Scilicet sicut pridie discipuli ingressi erant navigium quod unicum aderat. *In navigia.* εἰς τὰ πλοῖα. In ista navigia, nempe quæ recens advenerant Tiberiade: ut dictum est v. 23. Conjunctio autem καί, quæ est nota paris, non est hucusque extendenda, ut intelligamus discipulos quoque in ista navigia ingressos fuisse: sed comparatio subsistit in ingressu navium in genere, non autem refertur ad istas naves: discipuli enim alio navigio pridie discesserant.

25 *Trans*

25 *Trans mare.* πέραν τῆς θαλάσσης. nempe Capernaumi, ut patet ex verſu 59. infrá: quó ſcilicet trajecerant é Bethſaida per interjectum ſinum. Vide ſuprá ad verſum 1. *Rabbi.* ῥαββί. Id eſt, magiſter ſeu doctor. Sic dictus á multiplici doctrina, vel á magnitudine authoritatis: á רבב id eſt multiplicavit. *Quando huc pervenisti?* πότε ὧδε γέγονας; Ad verb. Quando hic vel huc factus es. Pro παραγέγονας. Similes phraſes vide ſuprá ver. 19. & 21.

26 *Non quia vidistis signa.* οὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα. Id eſt, Non quia creditis meæ doctrinæ, quam vidiſtis variis & magnis miraculis á me confirmari. Synecdoche metonymica: nam unà cum cauſa intelligitur effectum, id eſt, cum miraculis fides. *Sed quia comedistis ex panibus illis.* ἀλλ' ὅτι ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων. Prima fronte videtur hæc antitheſis implicare contradictionem. Quem enim hi quoque panes cum miraculo conjuncti fuerint, affirmat turbam propter illos ſe quærere: quum tamen modó negarit, illam ſe quærere propter miracula. Sed non eſt contradictio. non enim hic conſiderat illos panes quatenus fuerunt conjuncti cum miraculo, ſed quatenus turba iis fuit ſaturata. hoc enim unum ſpectabant, ut á Domino ſaturarentur. Ideo ait. *Quia comediſtis & ſaturati eſtis. Ex panibus illis.* ἐκ τῶν ἄρτων. De quibus ſuprá v. 11. & deinceps.

27 *Operemini cibo.* ἐργάζεσθε τὴν βρῶσιν. Hoc eſt, Omni opere & ſtudio ſectemini. *Sed cibo illi qui permanet in vitam æternam.* Intelligit carnem ſuam crucifixam: ſicut ipſemet declarat infrá verſu 51. & 55. Hanc igitur occaſione ſermonis inſtituti metaphoricé nominat eſcam ſeu cibum, nempe animæ, unde illa vitam ſpiritualem percipit. *Quem.* τὴν. Scilicet βρῶσιν. ut intelligitur tum ex re ipſa & quæſtione præſenti, tum ex collatione verſiculi 51. ubi ait, Panis quem ego dabo, caro mea eſt. *Filius hominis.* ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Filius ille hominis, nempe promiſſus per prophetas, hoc eſt, Filius Dei unigenitus in carne manifeſtatus. Hæc igitur appellatione notat officium mediatoris. nam ut filius Dei mediator inter Deum & homines eſſe poſſet, ipſum quoque hominem fieri oportuit. Vide 1. Tim. 2. verſu 5. *Dabit vobis.* ὑμῖν δώσει. Videlicet primùm dando carnem ſuam in mortem pro mundi vita, infrá verſu 51. deinde dando illam fruendam & ſpiritualiter edendam electis, per fidem, intercedente efficaci operatione Spiritus ſancti. verſu 63. quarum dationum prior ad meritum, poſterior ad efficaciam Chriſti ſervatoris pertinet. *Obſignavit,* ἐσφράγισεν. Metaphora ſumta ab iis qui quos mittunt, eorum authoritatem obſignato diplomate ſanciunt: ſicut hoc verbum declarat Tremellius apud interpretem Syrum. vel, *Obſignavit,* id eſt, huic rei præſtandæ deſtinavit. Sed prior expoſitio genuina videtur: *Obſignavit,* id eſt, quaſi ſigillo impreſſo approbavit. Eſt metonymia ſimul & metaphora: metonymia ſcilicet effecti deſtinati: nam ex obſignatione intelligitur approbatio & (ut ita dicam) authentiſatio, ad quam obſignatio deſtinata eſt. Metaphora veró á literis ſumta eſt, quæ proprie loquendo obſignantur.

28 *Quid faciemus.* τί ποιῶμεν. Quid faciamus? Modus potentialis. quid fuerit nobis faciendum? *Opera Dei.* τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ id eſt, opera Deo placentia. Sic Pſal. 51. v. 19. ſacrificia Dei vocantur quæ Deo accepta ſunt.

29 *Hoc*

29 *Hoc illud eſt opus Dei, ut credatis.* Ineptiſſimè ſophiſticantur qui hinc concludunt, hominem juſtificari operibus, ſi fides juſtificat, quæ ipſa quoque vocatur opus. Syllogiſmus iſtorum ſic erit:

Fide juſtificamur.
Fides eſt opus.
Ergo operibus juſtificamur.

Primùm plus eſt in concluſione quàm in præmiſſis. Ex præmiſſis enim ſequitur iſta concluſio, *Ergo quodam opere juſtificamur.* Deinde etiam alia ratione plus eſt in concluſione quàm in præmiſſis: quia concluſio iſta ſic intelligitur, quaſi diceretur, nos juſtificari operum merito: at ex præmiſſis nihil aliud ſequitur, quàm nos juſtificari quodam opere, nempe operatione quadam animi, tanquam inſtrumento ac veluti manu qua apprehendimus juſtitiam morte Chriſti partam, ſeu ut magis propriè loquar, qua apprehendimus obedientiam mortis Chriſti quæ nobis in juſtitiam coram Deo imputatur. *Ut credatis ἵνα πιστεύσητε.* Hæc verba pendent à præcedente pronomine τοῦτο, id eſt, *hoc*, per appoſitionem. Hoc, inquit, eſt illud opus Dei. quodnam? Nempe ut credatis &c. ſeu ipſum credere, τὸ πιστεῦσαι. Porrò credere in Chriſtum, phraſi Hebræa idem valet quod Chriſto confidere, ſeu fiduciam ſuam in Chriſto tanquam ſervatore collocare. *In eum quem miſit ille.* εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος. Pro, εἰς ἐκεῖνον ὃν &c. Periphraſis argumentoſa: continet enim rationem cur ſit in ipſum credendum: quia ſcilicet hæc ſit Dei voluntas, quippe qui ſe miſerit in mundum ut eſſet ſervator omnium in eum credentium.

30 *Ut videamus & credamus tibi.* ἵνα ἴδωμεν καὶ πιστεύσωμέν σοι. Id eſt, ut miraculo Meſſia digno, vel Meſſiæ proprio, conſpecto: credamus te eſſe Meſſiam, ac proinde te confidamus.

31 *Patres.* οἱ πατέρες. Id eſt, majores: οἱ προγονοι. Synecdoche ſpeciei. *Comederunt illud manna.* τὸ μάννα ἔφαγον. id eſt, panem illum cæleſtem, qui nimirum cælitus pluebat. Manna Syriacè & Chaldaicè, Hebraicè dicebatur Man: de quo vide Exo. 16. v. 15. & 32. Num. 11. v. 7. & 8. Erat tenue quiddam & rotundum: tenue ſicut pruina, ſimile ſemini coriandri, album, colore bdellii (id eſt gummi arboris bdellii, quod eſt tranſlucidum, ſimile ceræ, teſte Plinio Nat. hiſt. lib. 12. cap 9.) ſapore cruſtuli melliti, ſimulque olei præſtantiſſimi: quod quotidie mane depluebat in agros & à populo colligebatur, variéque coquebatur. Vocem ipſam interpretantur alii Deſtinatum, alii Præparatum: quòd eſſet cibus populo Iſraëlitico à Deo deſtinatus & præparatus. Sed videtur iſtud nomen accepiſſe à pronomine מה mah. id eſt, *Quid?* idque ex eventu. quia quum Iſraëlitæ illud primum conſpexiſſent, nec quid eſſet ſcirent: dixerunt אמר מה man hu: quod videntur (fortaſſis idiomate Ægyptio) dixiſſe pro אמר מה mah hu: id eſt. *Quid eſt hoc?* Hanc interpretationem confirmat partim cauſſa iſtorum verborum: quæ fuit, quòd ignorarent, quid eſſet: partim reſponſio Moſis, quid cebat, tanquam ad illam interrogationem reſpondens: Hoc eſt panis ille quem vobis Jehova dat ad comedendum. *Sicut ſcriptum eſt* Scilicet Pſalm. 78. v. 24. *Panem cæleſtem dedit eis.* ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Scilicet καταβαίνοντα, deſcendentem: ſubaudito quoque articulo τὸν ante ἐκ. Ideò interpres vertit *cæleſtem*, ad tollendum ambiguitatem: ne hæc verba, *è cælo*, jungerentur cum verbo *dedit*. quanquam ad ſenſum parum intereſt. In Hebræo ſic habetur: Frumentum cælorum dedit eis: (ſcilicet Jehova) panem robuſtorum (id eſt, angelorum) comêdit vir. ubi Man vocatur frumentum, quòd præberet uſum frumenti:

frumenti: cœlorum autem frumentum dicitur, quòd è cœlis deplueret. denique panis angelorum nominatur, quòd ministerio angelorum suppeditaretur: vel quòd tam præstans cibus esset, ut vel angeli, si cibum caperent, eo delectarentur. Cui expositioni videtur favere antithesis, ubi ait Moses, Panem *angelorum* edit *vir*, id est homo.

32 *Panem illum cœlestem.* τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Pro, τὸν ἄρτον τὸν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. scilicet τὸν ἀληθινὸν: ut intelligitur ex antithesi, ubi istud epitheton est expressum. Neque enim hic intelligit manna, quod per Mosen datum esse constabat: sed loquitur de cibo per manna significato, id est de seipso servatore mundi. Sententia igitur hujus versiculi est: Panis ille vere-cœlestis, non est manna quod Deus dedit per Mosen: sed is est ille panis vere-cœlestis, quem DEUS nunc vobis dat, donando scilicet vobis me, filium suum unigenitum. *Verum.* τὸν ἀληθινὸν. Verum illum. Similis est phrasis infrà capite 15. vers. 1. ἐγώ εἰμι ἄμπελος ἡ ἀληθινὴ, Ego sum vitis illa vera. Verum autem panem cœlestem intellige, qui hoc nomen inprimis meretur ac vere cœlestis est: quum è summo illo cœlo descenderit, v. 33. non autem ex infimo isto, id est aëre, unde pluebat manna. Simul etiam veritas videtur opponi typo seu figuræ: quasi dicat, Quod olim per manna fuit præfiguratum, id nunc verè ac reipsa esse exhibitum, nempe seipsum. Sic nomen veritatis accipitur sup. ca. 1. v. 17. ubi Euangelista ait, Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Jesum Christum exstitit. Sic Heb. 8. v. 2. verum tabernaculum (id est, corpus Christi) opponitur Mosaico tanquam typo.

33 *Panis ille Dei.* ὁ ἄρτος τοῦ θεοῦ. Id est, quem Deus dat. vel potiùs, Cujus esus Deo inprimis placet. nam etiam manna dederat Deus. *Qui descendit.* ὁ καταβαίνων. Enallage temporis, pro ὁ καταβεβηκὼς vel ὁ καταβὰς, ut colligitur ex collatione versus 38. & 51. infrà. Loquitur autem de seipso, sicut ipse mox exponit v. 35. Quòd autem ait, se de cœlo descendisse, rectè intelligendum est. Neq; enim ita descendit ut cœlum reliquerit & locum mutârit: sed ut in terra naturam humanam assumserit, atque ita Deus in carne manifestatus sit. Ubi observandum, aliam esse rationem ascensionis Domini in cœlum. Etenim ascendit in cœlum ita ut mundum reliquerit, ac proinde locum mutârit secundum humanam naturam. Hujus diversitatis ratio est diversa ratio personæ de qua utrumque dicitur. nam quum illa de cœlo descendit, tantùm erat Deus: quum autem ascendit, erat etiam homo. *Vitam.* ζωὴν. Scilicet æternam: ut intelligitur ex collatione v. 39. & 40. *Mundo.* τῷ κόσμῳ. Hoc est, omnibus electis omnium populorum per totum mundum dispersorum. Hoc opponit errori Judæorum: qui putabant, Messiam proprium esse Judæorum, ad reliquos populos nihil pertinere. Sic suprà cap. 1. v. 23. & cap. 3. v. 16. & cap. 4. v. 42.

34 *Da nobis &c.* Similis petitio erat illa mulieris Samaritanæ, suprà cap. 4. v. 15. *Semper.* πάντοτε. quasi dicant: non semel tantùm & iterum, sed quotidie: ut fecit olim Moses.

35 *Panis ille vitæ.* ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς. Id est, vivificus. Loquitur autem de vita spirituali quæ oritur ex sensu favoris Dei, conciliati nobis morte Christi: quam vitam Paulus Rom. 14. vers. 17. nominat gaudium in Spiritu S *Qui venit ad me.* ὁ ἐρχόμενος πρός με. Qui credit in me: ut ipse mox declarat in membro opposito. *Nequaquam esuriet.* Id est, non cruciabitur fame illa spirituali, hoc est, anxietate illa quæ existit ex sensu iræ Dei contra peccata. *Non sitiet.* Id est, non cruciabitur siti illa spirituali, nempe illa ipsa quam modò dixi anxietate. Vel, *Non esuriet, non sitiet:* id est, nihil veræ

felicitatis ei deerit. Metaphora & synecdoche speciei.

36 *Dixi.* εἶπον. Nempe suprà v.26. ut liquet ex versiculi illius expositione quam attulimus. *Etiam vidistis me, nec creditis.* καὶ ἑωράκατέ με, καὶ οὐ πιστεύετε. Id est, quanquam vidistis me, tamen non creditis. *Vidistis.* Id est, cognovistis me esse Messiam: suprà v.14.

37 *Quicquid dat, &c.* πᾶν ὃ δίδωσι &c. Hoc dicit ad se consolandum contra istorum incredulitatem, de qua modò fuerat questus. quasi dicat: Veruntamen etsi vos non credatis in me: hoc tamen me consolatur, quòd omnes electi in me credituri sunt. *Quicquid.* Id est, Quoscunque. Synecdoche generis. *Dat.* δίδωσι. Id est, donat, nimirum pro æterno suo decreto eos eligens in me ad vitam æternam. *Pater.* ὁ πατὴρ. pater meus, nempe Deus. *Ad me veniet.* Id est, in me credet: ut vers.35. *Nequaquam ejiciam foras.* Id est, Non repudiabo, sed benevolè excipiam & in æternum servabo. λιτότης.

38 *Descendi è cœlo.* Id est, homo factus sum, incarnatus sum. *Non voluntatem meam.* Id est, Non id quod ego volo. Scilicet, sicut vos putatis, me agere pro meo libitu, absque mandato Dei. Etenim his verbis perstringit falsam opinionem incredulorum.

39 *Non perdam.* μὴ ἀπολέσω. Id est, non sinam perire, sed servem. *Suscitem* ἀναστήσω. nempe ad gloriam cœlestem & vitam æternam. Synecdoche generis. *In ultimo illo die* Nempe die judicii universalis.

40 *Qui conspicit Filium.* ὁ θεωρῶν τὸν υἱόν. Id est, qui eum agnoscit ex ipsius miraculis & doctrina. *Credit in eum,* πιστεύων εἰς αὐτόν. Id est, Confidit eo ut servatore suo. *Habeat.* ἔχῃ Nempe quum primùm credit. *Vitam æternam.* In hac quidem vita ex parte, in altera verò perfectè. Vide 1.Cor.13.in fine: item 1 Johan.3.v.2.

41 *De eo.* περὶ αὐτοῦ. Nempe de Jesu, id est, propter eum, vel contra eum.

42 *Nonne.* οὐχ. Quasi dicant, Maximè, omnino. *Quomodo ergo dicit.* Id est, Minimè ergo verum est quod dicit.

43 *Venire ad me* ἐλθεῖν πρός με. Id est, credere in me: ut vers.35. *Traxerit.* ἑλκύσῃ. Id est, mentem ejus illuminarit ac mutarit, atque ita ex nolente volentem effecerit. Falsum est enim illud quod vulgo jactatur, ὁ θεὸς τὸν βουλόμενον ἕλκει, Deus volentem trahit. At, inquam, qui vult: is non trahitur, sed ducitur. Deus autem ita trahit nolentes, ut ex nolentibus reddat volentes: ac proinde quos primùm traxit, eosdem postea ducit. de quo ductu loquitur Paulus Roman.8. ubi ait, Qui ducuntur spiritu Dei, sunt filii Dei. Tractus autem metaphora intelligi illuminationem mentis, declarat ipse Dominus versu sequente, ubi ait, Quisquis ergo audivit à Patre, & didicit.

45 *In Prophetis.* ἐν τοῖς προφήταις. Id est, in altera sectione Scripturæ qua continentur prophetæ. Extat autem hoc testimonium in Esaia. Synecdoche integri. *Et erunt, &c.* καὶ ἔσονται. Sunt verba Prophetæ ad Ecclesiam Novi testamenti seu Christianam: *Et omnes filii tui edocti erunt a Jehova. Omnes.* πάντες. Nempe filii Ecclesiæ. hos enim Propheta expressè nominat. Filii autem Ecclesiæ sunt electi. *Docti à Deo.* διδακτοὶ τοῦ θεοῦ. Id est, δεδιδαγμένοι ὑπὸ θεοῦ. Nomen verbale hic æquipollet participio: non autem notat δύναμιν παθετικὴν τοῦ διδάσκεσθαι: id est, non significat dociles, sed edoctos. In Hebræo item est nomen verbale למודים limmudim. Apud Apostolum 1.Thess.4. extat compositum θεοδίδακτοι. *Audivit à Patre.* ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρός. Hoc fit, quum Pater per Spiritum sanctum efficax est

est in prædicatione Euangelii, ut verbum gratiæ seu promissionem Euangelii intelligamus & credamus. Huc pertinet illud, Qui habet aures ad audiendum, audiat. *Venit ad me.* ut sup. v. 35.

46 *Non quod.* οὐχ ὅτι. Elliptica locutio: pro, Non dico hoc, quòd. Confer Rom. 9. v. 6. *Viderit* ἑώρακε. Id est, cognoverit: nempe extra Christum mediatorem. Verbo *Videndi* idem significat quod versu præcedente verbis *audiendi* & *discendi*. Sic suprà cap. 1. v. 18. Deum nemo vidit unquam, &c. *Is qui est à Deo* ὁ ὢν παρὰ τοῦ θεοῦ. Id est, qui ortus est ex Deo, unigenitus ille filius Dei. *Hic vidit Patrem.* Id est, cognovit mentem Patris, & arcanum ejus consilium de nostra salute nobis exponit. Synecdoche membri.

49 *Patres vestri.* οἱ πατέρες ὑμῶν. Nota quòd dicit, *vestri*: non autem, *nostri*. Sic enim non solùm se eximit è vulgo Judæorum: sed innuit, ipsos similes esse patrum suorum, nempe incredulos. nam eum loqui de incredulis, perspicitur ex eo, quòd affirmat, eos esse mortuos. quod quidem de morte æterna ut intelligatur, antithesis postulat. Sic Paulus 1. Cor. 10. vers. 5. ait, Deum pleroſque patrum non approbasse: quippe quos prostraverit in deserto. Confer etiam Matth. 23. v. 30. 31. 32. *Comederunt & mortui sunt.* ἔφαγον καὶ ἀπέθανον. Id est, quanquam comederunt, tamen mortui sunt, nempe morte æterna. Sic enim intelligi postulat antithesis.

50 *Hic.* οὗτος. Id est, οὗτος δὲ. hic autem. subaudi ὁ ἄρτος. nempe de quo ego loquor: videlicet ego ipse. Se enim opponit mannæ ut panem. *Ut qui eo vescitur, non moriatur.* ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ φάγῃ καὶ μὴ ἀποθάνῃ. Adverb. Ut quis ex eo vescatur & non moriatur: id est, ut quis ex eo vescens non moriatur: id est, non pereat morte æterna.

51 *Ille panis vivificus.* ὁ ἄρτος ὁ ζῶν. Pro hoc dixit suprà vers. 48 ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, panis ille vitæ. Ergo ζῶν hic positum est pro ζωοποιῶν: sicut & præcedentia & sequentia satis declarant. *Quem ego dabo.* ὃν ἐγὼ δώσω Scilicet edendum: ut intelligitur ex versu sequente. Dat autem Christus se edendum animabus fidelium, per prædicationem Euangelii & operationem Spiritus S. *Caro mea.* ἡ σάρξ μου. id est, corpus meum. *Quam ego dabo.* ἣν ἐγὼ δώσω. hoc est, quatenus eam dabo. nempe crucifigendam. Neque enim duplicem carnem habuit Dominus, quarum unam crucifigendam dederit, alteram non dederit. Non ergo distinguit inter duplicem carnem: sed modum declarat, quo unica illa sua caro futura fuerat panis, id est cibus vivificus. Sic in institutione sacræ cœnæ, quum dicitur, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: exponendum, Quatenus pro vobis datur. *Pro vita.* ὑπὲρ τῆς ζωῆς. Id est, propter vitam. scilicet promerendam. *Mundi.* κόσμου. Id est, omnium credentium in toto mundo. Christus enim propriè loquendo est servator corporis sui, id est, Ecclesiæ: Eph. 5. v. 23. Alias nomine mundi intelliguntur reprobi: de quibus ait, Pro mundo non rogo: infr. c. 17. v. 9.

52 *Pugnabant.* ἐμάχοντο. Nempe verbis. hoc est, disceptabant inter se: διελογίζοντο: quo verbo alibi utuntur Euangelistæ. *Quomodo.* πῶς. Observa, dissimile huic esse illud *Quomodo* virginis Mariæ, Luc. 1. vers. 34. Maria enim cupit doceri: at Judæi hoc loco repudiant doctrinam tanquam falsam, imò impossibilem. *Carnem suam* τὴν σάρκα. Scilicet τὴν ἑαυτοῦ.

53 *Nisi ederitis carnem, &c.* Id est, Nisi credideritis, carnem meam crucifixum iri, & sanguinem meum effusum iri, in remissionem peccatorum vestrorum. *Non habetis vitam.* Nempe vitam illam spiritualem: per quam hoc loco nihil aliud significatur quàm lætitia orta ex gustu favoris Dei, quem Christus sua morte nobis conciliavit.

54 *Qui edit carnem meam, &c.* Id eſt, Qui credit carnem meam pro ſe crucifixam iri aut eſſe, & ſanguinem meum pro ſe effuſum iri vel eſſe.

Excitabo. ἀναστήσω. Faciam ut ſurgat, nempe ad vitam æternam: ut ſuprà verſu 44.

55 *Verè.* ἀληθῶς. Veritatis epitheto notat hujus cibi præſtantiam, quippe quo alimur ad vitam æternam: ſimul etiam veritatem opponit typo, nempe mannæ. Sic infrà cap. 15. v. 1. Ego ſum vitis illa vera. *Cibus.* βρῶσις. Nempe cibus ſpiritualis: cibus mentis, non ventris. Metaphora. Sic quod ſequitur de potu.

56 *In me manet.* ἐν ἐμοὶ μένει. Nempe per fidem, qua mihi inſitus eſt ut palmes viti, infrà cap. 15. & ex conſequenti per dilectionem, quippe quæ ex fide manat. *Et ego in eo.* κἀγὼ ἐν αὐτῷ. Scilicet maneo: nempe per Spiritum ſanctum, per quem in eo habito ex dilectione: infrà capite 14. v. 23. Epheſ. 3. verſu 17.

57 *Vivens ille Pater.* ὁ ζῶν πατήρ. Videtur vertendum, *Vivificus*: ut ſuprà v. 51. Atque hoc videtur poſtulare ſententia proximè ſequens, Et ego vivo per Patrem. *Qui ederit me.* ὁ τρώγων με. Hoc idem valet atque illud quod modò dixit, *Qui edit carnem meam.* Etſi enim fides rectâ intuetur carnem crucifixam: tamen intelligit, vim meriti pendêre a dignitate perſonæ: quippe quæ eſt Deus. Unde Act. 20. v. 28. ait Paulus, Deum ſuo ſanguine acquiſiviſſe ſibi Eccleſiam. & Johannes 1. Johan. 1. verſ. 7. Sanguis Jeſu Chriſti *filii ejus* purgat nos ab omni peccato. Sic Paulus rurſum 1. Cor. 2. verſ. 8. Dominum gloriæ crucifixerunt.

59 *In ſynagoga.* ἐν συναγωγῇ. Nomen Græcum ſignificat congregationem. Sic autem nominatur hoc loco domus ubi congregari ſolebant Judæi ad audiendam recitationem atque explicationem Scripturarum: per metonymiam adjuncti vel cauſæ finalis: nam congregatio in domo fiebat, & domus congregationi deſtinata erat.

60 *Durus.* σκληρός. Id eſt, moleſtus auditu. Metaphora καταχρηστικὴ à rebus tactilibus, quæ duritie ſua moleſtæ ſunt tactui. Sed cur durus ei videbatur & horrorem incutiebat iſte Chriſti ſermo de edenda ejus carne & bibendo ejus ſanguine? Quia accipiebant eum in ſenſu literali, ſeu ſequebantur τὸ ῥητὸν, ac proinde ſomniabant κρεωφαγίαν & αἱματοπωσίαν: atq; interim negligebant verborum illorum διάνοιαν, quæ conſtitit in metaphora: quæ adhibita & animadverſa, doctrinam hanc longe-ſuaviſſimam reddit credentibus. Nam quemadmodum cibus ore comeſus, tollit famem, eámque tollendo hominem recreat: item quemadmodum potus ore hauſtus, tollit ſitim, eámque tollendo hominem recreat; ita caro Chriſti crucifixa, dum comeditur fide; & ſanguis Chriſti effuſus, dum bibitur fide; tollit famem & ſitim animæ, hoc eſt, cruciatũ ortum ex ſenſu defectus juſtitiæ, ac proinde ex ſenſu iræ Dei contra injuſtitiam; & cruciatum illum tollendo, recreat cor gaudio in Spiritu ſancto, ex ſenſu favoris Dei, per meritum Chriſti nobis placati. *Qui poteſt eum audire.* τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν. Nempe æquo animo, quaſi dicant: Quis non meritò hoc ſermone offendatur? quis enim non abhorreat à κρεωφαγίᾳ.

61 *Sciens autem.* εἰδὼς δὲ. Quum autem cognoviſſet, vel animadvertiſſet. *De hoc.* περὶ τούτου. Id eſt, ob hanc rem, ob hunc ſermonem. *Hoc vos offendit.* τοῦτο ὑμᾶς σκανδαλίζει; Interrogatio hæc vim habet admirandi & ſimul dehortandi. quaſi dicat: Miror vos offendi hoc ſermone: certè non debeatis eo offendi.

62 *Quid*

62 *Quid ſi igitur.* ἐὰν οὖν. Ellipſis pronominis τί. pro τί οὖν ἐὰν, &c. Sicut Rom.9.verſ.22.quaſi dicat: Quid igitur faceretis, ſi conſpiceretis, &c. hoc eſt, quanto magis tunc offenderemini apparente abſurditate verborum meorum? ut qui dicam, carnem meam neceſſarió edendam eſſe ad vitam æternam conſequendum: quæ tamen tunc in cælos erit recepta, ut videatur in terris edi non poſſe. Hanc puto ſimplicem ac genuinam eſſe ſententiam iſtorum verborum, quæ quidem ex ipſa ratione loquendi & ſententiarum cohærentia deducta eſt.

Eó ubi erat priùs. ὅπου ἦν τὸ πρότερον. Id eſt, in cælum. Sed quomodo filius hominis priùs (videlicet ab æterno) erat in cælo? Nempe non quatenus erat filius hominis, quia tum nondum erat homo: ſed quatenus erat filius Dei. Dictum per communicationem idiomatum: ut illud ſuprá cap. 3.verſ.13.

63 *Spiritus eſt id quod vivificat.* τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν. Id eſt, ſpiritus ſanctus eſt is qui efficit vitam illam ſpiritualem de qua dixi: dum ſcilicet in cordibus electorum creat fidem qua caro mea editur. *Caro.* ἡ σὰρξ. Pro, ἡ σὰρξ δὲ, caro autem: nempe ἡ ἐμὲ, id eſt mea: de qua locutus ſum ſuprá verſ. 51. 53. &c. Intellige, Carnaliter comeſa, de quali comeſtione Capernaitæ Chriſtum loqui putabant. Similis autem ellipſis fuit ſuprá v. 52. τὴν σάρκα. ſcilicet τὴν ἑαυτοῦ. Articulus habet vim ἀναφορικὴν. Etenim de carne Chriſti inciderat quæſtio, An illa poſſet edi: & an comeſa prodeſſet ad vivificandum? vide ſuprá verſ.52.& deinceps. Quidam exponunt ipſum vocabulum Carnis de carnali intellectu, quo ſcilicet putatur, carnem Chriſti edendam eſſe carnaliter. Sed ſic nomine Spiritus (propter antitheſin) eſſet intelligendus intellectus ſpiritualis, id eſt quo intelligitur, carnem Chriſti edendam ſpiritualiter. At hic intellectus non vivificat: quippe qui etiam in reprobos cadit: Non igitur vera eſt illa expoſitio. *Non prodeſt quicquam.* οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν. Scilicet ad vivificandum, hoc eſt vitam efficiendum in cordibus electorum. Sic exponi poſtulat antitheſis. Interim verò non negatur, carnem Chriſti profuiſſe plurimùm ad vitam nobis promerendam: nempe quatenus data eſt pro mundi vita: id quod Chriſtus docuit ſuprá v.51. *Verba quæ ego loquor vobis.* τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λελάληκα ὑμῖν. Emphaſis eſt,& tacita antitheſis,in vocabulo *Verba*.quaſi dicat: Non ipſa *caro* mea carnaliter comeſa: ſed *verba* quæ de carne mea paulo antè locutus ſum, videlicet illam datum iri pro mundi vita, ſuprá verſ.51. *Spiritus ſunt & vita ſunt.* πνεῦμά ἐστι καὶ ζωή ἐστι. Id eſt, organum ſunt per quod Spiritus vitam operatur, quatenus nimirum per illa operatur fidem. quo ſenſu Petrus (huc fortaſſe reſpiciens) nominat *verba vitæ æternæ*.infrá v.68.

64 *Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt.* Quaſi dicat: Sed Spiritus ſanctus non vivificat omnes, non eſt efficax in omnibus qui doctrinam Euangelii de vita æterna per mortem meam acquirenda audiunt: etenim quidam ex vobis non credunt. quippe fides eſt illud ipſum quod Spiritus ſanctus in cordibus audientium Euangelium efficit, quóque illa vivificat. *Noverat enim.* ᾔδει γάρ. Scilicet tanquam καρδιογνώστης: ſuprá cap.2.verſ. 24.& 25.

A principio. ἐξ ἀρχῆς. Hoc eſt, quum primùm cœpit docere & diſcipulos nanciſci. *Qui nam eſſent.* τίνες εἰσὶν. Nempe é diſcipulis ſuis fidem profitentibus. *Et quis, &c.* καὶ τίς, &c. Quaſi dicat: Neque hoc ſolùm noverat, qui non credebant: ſed etiam quis eum proditurus eſſet, nempe Judas Iſcariotes.

65 *Et dicebat.* καὶ ἔλεγε. Nempe ad consolandum tum seipsum, tum discipulos credentes. *Dixi vobis.* εἰρηκα ὑμῖν. Nempe suprà vers. 44. *Nisi fuerit ei datum.* ἐαν μὴ ἦ δεδομένον αὐτῷ. Sic alibi Apostolis ait. Vobis datum est noisse mysteria regni cælorum. Et sic Paulus Ephes. 2. fidem ait esse donum Dei. Observandum autem, Dominum his tribus loquendi formulis promiscué & ad idem significandum uti, nempe, *Trahi á Patre*, suprà vers. 44. *Audire ac discere á Patre*, suprà vers. 45. &, *Datum alicui esse á Patre*, hoc loco, *A Patre*, ἐκ τῦ πατρός. ἐκ pro ὑπὸ. Sic Roman. 11. vers. ultimo.

66 *Ex eo tempore.* ἐκ τότε. Scilicet, χρόνε. *Pedem retulerunt.* ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω. Adverb. Abierunt versus ea quæ retrò sunt. Hebraïs. hoc est discessionem fecerunt á Christo, seu defecerunt ab eo, nolentes eum amplius pro suo magistro ac præceptore agnoscere. *Nec amplius.* καὶ οὐκέτι. Epexegesis.

67 *Num & vos vultis abire?* Non interrogat, quasi ignoret, quid facturi sint: sed ut eliciat eorum confessionem.

68 *Respondit Simon Petrus.* Nempe omnium nomine, tanquam os Apostolorum: ut Matth. 16 vers. 15. & 16. *Ad quem abibimus?* Id est. Quem alium præceptorem quæremus, te derelicto? Interrogatio innuit negationem cum significatione amoris erga dominum. quasi dicerent: Mi domine, nullius est quem meritò adire & sequi debeamus: sed potiùs constanter tibi adhærere nos decet; quippe qui *verba vitæ æternæ habes*, hoc est, conferentia vitam æternam credentibus, tanquam organa per quæ Spiritus S. fidem operatur. Sic Rom. 1. vers. 16. item 1. Timot. 4. vers. ult. Confer 1. Cor. 3 v. 5. 6. 7 9.

69 *Et nos.* καὶ ἡμεῖς. Id est. *Et inde nos.* nempe ex verbis tuis.

70 *Elegi.* Nempe ad apostolatum, nam diabolus ille Judas Iscariotes ad vitam æternam electus certò non erat. *Et tamen unus.* καὶ εἷς. Cohæret hæc sententia cum præcedente per enuntiatum discretum. *Diabolus.* διάβολος. Id est, similis diabolo, vel, filius diaboli; sicut ait infrà cap. 8. v. 44. Vos ex patre diabolo estis.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. 6.

DE PRIMA PARTE.

I. Ex v. 2. Studium discendi doctrinam cælestem in hac turba, quæ Christum sequuta est, ad imitandum nobis proponitur. Pudeat ergo nos nostræ ignaviæ, qui ad conciones sacras in propinquo haberi solitas vix ægré accedimus.

II. Ex v. 5. 6. 11. Deus victum necessarium procurat iis qui verbo ipsius cognoscendo sunt dediti. Non ergo est quod putemus, tantum rei familiari nostræ decedere, quantum temporis cognoscendæ doctrinæ cælesti tribuimus. Frequentare cætus sacros non remoratur rem familiarem: Elemosynas dare non reddit pauperem. Christus, Matt. 6. ait, Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & ista (nempe quæ ad victum pertinent) adjicientur vobis.

III. Ex vers. 7. & 9. Ratio humana diffidit, quum non vidit ad manum usitata

uſitata media,ut hic Philippus & Andreas diffidunt ſaturari poſſe turbam, quum ſentiunt ſe deſtitui pecunia ad emendum ſufficientes panes. Huic diffidentiæ remedii loco opponenda eſt promiſſio Dei, Neq; enim ſolo pane vivit homo,ſed omni verbo quod egreditur ex ore Dei,Matth.4.

IV. Ex v.11. Quoties cibum veſcendi cauſa attingere volumus, á gratiarum actione & precib.inchoare debemus.ſic enim cibus nobis(1.Timo.4.5.) ſanctificatur,hoc eſt,uſus ejus nobis purus redditur. Graviſſimé igitur peccant qui dona Dei abſq; ulla cogitatione Dei devorant:non ſecus ac porci, quorum capita licet ſub quercubus obruantur glandibus, nunquam tamen illa attollunt ſpectatum unde iſte cibus decidat.

V. Ex ver 12. & 13. Fragmenta & reliquiæ ciborum diligenter ad futuram neceſſitatem aſervandæ ſunt : non autem projiciendæ fiducia providentiæ & curæ Dei pro nobis.

VI. Ex v.13. Obſervandum, hîc ex quinque panibus remanſiſſe duodecim cophinos fragmentorum : quum Matth.15.37.ex ſeptem panibus remanſerint tantúm ſeptem ſportæ fragmentorum.Hinc perſpicitur, vim alendi non in quantitate cibi,ſed in benedictione Dei ſitam eſſe.Hinc Deus Ezech.4.16.& 14.13,minatur,ſe fractum baculum panis : id eſt ademturum ei vim alendi:ut licet pane multo veſcamur,tamen non ſaturemur. Semper igitur petamus benedictionem Dei : quæ ſola,ut Salomon ait, divites facit. Prov.10 22.

VII. Ex v.14.& 15. Non eſt ſatis niti promiſſionibus divinis, niſi eas rectè intelligamus. Erravit enim hæc turba, quód exiſtimavit,Chriſtum fore regem terrenum : etſi rectè judicarint hunc Jeſum eſſe promiſſum illum Meſſiam & regem populi Dei.

VIII. Ex v.15.Quum regnum Chriſti non ſit de hoc mundo: ne pudeat nos unà cum Chriſto pompam ac ſplendorem terrenum fugere, eóque carere,ſi Deo in humili vitæ ſtatu nos collocare viſum fuerit.

DOCTRINAE EX SECUNDA parte.

I. Ex v.18.& 21. Quód diſcipuli Chriſti tempeſtate in mari aliquandiu jactantur,& pauló póſt ex periculo illo á Chriſto liberantur, exemplum eſt & imago conditionis ſeu ſtatus Eccleſiæ in hoc mundo: quippe quæ ſubinde perſecutionum tempeſtatibus jactatur, & tamen Chriſto in tempore per medias tempeſtates accedente,ſalva in portum perducitur;ſi non ſemper ſecundúm corpus,at ſemper ſecundúm animam :quippe quam tyranni occidere non poſſunt,nec ei felicitatem æternam adimere:qua ſuo tempore etiam corpora piorum fruentur.

II. Ambulatio Chriſti ſuper mare,teſtimonium eſt deitatis ipſius: quia propria virtute ambulavit ſuper mare. Petrus enim ambulavit quidem & ipſe ſuper mare,teſte Matthæo: ſed virtute Chriſti, cujus juſſu ambulavit: quo juſſu incluſa erat promſſio conſervationis:cui promiſſioni quum ille inciperet fidem derogare, tertius vehementiori vento, cœpit mergi : ſed tamen á Domino retentus & conſervatus eſt.

III. Inepti ſunt, qui ex ambulatione Chriſti ſuper mare concludunt, corpus Chriſti poſſe eſſe ubique putantes nimirum, ratiocinationem procedere à pari ſeu ſimili: quia ſcilicet ambulatio ſuper mare, non minús

repugnet naturæ corporis humani, quám ubiquitas. At, inquam, ista valde dissimilia sunt. nam ambulatio super aquas non tollit essentiam corporis: quam tollit ubiquitas. quod enim ubiq; est, id infinitum sit oportet: quod autem infinitum est, id corpus esse non potest: quum solius Dei (qui Spiritus est) essentia infinita sit.

IV. Quód discipuli conspecto Christo putantes se videre spectrum, extimescunt: exemplum est infirmitatis humanæ. Oritur autem ille timor ex conscientia peccati. Itaque vincitur & vincendus est fide in Christum peccatorum nostrorum expiatorem.

V. Quód eádem voce Christi hic eriguntur discipuli, qua infrá 18.6. prosternuntur famuli sacerdotum: discriminis causa est, quód Christus reprobis & incredulis judex est missus in exitium, electis veró & credentibus datus est propitiator ac servator. Sic eodem calore solis emollitur cera & induratur lutum. Sic Euangelium est odor vitæ ad vitam credentibus: & odor mortis ad mortem, incredulis. 2. Corinth. 2. vers. 15. & 16.

DOCTRINAE EX TERTIA parte.

I. Ex v. 26. & 27. Studium præcipuum hominis esse debet studium vitæ æternæ, non autem commodorum terrenorum. Hinc ait Christus Matth. 6. 33. Quærite primó regnum Dei & justitiam ejus: & ista omnia (nempe victus & amictus) adjicientur vobis.

II. Ex v. 29. Summa pietatis posita est in fide Christiana. nam qui veré in Christum credit, is per hanc fidem filius Dei effectus, ex filiali erga Deum timore studebit ei placere secundúm omnia ipsius præcepta. Hinc illud Pauli ad Hebræos 11. v. 6. Sine fide impossibile est placere Deo. Item Gal. 5. 6, Fides per charitatem agens.

III. Ex vers. 32. 33. 35. 39. 40. 47. 48. 50. 51. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 63. Christus á Patre nobis donatus & pro nobis crucifixus, est nobis in eum credentibus panis vivificus: quippe qui & sua morte vitam nobis est promeritus expiatis nostris peccatis, & suo Spiritu vitam in cordibus nostris creavit per fidem.

IV. Ex vers. 36. 37. 44. 45. 65. Fides Christiana non est omnium, nec oritur ex viribus liberi arbitrii: sed est donum Dei singulare seu peculiare electis: Confer 2. Thes. 3. vers. 2. Tit. 1. v. 1. Act. 13. v. 48. Ephes. 2. vers. 8. 1. Cor. 2. vers. 14.

V. Ex vers. 37. 39. 40. Vera fides in Christum conjuncta est cum dono perseverantiæ. Itaque certa & immota est credentium salus. Hinc Dominus dixit Petro, Oravi pro te, ne deficeret fides tua. quod idem pro omnibus veré credentibus & ad finem usque mundi credituris fecit Johan. 17. vers. 20 & 21.

VI. Ex vers. 46. Nemo illuminatur cognitione Dei nisi per & propter Christum: nempe propter meritum illius, & per spiritum illius, efficaciter in prædicatione Euangelii operantem.

VII. Ex v. 51. 53. 54. 55. 56. 63. Caro Christi crucifixa pro nobis, est nobis cibus vivificus: quia quum sit personaliter unita filio Dei, æquivalens precium fuit ad satisfaciendum pro omnium electorum peccatis quæ huic

carni

carni fuerant á Deo impoſita: Et ita ad reconciliandum nobis Deum: qui nobis reconciliatus, dat nobis Spiritum ſanctum, per quem vitam æternam in nobis efficit. Hic autem cibus non niſi fide, tanquam ore animæ, edi poteſt. Apponitur autem edendus in promiſſione Euangelii. Atque etiam in ſacramentis: ſed non tanquam in vaſculis, ſed tanquam ſigillis ad promiſſionem Euangelii appenſis.

IIX. Ex ver. 60. Non eſt hærendum ſemper in literali ſenſu verborum Chriſti: ſed ſenſus verborum ex analogia fidei, ex antecedentib. & conſequentibus, & ex collatione aliorum ſcripturæ locorum, & maximé eorum in quib. eadem doctrina traditur, pia meditatione indagandus eſt. Fuit enim Chriſto familiare ut metaphoris ex re nata deductis doctrinam cæleſtem proponeret; ut liquet tum ex hoc ſermone cui occaſionem præbuit ſtudium paſcendi ventrem in Judæis: tum ex colloquio illo cum muliere Samaritana, ubi Spiritum ſanctum aquæ comparat: tum denique ex compluribus aliis ejus ſermonibus.

IX. Ex v. 51. & 63. Chriſtus vivificus eſt dupliciter: nempe partim ratione meriti, partim ratione efficaciæ. Merito ſuo vivificus eſt, quia carnem ſuam dedit crucifigendam atque occidendam pro mundi vita, hoc eſt, ad vitam promerendum omnibus in toto mundo electis: cujus meriti vis ex dignitate perſonæ pendet, ut liquet ex dictis Act. 20. 28, 1. Johan. 1. 7, 1. Cor 2. 8. Efficacia autem ſua vivificus eſt, quia per Spiritum ſanctum vitam in cordibus electorum, & jam merito ſuæ mortis Deo reconciliatorum, creat, illuminando ſcilicet ea fide, atque ita ipſos ſibi tanquam vites palmiti & membra capiti inferendo, & renovando ad timorem Dei: Vide Gal. 2. 20.

X. Ex v. 41. 52. 60. 66. 70. 71. Non debemus offendi, aut in dubium vocare veritatem doctrinæ cæleſtis: ſi videamus multos illi obmurmurare, aut illam oppugnare, aut illa offendi, aut denique prorſus ab illius profeſſione deficere, aut etiam doctores veritatis á falſis fratribus ſæpe prodi: nam hæc omnia ipſi Chriſto docenti evenerunt. Vide inf. 15. v. 18. 19. 20.

XI. Ex v. 68. Euangelii doctrina eſt organum, quo Deus efficit vitam æternam in cordibus electorum: quatenus nimirum in illis gignit ſeu creat fidem in Chriſtum. Vide Rom. 1. 16. item 10. 17, 1. Tim. 4. 16, 1. Cor. 3. v. 5. 6. 7. 9.

XII. Ex v. 69. Fides Chriſtiana duo ſumma capita continet: unum de perſona Chriſti, quód is non ſolúm homo ſit, ſed etiam Deus, nempe filius Dei unigenitus: alterum de officio hujus perſonæ, quód hæc perſona ſit Chriſtus, id eſt, promiſſus ille ſervator mundi: qui ut ſummus Eccleſiæ propheta arcanam voluntatem Patris de æterna noſtra ſalute é ſinu patris protulit, nobiſque expoſuit: & ut ſummus ſacerdos corpus ſuum ad expiandum noſtra peccata in ara crucis obtulit, próque nobis oravit, & adhuc in cæleſti ſanctuario coram facie Patris pro nobis apparet: denique ut rex noſter ad dextram Dei ſedens, potenter nos contra noſtros hoſtes, nempe diabolos, tyrannos & carnem ſeu peccatum nobis inhærens, tuetur, & Spiritu ſuo corda noſtra regit per verbi prædicationem & uſum Sacramentorum.

ANALYSIS

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

In hoc capite narrat Euangeliſta, quid acciderit Domino Hieroſolymis in feſto ſcenopegiæ: nempe quód ei inſidiati ſint primores populi, ſed fruſtra: quód varia de eo fuerint judicia populi: quód liberé in templo docuerit, ſuæque doctrinæ authoritatem aſſeruerit: reprobos Judæos impietatis arguerit: opus ſuum in ægroto illo ſup. cap. 5. ſanato editum defenderit: diſceſſum ſuum ac deſertionem ingrato populo minatus ſit: credentibus autem Spiritum ſanctum promiſerit. Sicut deinceps ſigillatim videbimus. Capitis hujus quatuor ſunt partes.

I. Sermo cognatorum cum ipſo habitus ante feſtum, uſque ad v. 11.

II. Sermo populi de eo in feſto, antequam ſe conſpiciendum præberet. v. 11. 12. 13.

III. Sermo ipſius in templo habitus cum Judæis feſto jam medio, á verſ. 14. uſque ad verſic. 37.

IV. Sermo ipſius habitus ad populum die feſti ultimo, uná cum eventu, á v. 37. uſque ad fin.

DE PRIMA PARTE.

1 *VErſabatur autem Jeſus poſt hæc in Galilæa; nolebat enim in Judæa verſari, quia ſtudebant eum Judæi trucidare.*

2 *Propè autem erat feſtum Judæorum, ſcenopegia.*

3 *Dixerunt igitur ad eum fratres ejus, Digredere hinc & vade in Judæam, ut tui quoque diſcipuli ſpectent opera tua quæ facis.*

4 *Nemo enim in occulto facit aliquid, & quærit ipſe celebris eſſe: ſi hæc facis, patefacito teipſum mundo.*

5 *Nam ne fratres quidem ejus credebant in eum.*

6 *Dicit ergo eis Jeſus, Tempus meum nondum adeſt: tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.*

7 *Non poteſt mundus vos odiſſe: me autem odit, quoniam ego teſtor de eo, opera ejus mala eſſe.*

8 *Vos aſcendite ad feſtum hoc: ego nondum aſcendo ad hoc feſtum, quia tempus meum nondum impletum eſt.*

9 *Hæc autem quum eis dixiſſet, manſit in Galilæa.*

10 *Ut aſcenderunt autem fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad feſtum, non manifeſtè, ſed velut in occulto.*

Primis decem verſibus deſcribit Euangeliſta, quomodo Chriſtus ex Galilæa aſcenderit Hieroſolymam ad feſtum ſcenopegiæ. Ac primo verſu exponit cauſam, cur tamdiu in Galilæa commoratus ſit: nempe ad evitandas inſidias Judæorum. Verſu ſecundo indicat tempus, cujus occaſione cognati Chriſti eum hortati ſunt, ut in Judæam iret, nempe inſtans feſtum. Ver. 3. & 4. commemorat quibus verbis eum hortati ſint cognati ut ſe patefaceret in feſto. V. 5. monet quo animo iſta dixerint, nempe malo: quippe qui in eum non credebāt. V. 6. 7. 8. commemorat, quomodo Dominus

nus recuſarit ſuis cognatis obſequi. Ver. 9. & 10. narrat, quando & quomodo ad feſtum aſcenderit.

DE SECUNDA PARTE.

11 *Judæi ergo quærebant eum in feſto, & dicebant, Ubi eſt ille?*

12 *Et muſſitatio multa erat in turba de eo. alii quidem dicebant,* Vir *bonus eſt: alii autem dicebant,* Non: *ſed turbam ſeducit.*

13 *Nullus tamen palàm loquebatur de eo, propter metum Judæorum.*

Deinceps narrat, quid Chriſto acciderit á Judæis qui erant in feſto, antequam eum vidiſſent. Ac primùm quomodo eum quæſierint, v. 11. deinde quám varia fuerint de eo judicia, v. 12. tum, cur non auſi ſint palám de eo loqui, v. 13.

DE TERTIA PARTE.

14 *Feſto autem jam medio aſcendit Jeſus in templum, ac docebat.*

15 *Et mirabantur Judæi, dicentes, Quomodo iſte literas novit, quum non didicerit?*

16 *Reſpondit eis Jeſus, & dixit, Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me.*

17 *Siquis voluerit ejus voluntatem exequi, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.*

18 *Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui miſit ipſum, hic verax eſt, & injuſtitia in eo non eſt.*

19 *Nónne Moſes dedit vobis Legem? & tamen nemo ex vobis præſtat Legem. quid me ſtudetis trucidare?*

20 *Reſpondit turba & dixit, Dæmonium habes: quis te ſtudet trucidare?*

21 *Reſpondit Jeſus & dixit eis, Unum opus edidi, & omnes miramini.*

22 *Attamen Moſes dedit vobis circunciſionem (non quód ex Moſe ſit, ſed eſt ex Patribus) & Sabbato circunciditis hominem.*

23 *Si circunciſionem accipit homo Sabbato, ut ne ſolvatur Lex Moſis, mihi indignamini quód totum hominem ſanum fecerim Sabbato?*

24 *Ne judicate ſecundum ſpeciem, ſed juſtum illud judicium ferte.*

25 *Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymitanis, Nónne hic eſt quem ſtudent trucidare?*

26 *At ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt: nímnam verè cognoverunt primores, hunc verè eſſe Chriſtum illum?*

27 *Sed novimus unde hic ſit: quum autem venerit Chriſtus, nemo cognituruſ eſt unde ſit.*

28 *Clamabat ergo Jeſus in templo, docens ac dicens, Et me noſtis, & unde ſim noſtis: & à meipſo non veni, ſed eſt verax qui miſit me, quem vos non noſtis.*

29 *Ego verò novi eum, quia ab ipſo ſum, & ille me miſit.*

30 *Studebant ergo eum prehendere: ſed nemo injecit in eum manum, quia nondum venerat hora ejus.*

31 *Multi verò ex turba crediderunt in eum, & dicebant, Chriſtus quum venerit, num ſigna plura edet iis quæ iſte edidit?*

32 *Audierunt Phariſæi turbam iſta murmurantem de eo, & miſerunt Phariſæi ac primarii Sacerdotes miniſtros ut eum prehenderent.*

33 *Dixit ergo eis Jeſus, Adhuc pauliſper ero vobiſcum, deinde abibo ad eum qui me miſit.*

34 *Quæretis me, nec invenietis: & ubi ego ero, eò vos non poteritis venire.*

35 *Dixerunt ergo Judæi inter ſeſe, Quò eſt iſte profecturus, ut nos non inveniamus eum? num ad eos qui diſperſi ſunt inter Græcos iturus eſt, & Græcos docturus?*

36 *Quis eſt hic ſermo quem dixit, Quæretis me, & non invenietis: &, Ubi ego ero, vos non poteritis venire?*

Deinceps exponit, quomodo Chriſtus in feſto ſe patefecerit. Ac primùm quòd docuerit in templo: deinde quòd doctrinæ ſuæ aſſeruerit authoritatem, uſque ad v. 19. tum quòd reprehenderit Judæos propter impietatem, ac nominatim propter inſidias quas ei faciebant, ver. 19. Poſtremò quòd opus ſanationis á ſe in ſabbato peractum (ſup. cap. 5.) defenderit exemplo circumciſionis, quæ & ipſa in ſabbato, ſi caſus ita tuliſſet, adminiſtrabatur: v. 21. 22. 23. 24. Porrò argumentum ab exemplo circumciſionis concludit Chriſtus ſyllogiſmo connexo primi modi.

Si licet vobis ſabbato circumcidere, multo magis mihi licet ſabbato ſanare.

At Sabbato circumcidere vobis licet.

Ergo multo magis mihi licuit ſanare: & per conſequens non debetis mihi indignari.

Propoſitio confirmatur á collatione imparium: quia Judæi circumcidebant ſolum corpus, & ita externum cultum Deo præſtabant: at Chriſtus ſanaverat hominem totum, id eſt, non ſolùm corpus, tribuendo ei vires ad ambulandum: ſed etiam animam, remittendo ei peccata, & eam renovando per Spiritum ſanctum. Aſſumtio probatur teſtimoniis: partim teſtimonio experientiæ, quod continet confeſſionem judicii adverſariorum. Ideo enim in ſabbato circumciderunt, quòd judicarunt id licere, imò ſic fieri oportere. Partim teſtimonio divini mandati. Deus enim circumciſionem octavo á nato maſculo die celebrandam per Moſen præceperat: Levit. 12. ver. 3. quod mandatum amplificatur collatione alterius mandati ſimilis, per correctionem: nam ante Moſen Deus idem præceperat Patribus: ut videre eſt Geneſ. 17. ubi narratur circumciſionis inſtitutio data Abrahamo.

25 *Dicebant ergo*] Hìc exponitur Euangeliſta, quid Chriſtus illo ſuo ſermone apud nonnullos profecerit: nempe quòd mirati ſint hanc ejus in primoribus populi reprehendendis libertatem, quòdque falſo argumento ſeipſos deceperint, quò minùs eum haberent pro Chriſto. Argumentum iſtud concluditur hoc ſyllogiſmo.

Chriſtum nemo cogniturus eſt unde ſit.

At hunc novimus unde ſit:

Hic igitur non eſt Chriſtus.

In hoc ſyllogiſmo omnia falſa ſunt. Et propoſitionis quidem falſitas convincitur teſtimonio Micheæ cap. 5. ver. 2. ubi prædicit Chriſtum venturum ex oppido Judææ Bethlehem. Aſſumtionis verò falſitas perſpicitur ex eo, quòd Jeſus oriundus erat ex Bethlehem: at iſti putabant ortum eſſe ex Nazareth: ut colligitur ex collatione v. 41. Concluſionis deniq; falſitas liquet ex teſtimonio totius Euangelii. Interim tamen videntur non ſine aliqua ratione ſic ſenſiſſe de origine Meſſiæ. Videtur autem iſte error ortus ex dictis Propheterum non intellectis: nempe Eſai. 53. 8. ubi de Meſſia dicitur, Generationem ejus quis enarrabit? Item Mich. 5. verſ. 2. ubi de eodem dicitur, Egreſſus ejus ſunt á principio, á diebus ſeculi. At, inquam, dictum

dictum Esaiæ intelligendum est non de origine Christi, sed de ætate ejus in æternum duratura post resurrectionem ex mortuis. Micheas autem etsi istis verbis originem CHRISTI divinam illam & incomprehensibilem notat, tamen in eodem versu oppidum Bethlehem nominat, unde secundum carnem proditurus sit.

28 *Clamabat ergo*] Christus præterita propositione syllogismi, tanquam manifesté falsa, respondet ad assumptionem negando: quanquam prima fronte videtur illam concedere: sed concessio illa ironica est. Simul autem eis adimit excusationem ignorantiæ: quia non nisi malitia impediantur, quód eum non norint: quum satis eis approbatus sit á Patre suo.

30 *Studebant*] Eventus duplex illius libertatis Domini in reprehendendis Judæis: unus conatus principum in eo capiendo, hoc versu & 32. alter, fides multorum é plebe, v. 31.

33 *Dixit ergo*] Dominus ingratis Judæis minatur discessum suum ac desertionem ipsorum. Quam illius comminationem isti non intelligentes, interpretantur de Judæis inter Græcos dispersis, vel de ipsis Græcis, hoc est, incircumcisis, quasi ad illos iturus sit docendi caussa. At quid sibi Dominus voluerit: senserunt post illius in cælum ascensionem, quum variis intestinis malis affecti, tandem á Romanis eversi & capti sunt: quæ captivitas & excidium ad hunc usque diem durat.

DE QVARTA PARTE.

37 *Vltimo autem die illo magno festi stetit Iesus, & clamavit, dicens, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.*

38 *Qui credit in me: sicut dixit Scriptura, flumina aquæ vivæ fluent ex ventre eius.*

39 *(Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus sanctus quia Iesus nondum erat glorificatus)*

40 *Multi ergo è turba quum audissent hunc sermonem, dicebant, Verè hic est Propheta ille.*

41 *Alii dicebant, Hic est Christus. Quidam autem dicebant, Num enim è Galilæa veniet Christus?*

42 *Nónne Scriptura dicit, ex semine Dauid, & ex vico Bethlehem, ubi erat Dauid, venturum Christum?*

43 *Dissidium ergo ortum est in turba propter eum.*

44 *Quidam autem ex ipsis volebant eum prehendere, sed nemo iniecit in eum manus.*

45 *Venerunt ergo ministri ad primarios sacerdotes & Pharisæos: qui dixerunt eis, Quare non adduxistis eum?*

46 *Responderunt ministri, Nunquam ita loquutus est homo vt homo iste.*

47 *Responderunt ergo eis Pharisæi, Num & vos seducti estis?*

48 *Num quis ex primoribus credidit in eum, aut ex Pharisæis?*

49 *Sed turba hæc quæ non novit Legem, execrabilis est.*

50 *Dicit eis Nicodemus, is qui venerat ad eum nocte, quum vnus esset ex illis,*

51 *Num Lex nostra condemnat quempiam, nisi prius audierit ex ipso, & cognoverit quid faciat?*

52 *Responderunt & dixerunt ei, Num & tu Galilæus es? scrutare & vide, ex Galilæa Prophetam non surrexisse.*

53 Et

53 *Et profectus est unusquisque domum suam*

Dominus rursum captata docendi occasione, eos qui sensu iræ Dei contra sua peccata & desiderio æternæ salutis tanguntur, hortatur ut in se credant: & credentibus promittit Spiritum sanctum, qui ipsorum corda sensu gratiæ Dei vivificaturus sit, ne in peccatis suis contabescant. Utitur autem verbis Esaiæ ex cap. 55, versu 1. ut hoc ipso significet, se esse promissum illum Messiam. nam propheta illic de copiosa Dei gratia sub regno Christi futura loquitur. Quód autem Euangelista versu 39. ait, *Nondum enim erat Spiritus sanctus*: non intelligit de ipsa Spiritus sancti persona (nam hanc esse unum cum æterno Patre ac Filio, expressé docet 1. Epist. cap. 5. v. 7.) sed intelligit de copiosa illa Spiritus sancti effusione quæ cœpit in die Pentecostes: de qua vide Act. 2. v. 17. & 18.

40 *Multi ergo*] Deinceps narrat, quid ex illa Domini doctrina evenerit, nempe ortum inde esse dissidium in turba, aliis eum pro Christo agnoscentibus, aliis contrá negantibus: qui quidem errabant falsum assumendo. Sic enim argumentabantur:

Christus non veniet é Galilæa, sed ex vico Bethlehem.
At hic ortus est é Galilæa, non autem ex vico Bethlehem.
Hic igitur non est Christus.

At, inquam, syllogismi hujus assumtio falsa est. Porró nonnulli rectè quidem affirmant, eum esse prophetam illum á Mose, Deut. 18. promissum. at iidem non rectè sentiunt, Prophetam illum alium esse quàm ipsum Christum.

44 *Quidam autem*] Alter eventus, quód conati sint eum prehendere, sed non potuerint, divinitus scilicet impediti. Unde ministros, quibus id negocii erat datum, objurgant Pharisæi, & Christum authoritate principum premunt: qui á Nicodemo eam ob caussam reprehensi, eodem mendacio contra Christum utuntur, quo antè plebs usa fuerat: affirmantes scilicet Jesum Galilæum esse.

SCHOLIA IN CAP. VII.

2 *Scenopegia.* ἡ σκηνοπηγία. Id est, tabernaculorum fixio. Ex nomine σκηνὴ, tabernaculum, & verbo πήγνυμι vel πήγω, figo: unde ortum videtur Latinorum pago & pango.

3 Fratres. οἱ ἀδελφοί. Id est, cognati: verbi gratia consobrini. Synecdoche speciei Hebræa.

4 *Celebris.* ἐν παῤῥησίᾳ. Syrus בגלוא begelja, Id est, in manifesto. *Si hæc facis.* Nempe quæ præ te fers te facturum, videlicet quæ proprié ad officium Messiæ pertinent. Putabant autem illi, regnum Messiæ fore terrenum. unde & discipuli post resurrectionem Domini interrogabant, num eo tempore restituturus esset regnum Israëli, Act. 1. v. 6. *Mundo.* Id est, passim omnibus. Metonymia subjecti.

5 *Ne fratres quidem.* Quasi dicat: Quo minús mirum est, alios plurimos in eum non credidisse.

6 *Tempus meum.* ὁ καιρὸς ὁ ἐμός. Nempe quó mihi ascendendum est ad festum. Synecdoche generis, sic suprá cap. 2. versu 4. *Non potest mundus vos odisse.* Quia scilicet vos estis de mundo: ideo mundus quod suum est, amat: ut ait infrá cap. 15. v. 19. Mundum autem hic vocat impios, atq; ideó reprobos. Sic infrá c. 14. v. 17. & 30. item cap. 15. v. 18. 19. item ca. 17. v. 9. & 14.

10 *Non*

10 *Non manifestè.* Nempe ne caperetur ex insidiis.

11 *Quærebant eum.* Cur? Nempe quia in superioribus festis ejus miracula viderant, & eum docentem audiverant. Vide sup. cap. 2. v. 23. & cap. 5. per totum. *Ille.* ἐκεῖνος. Loquuntur tanquam de homine noto: quem non audent nominare, quia metuebant offensionem Judæorum, ut liquet ex versu 13.

12 *Mussitatio.* γογγυσμός. Id est, susurri & sermones clanculatii ac mussitando pronuntiati. Neque enim nomen γογγυσμός, quod propriè murmur significat, hoc loco indignationem aut offensionem notat, ut suprà cap. 6. v. 41. 43. 61.

13 *Palàm.* παῤῥησίᾳ. Liberè. *Propter metum Judæorum.* διὰ τὸν φόβον τῶν ἰουδαίων. Seu, metu Judæorum. id est, propterea quòd metuebant Judæos, nempe primores Judæorum; quos sciebant Christo infensissimos hostes esse, eique insidiari. Metus ergo Judæorum hic dicitur non ἐνεργητικῶς, quo ipsi Judæi metuebant: sed παθητικῶς, quo metuebantur. Sic infra cap. 20. v. 19.

14 *Festo jam medio.* τῆς ἑορτῆς μεσούσης. Id est, quarto festi die. nam festum tabernaculorum durabat dies septem, Levit. 23. v. 34. quibus tamen ibidem versu 36. additur dies octavus, sed qui á ceremonia tabernaculorum immunis erat: quanquam cætera vel maximè solennis erat. *Ascendit.* ἀνέβη. Nam templum situm erat in monte. *Docebat.* ἐδίδασκε. Id est, interpretabatur textum aliquem Scripturæ: ut liquet ex versu sequente. Sic enim solebat in sacro cœtu, ex communi docentium more: vide Luc. 4. versu 16.

16 *Non est mea.* οὐκ ἔστιν ἐμή. Id est, Non est à me tanquam homine vulgari (qualem vos me esse putatis) excogitata, aut etiam discendo ab aliis percepta. Loquitur ex hypothesi, nempe falsa opinione Judæorum, quibus sermonem suum accommodat. Similem sententiam vide suprà cap. 6. versu 38.

17 *Si quis voluerit ejus voluntatem exequi.* Id est, Si quis veritatem seriò quæsiverit, deposito omni pravo affectu. *Cognoscet de doctrina.* γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς. Cognoscet de hac doctrina: quam scilicet ego propono. id est, per Dei gratiam consequetur notitiam veritatis: intelliget-que doctrinam meam divinam atque cælestem esse. Ex *Deo.* ἐκ τοῦ θεοῦ. Id est, á Deo tanquam authore profecta. ἐκ pro ὑπὸ: cujus enallages exemplum vide & suprà cap. 6. v. 65.

18 *Gloriam propriam quærit.* Cupit enim celebrari tanquam novæ doctrinæ inventor, quam nemo ante ipsum ingenii sui perspicacia potuerit invenire. *Verax.* ἀληθής. Id est, sincerus. *Injustitia.* ἀδικία. Id est, fraus, fallacia: ut intelligitur ex antithesi. Synecdoche generis.

19 *Et tamen nemo.* καὶ οὐδείς. Hæc sententia cum præcedente cohæret per enunciatum discretum. Similem locum vide cap. 6. v. 70. *Quid.* τί. Id est, διατί, propter quid. cur. quasi dicat: Proferte, si potestis, ullam justam caussam qua meritus sim ut à vobis trucider.

20 *Dæmonium habes.* Malo spiritu obsessus es, insanis. scilicet, quum putas nos tibi insidiari. Metonymia efficientis. *Quis.* Quasi dicant, Nemo nostrum: At temerè negant de universis, quod verum erat de aliquibus, nempe de primoribus.

21 *Unum opus &c.* Dominus non respondet ad istud convitium: sed pergit in sermone instituto, ac docet, se sanatione illa ægroti in sabbato,

de

de qua ſuprà cap. 5. non eſſe commeritum ut trucidetur. Hoc enim poterant illi ad iſtam ejus interrogationem reſpondiſſe. *Vnum opus.* ἓν ἔργον. Scilicet novum & inuſitatum. nempe quód in ſábbato ſanavi illum qui decubuerat annos triginta octo, ſuprá cap. 5. Sic declarat ipſe infrá ver. 23. *Vnum.* ἕν. Hoc verbum innuit collationem imparium. quaſi dicat: Quanto magis miraremini & offenderemini, ſi plura ejuſmodi opera edidiſſem? Eſt igitur hic quoque enunciatum diſcretum: quaſi dicat, Quanquam unum tantúm opus ſanationis edidi in ſabbato, tamen omnes miramini, quaſi Legem violarim: ac proinde me ſtudetis trucidare. *Miramini.* θαυμάζετε. Nempe ita ut offendamini. Sic ſuprá v. 15.

22 *Attamen.* διὰ τοῦτο. Hæ duæ voces (ut D. Beza annotat) omnino adjungendæ videntur præcedentibus: ac proinde hic locus ſic diſtinguendus: ἓν ἔργον ἐποίησα, καὶ πάντες θαυμάζετε διὰ τοῦτο. Μωσῆς δέδωκεν &c. Id eſt, Unum opus edidi, & omnes miramini propterea. Moſes dedit &c. Quod ſi retineatur diſtinctio uſitata: tum puto ſimilem eſſe ſententiarum cohærentiam & loquendi rationem, qualis habetur Matth. 18. v. 22. & 23. ubi quum Chriſtus Petro interroganti, quoties remittendum, reſpondiſſet: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies-ſepties*: continenter annectit hæc verba: διὰ τοῦτο ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. *Propterea ſimile eſt regnum cælorum &c.* ubi puto per ellipſin ſubaudiendum verbum ἄκουε. quaſi diceret Dominus: διὰ τοῦτο ἀκούσατε. *Propterea audi.* ut ſcilicet pleniús á me erudiaris de quæſtione propoſita. ac tum ſequitur novum exordium: *Simile eſt regnum cælorum &c.* Ita hoc loco: διὰ τοῦτο ἀκούσατε. *Propterea audite.* ut ſcilicet intelligatis, an jure offendamini illo meo opere, nec ne. Attum ſequetur novum exordium: *Moſes dedit vobis circumciſionem &c.* Simile exemplum ellipſeos vide Gen. 4. verſu 15. *Moſes dedit.* Levit. 12. ver. 3. *Non quód ex Moſe ſit.* Scilicet prima ſua origine & inſtitutione. *Ex Moſe.* ἐκ τῶν Μωσέως. Id eſt, á Moſe. h. e. per illum primó data á Deo. *Ex patribus.* ἐκ τῶν πατέρων. Nempe primúm data Abrahamo patri credentium. Gen. 17. *Et ſabbato.* καὶ ἐν σαββάτῳ. Id eſt, Et idcircó etiam ſabbato circumciditis hominem: ſi ſcilicet octavus á nato maſculo dies in ſabbatum inciderit. Hanc expoſitionem confirmant illa verba verſu ſequente, *Vt ne ſolvatur lex Moſis.*

23 *Si circumciſionem.* εἰ περιτομήν. Id eſt: Si igitur circumciſionem &c. Deducit enim concluſionem ex aſſumtione præcedente. *Soluatur.* λυθῇ. Id eſt, violetur. *Lex Moſis.* ὁ νόμος Μωσέως. Quæ ſcilicet præcipit ut octavo die circumcidatur parvulus, nulla exceptione ſabbati adjecta. *Mihi indignamini?* ἐμοὶ χολᾶτε; Interrogatio vim habet objurgandi. quaſi dicat: Non facitis æquum quód mihi indignamini: non debebatis mihi indignari. χολᾶν, ſuccenſere, iraſci, á χολή, id eſt bilis. notat iram vehementem qua effervéſcit bilis, aut effunditur fel ex veſicula ſua: Contrà de mitibus ac placidis ingeniis dicitur, caret felle. *Totum hominem.* ὅλον ἄνθρωπον. quaſi dicat, non ſolúm corpus in quo fit circumciſio: ſed etiam animam: remittendo ſcilicet peccata, & donando Spiritum ſanctum. Innuitur hoc verbo ratiocinatio ἀπὸ τοῦ μᾶλλον, à majori: quaſi dicat: Si non indignamini Moſi, quód ſabbato præcepit hominem circumcidi: multó minús debebatis mihi indignari, quód ſabbato ſanavi totum hominem. Ratio: Quia magis videtur indignandum, ſi ſabbatum violetur propter beneficentiam minorem, quám ſi violetur propter beneficium majus.

24 *Secundúm ſpeciem.* κατ' ὄψιν. Secundúm faciem. *Juſtum illud judicium ferte.*

ferte. τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε. Accusativus regitur à verbo conjugato, more Hebræorum & Græcorum. Plato 2.de Republ. τὴν κρίσιν αὐτῶν τῆς βίου κρῖναι ὀρθῶς: judicium rectum de ipsorum vita ferre. Sic Psal.119.v.154. Contende contentionem meam: ריבה ריבי.

25 *Nónne,&c.* οὐχ,&c. Similis interrogatio ut suprà v.19.& cap.6.versu 70. nempe quæ cum sequente sententia constituit enuntiatum discretum, quasi dicant: Quanquam hunc studeant trucidare, tamen liberè eos objurgat.

26 *At.* καὶ. Enallage Hebræa. *Palàm.* παῤῥησίᾳ. Liberè. *Palàm loquitur.* παῤῥησίᾳ λαλεῖ. id est, Liberè & se defendit, & suos adversarios objurgat. *Et nihil.* καὶ οὐδέν, id est, Et tamen nihil. Alterum discretum. quasi dicant: Quanquam palàm loquitur, tamen nihil ei dicunt. Atque sic fit ut una eademq; sententia,& consequens sit discreti,respectu sententiæ antecedentis: & antecedens quoq; sit discreti, respectu sententiæ consequentis. *Nihil ei dicunt.* οὐδὲν αὐτῷ λέγουσι. Id est,non contradicunt ei. Synecdoche generis. *Num verè.* μήποτε ἀληθῶς Id est,Num igitur verè,&c. Nam hanc sententiã ex proxime-præcedente deducunt & inferunt seu concludunt. Interrogatio vim habet affirmationis probabilis: quasi dicant,Quum ei ipsos objurganti non contradicant, videntur ergo eum agnoscere pro Messia. *Primores.* οἱ ἄρχοντες. Nempe οἱ ἡμῶν: nostri primores seu principes seu denique magistratus, nempe sacerdotes & scribæ & maximè Pharisæi. *Christum illum.* ὁ χριστος. Nempe nobis promissum,quem nos ex promissione expectamus.

27 *Sed.* ἀλλὰ. In hac particula latet conclusio syllogismi, nempe hæc sententia,*Hic non est Christus.* Est enim hæc conjunctio adversativa,ac proinde innuit sententiam proxime-præcedenti adversantem. præcessit autem ista, Hic est Messias: ut quidem primoribus videtur. *Sed novimus.* ἀλλ' οἴδαμεν. Integra sententia esset sic: Sed hic non est Christus.novimus enim,&c. Notatur igitur syllogismi conclusio per conjunctionem *Sed.* Assumtio verò continetur ibi, *Novimus,&c.* Propositio denique ibi, *Quum autem. Nemo cognoturus est.* οὐδεὶς γινώσκει. At hoc falsum: Verum autem esse sibi persuadent ex dictis Prophetarum perperam intellectis, nempe Esai.53.vers.8. & Mich.5.vers.2.

28 *Clamabat.* ἔκραξεν. Alta voce loquebatur, ut bene posset exaudiri. Hoc adjuncto notatur παῤῥησία. *Et me nostis.* καὶ ἐμὲ οἴδατε. id est,meritò nosse debebatis,nempe ex miraculis meis. *Et à meipso.* καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ. Id est, Nam certè à meipso non veni. *Verax.* ἀληθινὸς. Ac proinde illius testimoniis quibus me signavit,credendum: nempe voci illi in baptismo Christi auditæ,& operibus à Patre ei datis. Vide suprà cap.5.v.32.& 36.

29 *Ab ipso sum.* παρ' αὐτοῦ εἰμι. Id est,ex ejus essentia ortus sum.ut suprà cap.6.vers.46.

30 *Hora ejus.* ἡ ὥρα αὐτοῦ. Nempe ei destinata à Patre ut in ea caperetur.

31 *Crediderunt in eum.* ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. Id est,agnoverunt eum pro doctore divinitus misso, & eo quidem eximio, ac propè cum ipso Messia comparando: ut intelligitur ex verbis sequentibus. *Num signa,&c.* His verbis exponunt caussam cur Jesum pro divino doctore agnoscant.

32 *Murmurantem.* γογγύζοντος. Id est,mussitantem,susurrantem,submissa voce loquentem. Non enim audebant palàm de eo loqui, metu Judæorum: suprà vers.13.

33 *Adhuc paulisper,&c.* ἔτι μικρὸν χρόνον,&c. Quasi dicat: Studetis me

 trucidare;

trucidare: quia moleſta vobis eſt præſentia mea. Scitote igitur, me non diu vobis fore moleſtum: nam brevi abibo ad patrem: ſed tum abſentem requiretis: verùm fruſtrà. *Pauliſper ero vobiſcum.* Nempe corporali præſentia. nam poſt ſex circiter menſes futurum erat ut à Judæis occideretur in feſto paſchæ. *Abibo ad eum qui miſit me.* Id eſt, aſcendam in cœlum. Sed de induſtria loquitur obſcurè: quia reprobi iſti non erant digni clariore doctrina.

34 *Quæretis me.* ζητήσετέ με. Id eſt, in graviſſimis calamitatibus conſtituti, petetis opem Dei: quo modo ſcilicet reprobi id facere ſolent, abſque fide. Ideo addit, *Nec invenietis.* id eſt, nullam à me aut patre meo opem impetrabitis. *Vbi ego ero.* Nempe in cœlo.

35 *Ad eos qui diſperſi ſunt inter Græcos.* εἰς τὴν διασπορὰν τῶν ἑλλήνων, Ad verb. In diſperſionem Græcorum. Intelliguntur Judæi qui inter Græcos diſperſi erant. Confer 1. Pet. 1. v. 1. & Jacob. 1. v. 1. *Et Græcos docturus.* Id eſt, Incircumciſos, apud quos Judæi advenæ ſunt. Niſi malimus intelligere ipſos Judæos in Græcia diſperſos. Sed illud videtur rectius: nam eodem modo hîc videtur dici διασπορὰ ἑλλήνων, quo apud Petrum διασπορὰ Πόντου. at διασπορὰ Πόντου dicuntur diſperſi per Pontum. Ita & hîc διασπορὰ ἑλλήνων, diſperſi per Græcos ſeu inter Græcos, hoc eſt, incircumciſos.

36 *Quis eſt hic ſermo.* τίς ἐστιν οὗτος ὁ λόγος. Id eſt, Quid ſignificat hic ſermo? quid ſibi vult? Interrogatio deſiderantis: qualis infrà cap. 16. v. 17. & 18. Niſi quòd illic verum deſiderium eſt, ac ſerium diſcendi ſtudium: cui & Dominus ſatisfecit, ſermonē ſuum declarando: at hic momentanea ſciendi cupiditas eſt, abſque ſerio ſtudio cognoſcendi quod erat ſalutare: unde huic cupiditati Dominus non ſatisfacit: neque enim declarat, quid ſibi velit. Sic videmus, Dominum aliter tractare reprobos & hypocritas: aliter verò electos, & ſinceros diſcipulos.

37 *Vltimo.* τῇ ἐσχάτῃ. Id eſt, octavo. nam etſi ceremonia tabernaculorum durabat tantùm ſeptem dies: tamen dies octavus vel maximè ſolennis erat, propter ſabbatum, & congregationem populi ad peragendum cultum Dei in offerendis holocauſtis. Vide Levit. 23. verſ. 36. *Illo magno.* τῇ μεγάλῃ. Id eſt, maxime ſolenni. *Si quis ſitit, &c.* Confer Eſa. 1. 55. verſ. 1. & Matth. 5. verſ. 6. Per ſitim intelligitur deſiderium juſtitiæ & omnino bonorum ſpiritualium, ortum ex conſcientia & ſenſu propriæ ariditatis, id eſt, injuſtitiæ & impotentiæ ad faciendum quod Deo placet. *Veniat ad me.* Id eſt, audiat me docentem. *Bibat.* Scilicet fide: id eſt, credat in me: ſicut mox declaratur initio verſus ſequentis. Porrò iſtud mandatum includit promiſſionem. Quum enim jubet bibere, hoc ipſo promittit potum quem bibant. Is autem potus eſt omne genus bonorum ſpiritualium, ad vitam hominis æternam pertinentium: ut ſunt remiſſio peccatorum & renovatio cordis per Spiritum ſanctum.

38 *Sicut dixit.* καθὼς εἶπεν. Hîc incipit ἀποδόσις periodi; & duæ ἀποδόσεως ſententiæ trajectæ ſunt. naturalis enim verborum ordo eſt hic: *Qui credit in me, de illius ventre fluent flumina aquæ vivæ: ſicut dixit Scriptura.* Sed notandum, non citari hic certum aliquod Scripturæ dictum: quum verba iſta, ſic quidem ſimul poſita, nuſquam in Propheticis ſcriptis reperiantur: ſed citatur ſententia variarum promiſſionum apud Prophetas, ubi magna ſpiritus copia ſub novo Teſtamento futura promittitur: ut Eſai. 44. verſu 3. Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam: effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam.

Item

Item cap.49.verſ.10. Non eſurient, neque ſitient. Item, Ad fontes aquarum potabit eos. Sic Joël.3.verſ.18. Per omnes rivos Juda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum. Sic Zachar.14.verſu 8. Et erit in die illa, Exibunt aquæ vivæ de Jeruſalem, &c. *Flumina.* ποταμοὶ. Hac metaphora notatur copia donorum Spiritus ſancti. Sic Joël.2. Effundam,&c. *Aquæ vivæ.* ὕδατος ζῶντος. Intelligit dona Spiritus ſancti: ut ipſe Euangeliſta verſu ſequente declarat. Aqua autem viva per metaphoram hebræam dicitur, aqua ſcaturiens & perennis: qualis eſt fontium. Opponitur aquæ ſtagnanti & putenti. Gen.26.v.19. ſervi Iſaaci invenerunt puteum aquæ vivæ. *Fluent ex ventre.* ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσι. Hyperbole, quaſi dicat: Non ſolùm ſitim reſtinguet iſta aqua: ſed in ventre ejus qui eam biberit, fiet fons redundans & effluens. Sic ſuprà cap. 4. verſ.14.

39 *Hoc autem.* τοῦτο δὲ. &c. Verba Euangeliſtæ, quibus declarat verba Domini præcedentia. *De Spiritu.* Scilicet ſancto. hoc eſt, de donis Spiritus ſancti: ut intelligitur ex ſequentibus. Metonymia efficientis. *Credentes.* οἱ πιστεύοντες. Ii qui crederent. *Nondum erat Spiritus ſanctus.* Id eſt, nondum erant dona illa copioſa Spiritus ſancti. Metonymia efficientis: ut intelligitur ex præcedentibus: atque etiam ex ſequente ſententia. nam poſt Chriſti glorificationem effuſus eſt Spiritus ſanctus in Apoſtolos & auditores eorum,& adhuc hodie effunditur: licet non eodem modo. *Nondum erat glorificatus.* Id eſt, nondum erat mortuus, nondum reſurrexerat ex mortuis, nondum aſcenderat in cœlum. Synecdoche membri.

40 *Propheta ille.* ὁ προφήτης. Scilicet de quo extat promiſſio Deut.18. Hic Propheta eſt ipſe Chriſtus: quod iſti non intelligebant: ut ex verbis ſequentibus liquet. quia nonnulli ex ipſis tanquam eos qui prophetam illum eſſe affirmaverant, correcturi, dicunt: Hic eſt Chriſtus.

41 *Num è Galilæa, &c.* Errant, quòd putant, Chriſtum natum eſſe in Galilæa, nempe in Nazareth. Confer ſuprà cap.1.v.46.

42 *Ex ſemine David.* At hic erat ex ſemine David; Matth.1.Luc.3. *Ex vico Bethleem.* At hic erat ex vico Bethleem, Luc.2.

44 *Nemo injecit manus.* Nempe, quia nondum venerat hora ejus: ſuprà verſ.30.

45 *Quare,&c.* Interrogatio indignantis.

46 *Nunquam ita locutus eſt.* Nempè cum tantâ gratia & autheritate. Envim doctrinæ Chriſti. Confer Matthæi 7.verſ.28.& 29. item Lucæ 4. verſu 22.

47 *Num & vos,&c.* Interrogatio ſimilis priori. *Seducti.* Sic etiamnum hodie pii doctores à noſtræ ætatis Phariſæis ſeductores nominantur.

48 *Num quis ex principibus.* Sic hodie Pontificii: Num quis ex Cardinalibus, Epiſcopis,&c. amplectitur novum illum Euangelium?

49 *Turba hæc.* Superbè contemnunt plebem. *Execrabilis eſt.* ἐπάρατός ἐστι εἰσι. Ad verb. Execrabiles ſunt, quale illud, Turba ruunt. Sententia eſt, *In eum credunt.* Metonymia effecti, ex opinione quidem iſtorum. Tales antitheſes multæ occurrunt in Proverbiis Solomonis.

51 *Condemnat.* Id eſt, jubet condemnare.

52 *Galilæus es.* Quippe qui Galileo iſti faves. Sed falsò habent Chriſtum pro Galilæo. *Scrutare.* ἐρεύνησον. nempe hiſtorias ſacras. *Ex Galilæa Prophetam non ſurrexiſſe.* Quid tum? Ergo nec ſurrecturus eſt? quæ eſt ratio conſequentiæ? Quaſi Deus non ſit liberrimum agens!

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. 7.

I. Ex v.1.6.8.9.10. Exemplo Christi docemur, ne nos temerè periculis exponamus, sed ea prudenter declinemus: ita tamen ne interim officium nobis à Deo mandatum negligamus: Huc pertinet illud, Qui amat periculum, peribit in eo.

II. Ex v.3.4.5. Si nobis propter religionem molesti sint, nosque vexent fratres & propinqui nostri: consolemur nos exemplo Christi domini nostri, cui idem evenit: perpendentes illud, Non est servus supra dominum, nec discipulus supra magistrum, Matth.10.24.

III. Ex v.6.8.9. Stultis suorum votis minimè obsequendum est: sed semper opera danda ut obsequamur voluntati Dei.

IV. Ex v.7. Si nos odit mundus propter professionem veritatis cœlestis, qua illius errores & scelera damnantur: consolemur nos exemplo capitis nostri Christi, cui idem accidit. Membra enim capiti conformari decet. Ut autem in hac vita conformari nos Christo oportet in ignominia & cruce: ita eidem in altera vita conformabimur in gloria & beatitate, 2.Tim.2.v.12. Rom.8.17.

V. Ex v.11.12.13. Si hodie videmus horrendam confusionem in Ecclesia, quòd nimirum multi pastores, maximè in Papatu, metu & terrore oppressum populum tenent: quòd populus doctrinam Euangelii desiderat, oblatam sæpè negligit: quòd etiam non desunt qui cognitam temerè condemnent, pauci tantùm clanculum rectè sentiunt: Si, inquam, horrendam hanc confusionem in Ecclesia videmus: consolemur nos exemplo temporis Christi, quo fuit consimilis Ecclesiæ status.

VI. Ex v.14 Pii ministri verbi Dei non debent impediri ingratitudine mundi, quo minùs veritatem cœlestem, quoties licet & opportunum est, fideliter doceant.

VII. Ex v.15.& 16. Non est satis admirari eruditionem doctorum verbi Dei: sed oportet ipsam doctrinam cognoscere, an ex Deo sit: ut veritatem cognitam amplectamur, & secundùm illam actiones nostras instituamus.

VIII. Ex v.17. Ad doctrinam Euangelii intelligendam afferendum est serium studium pietatis: quod quoniam in paucis est, non est mirum, si plerisque Euangelium non sapiat.

IX. Ex v.18. Fideles doctores verbi Dei inde agnoscuntur, quòd gloriam Dei unicè quærunt: contrà qui quærunt gloriam propriam, infideles censendi sunt.

X. Ex v.19. Non est satis habere verbũ Dei, oportet eidẽ obsequi. Ro.2.13.

XI Ex eod.v. Si videmus hodie Papistas, qui de verbo Dei gloriantur & Ecclesiæ titulo superbiunt, acerrimos esse piorum atque innocentium persecutores: consolemur nos exemplo Christi, cui idem evênit.

XII. Ex v.20. Non temerè de universis negandum est, cujus nobis ipsis conscii non sumus.

XIII. Ex v.21.22.23. Cultus Dei ceremonialis charitati proximi cedere debet. Confer Luc.14. à principio, de hydropico quem Dominus sanavit in sabbato. Item Marc.3.1. de eo qui habebat manum aridam.

XIV. Ex v.24. Judicandum est ex ipsa causa de qua agitur: non autem ex affectu, sive bono sive malo, erga eos quorũ causa agitur. Vide Deut.1.16.

XV. Ex

XV. Ex v.25.& 26.Multi mirantur, irritos fieri hoſtium Dei conatus, nec tamen interea divinam virtutem agnoſcunt.

XVI. Ex v.27.Homines ad ſtruenda ſibi obſtacula & ſalutem ſuam impediendam ingenioſi ſunt.

XVII. Ex verſ.28.& 29. Chriſti veritas minimé pendet ex hominum judiciis.

XIIX. Ex verſ. 30.Non licet malis quod libet: ſed id demum quod Deus decrevit.

XIX. Ex verſ.31.32.33.34. Prout creſcit regnum Dei, creſcit etiam ejus hoſtium rabies: donec tandem abſentia bona fruſtra requirant, quæ præſentia neglexerint.

XX. Ex verſ.35.36. Magna eſt ingenii humani in percipiendo Dei verbo vanitas.

XXI. Ex verſ. 37. 38. 39. Duo ſunt nobis ad ſalutem conſequendam neceſſaria: unum, ut vero ſummæ noſtræ inopiæ ſenſu ſerió tangamur: alterum, ut in uno Chriſto per fidem apprehenſo quæramus omnium bonorum copiam.

XXII. Ex verſ. 40. 41.42. 43.44.In ipſa Eccleſia de præcipuo capite religionis,nempe quis ſit ſalutis noſtræ author,certatur: nec alii ſunt crudeliores Chriſti hoſtes iis qui veritatis ſedem occupant. Non licet tamen eis quicquid libet.

XXIII. Ex v.45 46. Deus é cælis irridet filii ſui inimicos: dum ſæpe mirabiliter pios doctores conſervat, ex mediis periculis atque adeó é faucibus tyrannorum eos eripiendo.Confer exemplum Eliſæi, 2.Reg.6.item Athanaſii,Socr.hiſt.Eccl.lib.3.c.10.

XXIV. Ex verſ.47.48.49. Falſi paſtores adeó ſunt ſtolidi, ut é ſplendore externo Eccleſiam Dei æſtiment. Sed non eſt quòd pii ampullis iſtis moveantur.

XXV. Ex v.50.& 51. Deus ſubinde aliquos excitat, per quos tyrannis exprobrat injuſtitiam ſuam,qua in piis perſequendis utuntur.

XXVI. Ex v.52. Stultum eſt gratiam Dei ad certum locum & omnino ad res externas reſtringere.Deus enim gratiam ſuam liberrimé pro ſuo beneplacito diſpenſat,ubi,quando & quibus vult.

XXVII. Ex v.ult.Non eſt conſilium contra Dominum: ſed irritos fieri neceſſe eſt hoſtium Dei conatus,quoties Deo viſum eſt.

ANALYSIS CAP. VIII.

ARGUMENTUM.

Duæ ſunt principales hujus capitis partes. Prima eſt de adultera á Phariſæis ad Dominum adducta,ut ſuum de ea punienda judicium diceret,uſq; ad v.12.Altera continet ſermocinationem Domini cum Judæis variam ac multiplicem,uſque ad finem cap.

DE PRIMA PARTE.

IEſus autem profectus eſt in montem Oleartum.

2 *Et diluculo rurſus adfuit in templo,& totus populus venit ad eum: & ſedens docebat eos.*

3 *Adducunt autem ad eum Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam: & quum ſtatuiſſent eam in medio,*

4 *Dicunt ei, Præceptor, hæc mulier deprehenſa eſt in ipſo facto, quum mœcharetur.*

5 *In Lege autem Moſes mandavit nobis ut tales lapidentur: tu ergo quid dicis?*

6 *Hoc autem dicebant tentantes eum, ut poſſent eum accuſare. Jeſus autem incurvatus deorſum, digito ſcribebat in terra.*

7 *Quum autem perſeverarent eum interrogare, erexit ſe, & dixit eis, Qui veſtrûm immunis eſt à peccato primus in eam jaciat lapidem.*

8 *Et rurſum incurvatus deorſum, ſcribebat in terra.*

9 *Audito autem his, arguente ipſos conſcientia, ſingulatim alius poſt alium exibant, incipiendo à ſenioribus uſque ad ultimos: & relictus eſt ſolus Jeſus, & mulier in medio inſtans.*

10 *Quum autem erexiſſet ſe Jeſus & neminem conſpiceret præter mulierem, dixit ei, Mulier, ubi ſunt illi tui accuſatores? nemo te condemnavit?*

11 *Ipſa vero dixit, Nemo, Domine. Dixit autem ei Jeſus, Nec ego te condemno: vade, & ne amplius pecca.*

Quod ad hiſtoriam hanc attinet, non deſunt viri docti, quibus ea ſit ſuſpecta, tanquam non ab ipſo Euangeliſta ſcripta ſit. Rationes has afferunt. Primùm obſervant, quòd nonnulli veteres eam vel rejecerunt vel ignorarunt: quippe qui eam omiſerunt: ut Syrus interpres, Nonnus, Chryſoſtomus, Theophylactus. item quòd Euſebius teſtatur, hanc hiſtoriam á quodam Papia ſcriptam eſſe. Hæc ratio apud me quoque nonnihil momenti habet: Veruntamen illis veteribus oppono Hieronymum: qui (ut iidem referunt) teſtatur, hanc hiſtoriam in nonnullis codicibus non fuiſſe deſcriptam: quo ipſo utiq; fatetur, deſcriptam fuiſſe in pleriſque. Oppono etiam ipſum Chryſoſtomum: qui (eiſdem referentibus) hiſtoriæ hujus meminit homilia in Johannem 60. Secundam rationem hanc afferunt, quòd non videatur probabile, Jeſum ſolum fuiſſe relictum cum muliere in templo. Atqui hoc ſic poteſt exponi: accuſatores mulieris adulteræ, nempe Phariſæos & Scribas, ad unum omnes diſceſſiſſe: licet remanſerit populus, de quo verſ. 2. Et, ſi maximè populus quoque diſceſſiſſet, ut planè ſolus cum muliere relictus eſſet: non video quid ſit abſurdi: quum ſup. c. 4 legatur quoq; cum muliere Samaritana ſolus collocutus eſſe. Tertia ratio eſt, quòd illa hiſtoria non ſatis cohæreat cum v. 12. At, inquam, nec hiſtoria hac expuncta, cohærebit narratio: ea autem retenta, ſubintelligi poteſt, Phariſæos paulò pòſt in templum rediiſſe. Quarta ratio eſt, quòd videatur novum & inſolens nec commode explicari poſſe quòd Jeſus digito ſcripſerit in terra. At inſolens quoque erat, quòd flagello ejecerit é templo vendentes & ementes, item quòd ægrotos ſanavit ſabbato. Commodè autem videtur ſic poſſe explicari hic geſtus quòd ſignificare voluerit, accuſationem adulteræ nil ad ſe pertinere, ut qui non venerit judex politicus. itaq; quaſi non audiret quid accuſatores iſti dicerent, ſimulavit ſe aliud agere. Poſtrema ratio eſt, lectionis varietas. Verùm ea tota in verbis, nequaquam verò in ipſis rebus atque ſententiis eſt. Nec deſunt alia novi Teſtamenti loca, in quibus aliqua lectionis varietas obſervatur. Mihi verò ideo probabilis videtur hæc narratio & ab Euangeliſta ſcripta eſſe: quòd Phariſæi quum pridie fruſtra Jeſum prehendere conati eſſent, nec tamen odium eos quieſcere ſineret, mox novam anſam ejus comprehendendi quæſiverunt. Itaque adultera iſta poſtridie caſu deprehenſa, occaſione ea uſi ſunt ad inſidias Chriſto ſtruendas, nam ſi eam abſolviſſet

visset Christus: fuisset accusatus tanquam transgressor legis Mosaicæ: sin condemnasset, fuisset reprehensus inconstantiæ, ut qui publicanos & meretrices in numerum discipulorum recipere soleret. Deinde movet me quoq; ipsius styli Apostolici (quæ hic elucet) simplicitas, & cum reliqua Johannis oratione similitudo: quam nescio an Papias aut quispiam alius tam dextré imitari potuerit. Nec etiam est veresimile, quenquam narrationem tam probabilem támque huic loco convenientem excogitare potuisse: neque etiam ratio apparet, quæ quenquam ad id faciendum impelleret. Postremó veritatem hujus historiæ illud quoque juvat, quód in vetustis codicibus septendecim D. Bezæ, unus duntaxat illam non habebat. Nos igitur hanc historiam libenter tanquam veram & á Johanne scriptam amplectimur: ac proinde in ea exponenda parem quam in aliis, diligentiam adhibebimus.

In historia igitur hac describenda, Johannes primúm indicat aliquot rei gestæ circumstantias, vers. 1. & 2. Deinde ipsam rei gestæ formam ac modum, á v. 3. usque ad 9 Postremó eventum, á vers. 9. usque ad 12. Ac circumstantias quidem indicat quatuor, 1. tempus, quando hæc mulier ad Christũ adducta sit, nempe postridie octavi diei festi tabernaculorum. 11. Locum, ubi ad eum adducta sit, nempe in templo, & quidem in gazophylacio, ut colligitur ex collatione v. 20. 111. Testes seu arbitros coram quib. adducta sit, nempe coram populo. 1v. Occasionẽ qua usi sint ad eum interpellandũ, nempe quód doceret; simulant igitur, se de hoc quoq; casu doceri cupere.

1 *Jesus autem profectus est*] Hæc sententia cohæret cum proxime præcedente, nempe cum versiculo ultimo cap. superioris, per antithesin diversorum. Illic enim dixit, quó abierint Pharisæi post illam cum Christo collocutionem: hic dicit quó abierit ipse Christus.

3 *Adducunt*] In forma rei gestæ describenda primúm indicat, quid de ista muliere egerint, v. 3. deinde quibus verbis eam apud Jesum accusarint, v. 4. & 5. tum quo animo id fecerint, v. 6. postea quomodo se Christus gesserit accusatione illa audita, v. 6. 7. 8. Ubi notandum, Scribas & Pharisæos speraisse, se Domino certó periculum creaturos, tali dilemmate fretos:

Aut absolvet eam, aut condemnabit.
Si absolvet: accusabimus eum ut adversarium Mosis.
Si condemnabit: accusabimus eum ut sibi non constantem: quippe qui meretrices ac publicanos aliás in gratiam recipit.

Deinde observandum, Dominum hanc illorum acutam ratiocinationem ipso gestu irridere, dum digito in terram scribit: quo gestu evertit ratiocinationis istius fundamentum, hoc est hypothesin, qua illa nititur, nempe disjunctum illud enunciatum: Aut absolvet, aut condemnabit. Dominus. n. neutrum facit: & ipso gestu, se neutrum facturum, significat: quum scil. id non sit sui muneris: itaq; tanquam accusationem non audisset, simulat se interim aliud agere, non autem sollicitum esse quid respondeat, quámve sententiam pronunciet. Quum autem Scribæ & Pharisæi urgerent responsionem, ita respondit, ut mulierem quidem nec condemnaret nec absolveret, sed istorum hypocrisin conspicué redargueret. Volebant enim isti videri sancti ac pudicitiæ amantes, quippe qui adulteram istam merita pœna affici cuperent: at Dominus suo responso conscientias eorum ita ferit, ut velint nolint palám declarare cogantur, se ad unum omnes gravissimorum flagitiorum sibi conscios esse.

9 *Auditis*] Deinceps eventũ rei gestæ indicat: & primúm quid evenerit

accusatoribus, nempe Scribis & Pharisæis, v.9. deinde quid evenerit mulieri reæ, nempe quibus verbis á Domino dimissa sit, v.10. & 11.

DE ALTERA CAPITIS PARTE.

12 *Rursum ergo Jesus loquutus est eis, dicens, Ego sum lux illa mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

13 *Pharisæi igitur dixerunt ei, Tu de teipso testaris: testimonium tuum non est idoneum.*

14 *Respondit Jesus & dixit eis, Etiamsi ego testor de meipso, idoneum est testimonium meum: quia scio unde venerim, & quò vadam: vos autem nescitis unde venerim, & quó vadam.*

15 *Vos secundum carnem judicatis, ego non judico quenquam.*

16 *Quòd si etiam judicem ego, judicium meum idoneum est: quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.*

17 *Sed & in Lege vestra scriptum est, duorum hominum testimonium idoneum esse.*

18 *Ego is sum qui testor de meipso, & testatur de me qui misit me Pater.*

19 *Dicebant ergo ei, Ubi est tuus ille Pater? Respondit Jesus, Neque me nostis, neque Patrem meum: si me nosseris, Patrem quoque meum nosseris.*

20 *Hæc verba loquutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo: & nemo prehendit eum, quia nondum venerat hora ejus.*

21 *Dixit ergo iterum eis Jesus, Ego vado, & quæritis me, & in peccato vestro moriemini: quo ego vado, vos non potestis venire.*

22 *Dicebant ergo Judæi, Num trucidabit seipsum, qui dicat, Quò ego vado, vos non potestis venire?*

23 *Tunc dixit eis, Vos ex inferris locis estis, ego ex supernis sum: vos ex hoc mundo estis, ego non sum ex hoc mundo.*

24 *Ideo vobis dixi, vos morituros in peccatis vestris. Nam nisi credideritis me eum esse, moriemini in peccatis vestris.*

25 *Dixerunt ergo ei, Tu quis es? Tum dixit eis Jesus, Id quod à principio dico vobis.*

26 *Multa habeo quæ de vobis loquar ac judicem: sed qui me misit, verax est: & ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor mundo.*

27 *Non cognoverunt eum de Patre ipsis loqui.*

28 *Dixit ergo eis Jesus, Quum in altum extuleritis Filium hominis, tunc agnoscetis me eum esse, & à meipso nihil facere, sed prout docuit me Pater, hæc loqui.*

29 *Nam qui me misit, mecum est. non reliquit me solum Pater, quia ego quæ placita sunt ei facio semper.*

30 *Hæc illo loquente multi crediderunt in eum.*

31 *Dicebat ergo Jesus iis Judæis qui crediderant ipsi, Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis:*

32 *Et cognoscetis Veritatem, & Veritas vos in libertatem vindicabit.*

33 *Responderunt ei, Semen Abrahæ sumus, neque cuiquam servivimus unquam: quomodo tu dicis, Vos in libertatem vindicabimini?*

34 *Respondit eis Jesus, Amen amen dico vobis, quisquis committit peccatum, servus est peccati.*

35 *Servus autem non manet in domo perpetuò: filius manet perpetuò.*

36 *Itaque si vos Filius in libertatem vindicarit, verè liberi eritis.*

37 *Scio vos semen Abrahæ esse: sed studetis me trucidare, quia sermo meus non habet locum apud vos.*

38 *Ego*

38 *Ego loquor quod vidi apud Patrem meum: & vos facitis quod vidistis apud patrem vestrum.*

39 *Responderunt & dixerunt ei, Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus, Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis.*

40 *Nunc autem studetis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui á* DEO: *hoc Abraham non fecit.*

41 *Vos facitis opera patris vestri. Itaque dixerunt ei, Nos ex scortatione non sumus geniti: unum patrem habemus,* nempe *Deum.*

42 *Dixit ergo eis Jesus, Si Deus pater vester esset, diligeretis me. ego enim á Deo prodii & adsum: nec enim à meipso veni, sed ille me misit.*

43 *Quare loquutionem meam non agnoscitis? nam non potestis audire sermonem meum.*

44 *Vos ex patre diabolo estis, & cupiditates patris vestri vultis explere. Ille fuit homicida à principio, & in veritate non perstitit: non est enim veritas in eo. Quotiescunque loquitur mendacium, de suo loquitur: quia mendax est, & mendacii pater.*

45 Vos *autem, quia ego veritatem dico, non creditis mihi?*

46 *Quis ex vobis arguit me de peccato? si verò veritatem dico, quare vos non creditis mihi?*

47 *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

48 *Responderunt ergo Judæi & dixerunt ei, Nónne bene dicimus te Samaritanum esse, & dæmonium habere?*

49 *Respondit Jesus, Ego dæmonium non habeo, sed honoro Patrem meum, & vos contumelia afficitis me.*

50 *Ego verò non quæro gloriam meam: est qui quærat, & judicet.*

51 *Amen amen dico vobis, Siquis sermonem meum servaverit, mortem non conspiciet in æternum.*

52 *Dixerunt ergo ei Judæi, Nunc cognovimus te dæmonium habere. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis, Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum?*

53 *Num tu major es patre illo nostro Abraham, qui mortuus est? etiam Prophetæ mortui sunt: quem tu teipsum facis?*

54 *Respondit Jesus, Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: Pater ille meus, is est qui glorificat me, quem vos dicitis Deum vestrum esse.*

55 *Sed non nostis eum: ego verò novi eum: & si dixero me eum non nosse, ero similis vestri,* id est *mendax. sed eum novi, & sermonem ejus servo.*

56 *Abraham pater vester gestivit ut videret diem istum meum: & vidit, at gavisus est.*

57 *Dixerunt igitur ei Judæi, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?*

58 *Dixit eis Jesus, Amen amen dico vobis, priusquã Abraham fieret, ego sum.*

59 *Sustulerunt ergo lapides ut jacerent in eum: Jesus autem occultavit se, & exivit è templo quum transivisset per medios ipsos; & ita præteriit.*

Dominus sub metaphora lucis docet, quænam sua tanquã servatoris efficacia sit in cordib. electorũ. ait enim, se esse lucem mundi. h. e. se esse illum qui per suam doctrinam virtute Spiritus S. illuminet corda electorum per totũ mundum omnesq; populos dispersorum: non secus ac sol suis radiis illustrat oculos omniũ hominũ per totum hemisphærium ubi lucet, dispersorum. In qua similitudine duæ dissimilitudines notandæ sunt. Una est, quód

sol

ſol tantummodó illuſtrat oculos eorum qui viſu ſunt prædíti, non etiam cæcorum: At Chriſtus ſpiritu ſuo illuminat oculos cæcorum: Act.26.18. quum omnes homines á natura cæci ſint intelligẽdis myſteriis regni cælorum: ſecundum illud ſup.cap.1. Deum nemo vidit unquã: Filius qui eſt in ſinu Patris, ille nobis enarrauit. Altera diſſimilitudo eſt, quód ſol uno tempore non poteſt pluriu[illegible]os illuſtrare, quám eorum qui verſantur in hemiſphærio ubi lucet; at [illegible]tus ſuo ſpiritu illuminat uno tẽpore omnium quorũ vult, corda, per totum mundũ diſperſorum. Præterea obſervandum eſt diſcrimen inter Chriſtũ & Apoſtolos, quib.& ipſis hunc titulum alibi tribuit Dominus, inquiens, Matth.5. 14. Vos eſtis lux mundi; nempe ut miniſtri qui doctrinam lucis annunciant, per quorum miniſterium Chriſtus corda electorum illuminat: at Chriſtus illuminat per ſe & ſua virtute, tanquam principalis efficiens & author.

Porró huic doctrinæ de ſua efficacia ſubjicit χ᾽ πίσμα promiſſionem ipſius effecti ſeu fructus, quem electi ab ipſo percepturi ſint; ut ita eos hortetur ad credendum ſuæ doctrinæ, argumento ab utili. Effectus ille eſt, vita æterna. Ait.n. *Qui ſequitur me*, ſcil.tanquam lucem, h.e. qui credit doctrinæ meæ, eiq; obſequitur; *is non ambulabit in tenebris*, h. e. non errabit ex innata cæcitate in ſuis cogitationib.de Deo, in cultu Dei & ratione ſalutis ſuæ; *ſed habebit* (nempe in ſuo corde) *lumen vitæ*, h.e. cognitionem Dei certam, unde exiſtit ac manat vita æterna. ſicut & infra ait cap.17. Hęc eſt vita æterna ut te cognoſcãt illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.

13 *Phariſæi*] Phariſæi doctrinæ Chriſti contradicunt hoc argumento, quód ipſe teſtetur de ſeipſo. Syllogiſmus.

Si teſtaris de teipſo, teſtimonium tuum non eſt idoneum.

Atqui teſtaris de teipſo: nempe quum dicis, Ego ſum lux illa mundi.

Ergo teſtimonium tuum non eſt idoneum.

Chriſtus negat propoſitionem, eíque contradicit per enunciatum diſcretum, v.14. *Etiamſi*, inquit, *ego teſtor de me ipſo, tamen idoneum eſt teſtimonium meum*. Et hanc ſententiam confirmat, atque ita teſtimonio ſuo authoritatem conciliat, ab adjuncta dignitate ſua: quia nimirum teſtetur de ſeipſo, tanquam legatus Dei, á quo ſibi hoc ipſum ſit mandatum: imó tanquam filius Dei, qui ut á Patre exierit & homo factus ſit: ita carne ſua á mortuis excitata, ad Patrem rediturus ſit. Monet igitur, teſtimonium ſuum divinum eſſe, ac proinde omni exceptione majus. hoc ſignificat iſtis verbis: *Quia ſcio unde venerim*, nempe á Deo Patre: *& quó vadam*, nempe ad eundem. Porró hanc ſententiam amplificat antitheſi, qua Phariſæos reprobos ſibi opponit, inquiens: *Vos autem neſcitis, &c.*

Deinde v. 15. reprehendit eos propter pravitatem in judicando. quippe qui non judicent ex ipſa re ſeu cauſa, ſed ſecundũ carnem, id eſt ex carnalibus affectibus, videlicet odio erga ipſum, orto ex ambitione & avaritia: quæ vitia Chriſtus in eis ſæpe taxaverat. Ait igitur, *Vos ſecundũ carnem judicatis*. Et hanc ſententiam illuſtrat antitheſi, qua ſe illis opponit; negans, ſe veniſſe potiſſimúm ad judicandũ. Venerat enim principaliter ad docendũ & doctrina ſua vivificandum credentes. Interdũ tamen etiam judicavit: quoties nimirũ neceſſitas poſtulavit, ut Phariſæorum hypocriſin detegeret. Hoc autem ſuum judicium rectum eſſe probat, v.16. eodem argumento, quo jam probaverat, idoneum eſſe ſuum teſtimonium: atque ita ad teſtimonium ſuum redit: quod ver.17.&.18. confirmat á comparatis, videlicet á minori: Quod argumentum duos ſyllogiſmos continet. Principalis eſt:

Si

Si non ſolus ego de me teſtor, ſed etiam Pater de me teſtatur: ſequitur, teſtimonium meum idoneum eſſe.

Atqui non ſolus ego de me teſtor, ſed teſtatur de me etiam Pater meus, ver.18.

Ergo teſtimonium meum eſt idoneum.

Proſyllogiſmo approbatur propoſitio:

Si duorum hominum teſtimonium idoneum eſt: multó magis idoneum eſt teſtimonium Dei Patris ac Filii.

Sed illud. Ergo & hoc.

Aſſumtio hujus ſyllogiſmi probatur teſtimonio legis Dei, quæ extat Deut.19.v.15. In ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum.

19 *Ubi eſt*] Quia Dominus allegavit teſtimonium Patris, quærunt Phariſæi, Quiſnam ſit ille Pater. diſſimulantes nimirum, ſe intelligere, Dominum nomine Patris intellexiſſe Deum. Dominus igitur non reſpondet ad quæſtionem, ſed objicit eis ignorantiam Dei, nempe Patris ſui, ac proinde etiam ſui ipſius, ac monet ſui & Patris notitiam ita inter ſe conjunctam eſſe, ut neuter ſine altero cognoſci poſſit.

20 *Hæc verba*] Monet Euangeliſta, ubi Dominus verba præcedentia loquutus ſit, & quando, & qui factum ſit, ut eum non prehenderent, tam liberé ſcilicet ipſos objurgantem.

21 *Dixit ergo*] Dominus animadverſa eorum cupiditate in ſe capiendo, rurſum eis minatur ſuum diſceſſum, conjunctum cum ipſorum deſertione & interitu, ſicut etiam fecerat ante paucos dies in feſto: ut videre eſt ſuprá 7. v.33.& 34. Simul autem cauſſam propriam interitus ipſorum indicat, nempe peccatum.

22 *Dicebant*] Pervertunt ſuo more verba Domini, & perverſiſſimé colligunt, eum aliquó abiturum, ubi ſeſe clám trucidet.

23 *Tunc dixit*] Chriſtus perverſitatis iſtius cauſſam aperit: quia nimirum ex infernis ſint, hoc eſt (ut ipſe exponit) quia ſint ex hoc mundo, nempe ex genere hominum profanorum, non renatorum ſcilicet ſpiritu Dei, ac proinde adhuc immerſorum peccato: unde mox rurſum infert, ipſos morituros, videlicet morte æterna: niſi in ipſum crediderint. Simul autem ſe illis opponit, tanquam hominem ſanctum, imó tanquam ipſum Dei filium: quippe qui é ſupernis ſit, hoc eſt, é cælo.

25 *Dixerunt*] Præfracti Judæi, quum audiſſent Dominum dicere, ſe eſſe é ſupernis: quærunt, quiſnam igitur ſit. quaſi Dominus id non ſæpe jam docuerit, adeóque iſtis ipſis verbis. Quare Dominus reſpondet, ſe illum ipſum eſſe quem ſe eſſe docuerit inde á principio, hoc eſt, quum primúm docere cœpit. Et mox eis perverſitatem ſuam & contumaciam exprobrat: illique opponit judicium patris ſui, & mandatum docendi quod ab illo acceperat. Sed tantus eſt eorum ſtupor, ut non intelligant, ipſum de Patre loqui, ac proinde affirmare, ſe filium Dei eſſe: vel certé tanta perverſitas eſt, ut id ſe intelligere diſſimulent.

28 *Dixit ergo*] Chriſtus pergit in inſtituta doctrina de perſona & officio ſuo, nempe ſe eſſe filium Dei, á Patre miſſum ut ſit mundi ſervator. id quod jam probat ab effectis, videlicet á futura ſua reſurrectione & in cælos aſcenſione. prædicit enim fore, ut ab ipſis exaltetur, hoc eſt, in crucem tollatur: ſed innuit ſe ex morte reſurrecturum & in cælos aſcenſurum, unde meritó cogniturí ſint, ipſum eſſe filium Dei ac ſervatorem mundi, ſicuti docebat.

30 *Hæc*] Hic Euangeliſta fructum doctrinæ Chriſti commemorat, nempe fidem multorum.

31 *Dicebat ergo*] Hortatur Dominus credentes, ut in doctrina ſua perſeverent, ac promittit fore ut ſic in cognitione veritatis cæleſtis proficiant, maximumq; inde fructum percipiãt, nempe libertatem á ſervitute peccati.

33 *Reſponderunt*] Judæi quum audiſſent, ſibi á Domino promitti libertatem, ſi conſtantes maneant in ipſius fide: ægré id ferunt, exiſtimantes ignominioſum ſibi eſſe, ſi pro ſervis habeantur. Sic igitur contra Dominum ratiocinantur:

Qui opus habent liberari, eos neceſſe eſt eſſe ſervos.
At nos non ſumus ſervi: ſumus. n. poſteri Abrahæ.
Ergo nos non opus habemus liberari.

34 *Reſpondit*] Chriſtus negat aſſumtionem, quatenus probat contrarium. Sic autem argumentatur:

Quiſquis deditus eſt peccato, ſervus eſt peccati.
At vos dediti eſtis peccato.
Ergo ſervi eſtis peccati.

Deinde confirmat ſententiam á ſe anté propoſitam, nempe eos opus habere liberatione.

Servus opus habet liberatione, idque per filium.
Vos eſtis ſervi.
Ergo opus habetis liberatione, idque per filium.

Poſtea reſpondet ad aſſumtionis confirmationem tacita quadam diſtinctione, qua diſtinguit inter filios Abrahæ carnales & ſpirituales: concedens eos eſſe filios Abrahæ carnales: ſed negans eſſe filios Abrahæ ſpirituales: quod probat ex ipſorum factis, quia nimirum ipſum ſtudeant trucidare: cujus rei cauſſam exponit, incredulitatem ſcilicet ipſorum.

Poſtremó incredulitati eorum opponit mandatum & approbationem Patris: ſimulque innuit, eos eſſe filios Diaboli, quum illius opera faciant.

39 *Reſponderunt*] Judæi intelligentes, ſibi tribui patrem Diabolum; rurſum excipiunt, patrem ſuum eſſe Abrahamum. Dominus eos rurſum coarguit ex factis:

Si filii Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis.
Nunc autem opera Abrahæ non facitis: quia me innocentem, imó bené de vobis meritum, ſtudetis interficere.
Ergo filii Abrahæ non eſtis.

Deinde rurſum concludit, ipſos eſſe filios Diaboli: inquiens, *Vos facitis opera Patris veſtri.* q.d. Facitis opera Diaboli: ergo eſtis filii Diaboli. Judæi diſſimulantes, ſe intelligere, quem patrem notet, nempe Diabolum: excipiunt, ſe non eſſe genitos ex ſcortatione; quo ſignificant, ſe eſſe filios Abrahæ legitimos & genuinos, imó veró ſe patrem habere ipſum Deum. Dominus hoc refutat ex ipſorum factis:

Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis me, filium ejus & legatum.
Non autem diligitis me: quia non poteſtis æquo animo audire doctrinam meam.
Ergo Deus non eſt veſter pater.

Poſtea expreſſé affirmat, eos ex patre Diabolo eſſe: quia ingenium & naturam Diaboli habeant: quum ſint mendaces & homicidæ. Mendaces: quia nolint credere veræ ipſius doctrinæ. homicidæ, quia ſe ſtudeant trucidare. hoc enim hic ex ſuperioribus intelligendum eſt. Poſtremó cauſſam exponit

exponit incredulitatis ipſorum, nempe quia non ſint ex Deo, ver. 47. ubi notandum, propoſitionem ſyllogiſmi convertendam ſimpliciter, ut formula ſyllogiſmi conſiſtat. Syllogiſmus autem hic eſt:

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.
Vos ex Deo non eſtis.
Ergo vos non auditis verba Dei.

48 *Reſponderunt*] Judæi ægre ferentes liberrimam illam Domini objurgationem, petulantiſſimis eum convitiis proſcindunt: dicentes, eum eſſe Samaritanum, & dæmonium habere. Quód dicunt eſſe Samaritanũ, ſignificant non eſſe meliorem Samaritanis, ſed falſa doctrina quam-ſimillimum. Hæc crimina Chriſtus refutat á ſuis factis: quia honoret Deum. quam ſententiam illuſtrat antitheſi. quód Judæi contumelia ipſum afficiant, ac proinde etiam Deum ipſum, quippe á quo ipſe erat miſſus. Tum hanc ſententiam amplificat prolepſi: qua negat, ſe quærere ſuam gloriam: ſimulque ſe conſolatur á judicio Dei, qui honorem ipſius vindicaturus ſit. Poſtremo repetit promiſſionem Euangelii de vita æterna per fidem.

52 *Dixerunt*] Judæi ex verbis Domini arripiunt argumentum ad confirmandum crimen ei objectum, nempe quód habeat dæmonium: quippe qui tam vehementer inſaniat, ut ſe Abrahamo & Prophetis majorem facere non dubitet: dum nimirum ſuæ doctrinæ tribuat vim conſervandi á morte, quum tamen Abrahã & Prophetæ mortui ſunt. At Judæi inſcité mortem corporalem opponunt: quum Chriſtus de ſpirituali & æterna loquutus eſſet: á qua utique nec Abraham nec Prophetæ conſervare quenquam potuerunt. unde liquet, Chriſtum illis majorem eſſe.

54 *Reſpondit*] Quia Judæi ei objecerant ambitionem, ut qui ſe extolleret ſupra Abrahamum: Dominus crimen iſtud á ſe depellit inficiatione: ſed interim tamen honorem ſuum aſſerit á judicio Patris: cujus ignorantiã Judæis exprobrat, eoſq; eadẽ opera mendacii accuſat, quippe quũ cognitionẽ Dei ſibi tribuant. Sibi autem contra tribuit notitiam Dei & veritatem. Deinde quia Judæi Abrahamum potulerant tanquam Chriſto majorem; oſtendit Dominus Abrahamum ipſum longe aliter de ſe judicaſſe, quippe qui geſtiverit ut videret ipſum tanquam ſemen illud ſibi promiſſum: quique eum viderit, nempe fide, in promiſſionibus, quibus tanquam certiſſimis credidit, atque ita gaudio maximo affectus fuit. Hanc de Abrahamo ſententiam conantur Judæi refutare ab ætate Chriſti, qui nondum quinquaginta annos natus ſit; ac proinde fieri non poſſit, ut vel ipſe Abrahamum, vel Abrahamus ipſum viderit, quippe qui ante aliquot ſecula diem ſuum obierat. Atqui Chriſtus non fuerat locutus de viſione corporali, quæ fit oculis corporis & qua videtur corpus, ſed de viſione ſpirituali, quæ fit oculis cordis, & qua videtur gratia Dei in promiſſo mediatore. Porró Chriſtus errori eorum occurrit, putantium eum nudum hominem eſſe, ac proinde ſolos ætatis humanæ annos in ipſo agnoſcentium. Affirmat igitur ſe fuiſſe priuſquam Abraham fieret, ac proinde ſe eſſe Deum. Hoc verbo quaſi blaſphemo tam vehementer commoventur Judæi, ut lapidibus eum petere conentur: ſed fruſtrà, quia Dominus ſe occultat & abit, & quidẽ tranſiens per mediũ eorum.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

1 *In montem olearum.* εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν. Nempe ut precaretur, ſuo more. Vide Luc. 21. verſu 37. & cap. 22. verſu 39. Erat autem hic mons

non

non procul ab urbe: unde postride mane in urbem rediit.

2 *Et diluculo.* ὄρθρου δὲ. Id est, summo manè, quum primùm sol ortus esset. *In templo.* εἰς τὸ ἱερὸν. Pro, ἐν τῷ ἱερῷ. *Totus populus.* πᾶς ὁ λαὸς. Nempe qui superioribus diebus eum audierat docentem in festo tabernaculorum: suprá cap.7. versu 14. & 37. *Sedens.* καθίσας. Quum consedisset.

3 *Adducunt.* ἄγουσι. Id est, adducebant. Modus loquendi historicus, lectorem quasi in rem præsentem ducens: qui modus loqnendi Johanni perfamiliaris est: ut videre est his locis. Cap.1.v.29.36.38.40.42.46.49.52.ca. 2.v.4.5.7.8.9.10.cap.4.v.5.7.9.11.15.16.19.21.25.26.34.49.50.cap.5.v.8.cap.6. v.5.8.20.cap.7.v.6.50.

4 *In ipso facto.* ἐπαυτοφώρῳ. Id est, ἐπ' αὐτῷ τῷ φώρῳ, in ipso furto. Synecdoche speciei καταχρηστική.

5 *Lapidentur.* λιθοβολεῖσθαι. Levit.20.v.10. in genere præcipitur supplicium capitis: sed illud fere constabat lapidatione, ut ex aliis legibus videre est. Et notandum, in illo capite v.2. hanc speciem supplicii, generali mentioni supplicii subjici declarandi caussa: in sequentibus autem solum generale supplicii nomen repeti, speciali nimirum illo é superioribus subintellecto. *Tu ergo.* σὺ οὖν. Quasi dicant: Quum ergo tu multa nova instituas, de quibus Moses nihil præcepit; cupimus scire, quid sĕtias de pœna istius adulterę.

6 *Tentantes.* πειράζοντες. Hoc est, experiri volentes an se posset ex isto laqueo dilemmatis expedire, quod dilemma exposuimus in Analysi. *Digito scribebat.* τῷ δακτύλῳ ἔγραφεν. Dissimulans nimirum se audivisse accusationem illam mulieris, vel certé significans, se illam tanquam ad se nihil attinentem non curare. Fortassis in puluere duxit lineas literarum, aut etiam absque pulvere ductu digiti repræsentavit figuras literarum, et si nullum istius ductus vestigium relinqueret. *In terra.* εἰς τὴν γῆν. Ad verbum, In terram.

7 *Immunis à peccato.* ἀναμάρτητος. Potest intelligi generaliter. Sed videtur intelligendum specialiter de peccato adulterii, aut certé pollutionis libidinosæ. nam de hoc agitur: & notum erat in populo Dei, neminem prorsus esse ἀναμάρτητον: & mox v.9. dicitur, conscientiam ipsos arguisse. Similem synecdochen vide infrá cap.9.v. 3. *Primus &c.* Hoc dicit respiciens ad legem Mosis Deut. 17. v .7. ubi præcipitur, ut manus testium prima sit in interficiendo reo.

9 *Auditis autem his.* οἱ δὲ ἀκούσαντες. At illi, his auditis. Vel, At illi quum hæc audivissent & á conscientia sua arguerentur. *Alius post alium.* εἷς καθ' εἷς, Videtur scribendum, εἷς κατ' εἷς. jota nimirum subscripto sub α. quod si resolvas, erit εἷς κὴ εἶτα εἷς: unus & deinde unus, *Usque ad ultimos.* ἕως τῶν ἐσχάτων. Id est, minimos natu. Est autem hoc loco ellipsis. Integra oratio esset: Incipientes á senioribus, *& pergentes* usque ad ultimos. *Solus.* μόνος. Nempe respectu Pharisæorum, qui antea eum cinxerant, accusantes mulierem: non autem respectu plebis: nam hanc mox alloquitur v. 12. Pharisæi autem videntur paulo-póst rediisse: quum v.13. Christo docenti contradicant. Hanc expositionem confirmant verba versiculi sequentis

10 *Neminem.* μηδένα. Scilicet ex accusatoribus mulieris: ut intelligitur ex verbis sequentibus, nempe his, Ubi sunt illi tui accusatores? *Nemo,* οὐδεὶς. Id est, nullus judex.

11 *Nec ego te condemno.* Ratio, quia hoc non erat ejus officium. Sicut Luc.12.v.14. quum quidam ei dixisset: Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem: respondit, Homo, quis me constituit judicem aut divisorem

viſorem ſuper vos? *Vade, & ne amplius pecca.* Hæc eſt concio pœnitentiæ: quam annunciare, ad officium Chriſti pertinebat. Sic ſuprá cap.5.v.14. ait illi quem ſanaverat in ſabbato, Ecce ſanus factus es: ne pecca amplius, ut ne quid deterius tibi accidat.

12 *Rurſum ergo.* πάλιν οὖν. Nempe poſt illam interpellationem Phariſæorum accuſantium adulteram: quæ concio Chriſti populum docentis (v. 2.) interrupta fuit. Quare particula οὖν ſervit epanalepſi: ac reſpicit ad verba verſiculi ſecundi, ubi dixit, *Et ſedens docebat eos.* Si quæras, Quid docebat? id jam declarat Evangeliſta. *Eis.* αὐτοῖς. Nempe Judæis in templo congregatis. *Lux illa mundi.* τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Metaphora. nam quemadmodum ſol illuminat oculos omnium animalium: ita Chriſtus illuminat corda omnium electorum. *Lux illa.* τὸ φῶς. Quaſi dicat, τὸ ἀληθὲς, vera illa: cum qua ſol quantumvis excellenter lucens, nequaquam ſit comparandus. Confer cap.6.v.35. & 55. & cap.15.v.1. *Qui ſequitur me,* ὁ ἀκολουθῶν ἐμοὶ. Hæc verba cum præcedentibus cohærent per corollarium: quaſi dicat, Ergo qui ſequitur me. *Habebit.* ἕξει. Nempe in corde ſuo. *Lumen vitæ.* τὸ φῶς τῆς ζωῆς. Id eſt, lumen conferens vitam. Sic ſuprá cap.6.v.68. verba vitæ æternæ.

13 *Teſtaris.* μαρτυρεῖς. Nempe quum dicis, te eſſe lucem illam mundi. *Teſtimonium tuum.* ἡ μαρτυρία σου. Id eſt, Ergo teſtimonium tuum. Ellipſis particulæ illativæ, ut v. ſuperiore.

14 *Etiamſi ego teſtor &c.* κἂν ἐγὼ μαρτυρῶ. Enunciatum diſcretum, quo contradicit connexæ propoſitioni ſyllogiſmi adverſariorum. In quo exemplo notandus eſt enuntiati diſcreti uſus, nempe ad contradicendum connexo. Alia formula contradicendi eſſet ſic: Non ſi ego teſtor de meipſo, idcirco non eſt idoneum teſtimonium meum: cui connexo æquipollet iſtud diſcretum quo Dominus utitur. *Scio unde venerim.* οἶδα πόθεν ἦλθον. Id eſt, Scio me eſſe filium Dei. *Unde.* πόθεν. Nempe á Patre. *Quo.* ποῦ. Nempe ad Patrem.

15 *Secundum carnem.* κατὰ τὴν σάρκα. Suprá cap.7.v.24. pro hoc dicit, κατ' ὄψιν, ſecundum faciem. *Non judico.* οὐ κρίνω. Scilicet nunc. Tunc enim hoc unum agebat, ut doceret de ſe.

20 *In gazophylacio.* ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ. Id eſt, ea templi parte ubi ſitum erat gazophylacium, hoc eſt, arca in quam munera immittebantur, ut videre eſt Marc.12.v.41. Metonymia adjuncti. Nomen compoſitum ex nomine γάζα, quæ vox Perſica eſt & opes ſignificat: & verbo φυλάττειν, cuſtodire, aſſervare. *Et nemo prehendit eum.* καὶ οὐδεὶς ἐπίασεν αὐτόν. Et ſi nimirum ille tanta παῤῥησίᾳ apud Phariſæos ſibi infenſiſſimos uſus eſſet.

21 *In peccato veſtro.* ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ ὑμῶν. i. e. propter peccatum veſtrum. Hebraiſ. Notat autem petulantem ipſorum incredulitatem. *Moriemini.* ἀποθανεῖσθε. nempe morte æterna

23 *Ex locis infernis.* ἐκ τῶν κάτω. Subaudi τόπων. Sic mox, *Ex ſupernis.* ἐκ τῶν ἄνω Sic ſup.cap.3.v.31.

24 *Eum.* Scilicet quem dico me eſſe: videlicet Chriſtum.

25 *Tu quis es.* σὺ τίς εἶ; Id eſt, Quis tu igitur es? Sic interrogant, quia obſcuriùs dixerat, Me eum eſſe. *Id quod á principio dico vobis.* τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Id eſt, Ego ſum is quem inde á principio meæ prædicationis me eſſe dixi, videlicet Chriſtus. Ante τὴν ἀρχὴν ſubaudiendum χν. Vide annotationes D. Bezæ: qui iſtā expoſitionē copioſé tradit & cōfirmat.

26 *Sed qui me miſit &c.* Quaſi dicat; Sed nolo jam vos judicare: neque enim

enim ideo in mundum veni: ſed veni ut docerem ea quæ in mandatis accepi á Patre, nempe quæ pertinent ad ſalutem electorum. *Mundo.* εἰς τὸν κόσμον. Pro τῷ κόσμῳ. Hebraiſ. לְעוֹלָם. nam lamed valet & præpoſitionem εἰς, & articulum dativi caſus. Atque ſic mundi nomine intelliguntur homines, per metonymiam ſubjecti. Vetus interpres vertit, *In mundo.* tanquam εἰς ſit poſitum pro ἐν, & nomine mundi intelligatur terra, ſicut videtur etiam intelligi ſuprá v.23. Syrus quoque vertit בעלמא id eſt, in mundo.

28 *Quum in altum extuleritis.* ὅταν ὑψώσητε. Nempe in crucem: ut ſuprá cap.3.v.14.

31 *Si vos manſeritis in ſermone meo.* Id eſt, Si conſtanter credideritis & obediveritis ſermoni meo.

33 *Semen.* Id eſt, poſteri. Metonymia materiæ. *Quomodo.* πῶς. Id eſt. Quomodo igitur. πῶς οὖν.

34 *Quiſquis committit peccatum.* πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν. i.e. quiſquis indulget peccato, quiſquis ſecuré peccat. Sic 1. Joh.3.v.4

38 *Et vos.* καὶ ὑμεῖς οὖν. Et vos igitur. id eſt, Sic igitur etiam vos: ut ſit illatio à pari, ac proinde οὖν non redundet. *Apud patrem veſtrum:* Scilicet diabolum: ut declarat infrà v.44.

39 *Opera Abrahæ.* Id eſt, ſimilia ſeu tália qualia ille fecit, nempe bona.

40 *Nunc autem.* νῦν δέ. Præceſſit ſyllogiſmi connexi propoſitio: ſequitur aſſumtionis loco, probatio ejus ab exemplo.

41 *Patris veſtri.* Scilicet diaboli.

43 *Nam non poteſtis.* ὅτι οὐ δύνασθε. Probat quod modó dixit, eos non agnoſcere locutionem ſuam. hoc probat ex eo, quia ſermonem ſuum audiant cum moleſtia. Sic accipitur hæc phraſis ſuprà cap.6.v.60. Argumentum eſt ab effectu: nam ſermo non intellectus moleſtiam audientibus affert.

44 *A principio.* ἀπ' ἀρχῆς. Scilicet mundi & hominis conditi. *Non eſt enim.* ὅτι οὐκ ἔστιν. Argumentum ab effectu. In diabolo non eſt veritas: ergo non perſtitit in veritate: quippe in veritate erat conditus. *Mendacii.* αὐτοῦ. nempe τοῦ ψεύδους. quod intelligitur ex nomine conjugato ψεύστης.

45 *Quia veritatem dico, non creditis.* His verbis innuit, in ipſis quoque non eſſe veritatem, id eſt, veritatis amorem: ac proinde eos eſſe filios diaboli.

46 *Arguit.* ἐλέγχει. Id eſt, veré arguere & convincere poteſt. *De peccato.* περὶ ἁμαρτίας. Id eſt, de falſa doctrina: ut ex antitheſi percipitur. *Si verò.* εἰ δέ. Conjunctio δὲ non caret ſua emphaſi. nam per eam tranſit ad propoſitionem ſyllogiſmi: cujus præceſſit non quidem aſſumtio, ſed aſſumtionis probatio ab effectu. Syllogiſmus ita eſt: Si veritatem vobis dico, debebatis mihi credere. Atqui veritatem vobis dico: neque enim poteſt me quiſquam de mendacio convincere. Ergo debebatis mihi credere. *Quare vos non creditis mihi?* Quaſi dicat: Quæ eſt igitur iſta veſtra pertinacia & perverſitas, quòd non vultis credere dicenti veritatem manifeſtiſſimam & (ut ita dicam) inconvincibilem?

47 *Qui ex Deo eſt &c.* Nunc ipſe cauſſam exponit, unde incredulitas iſtorum orta fuerat: ad ſeſe conſolandum, conſideratione ſcilicet providentiæ ac voluntatis Dei: in qua meritó omnibus eſt acquieſcendum.

51 *In æternum.* εἰς τὸν αἰῶνα. Id eſt, unquam.

52 *Et tu dicis.* καὶ σὺ λέγεις. Pro, Et nihilominus tamen tu dicis? Interrogatio deridentis & indignantis. quaſi dicant: Quis non te iſta dicentem rideat? imó potiùs quis non de tanto tuo faſtu indignetur?

53 *Quem*

53 *Quem.τίνα.* Pro, Quem igitur. *τίνα οὖν.*

55 *Sed.καί.* Vel, Et tamen. ut sit enuntiatum discretum: Quanquam Patrem meum dicitis vestrum esse Deum, tamen non nostis eum.

56 *Pater vester.* ὁ πατὴρ ὑμῶν. ut scilicet vos gloriamini. Concessio ironica. nam supra negavit hoc, vers. 39. Nisi malimus dicere: respici hic ad originem, illic ad ingenium. *Vidit.εἶδε.* Nempe oculis animi, id est, fide.

57 *Et Abraham vidisti.καὶ Ἀβραὰμ ἑώρακας.* Pro, Et tamen Abrahamum vidisti? quasi dicant, Quomodo igitur fieri potest, te vidisse Abrahamum?

58 *Priusquam Abraham fieret, ego sum.* πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμί. Quoniam nuper nebulo quidem Samosatenianus sententiam hanc falsa expositione nequissimè depravavit: eò diligentiùs est nobis genuinus illius sensus asserendus. Planum est autem ex occasione hujus dicti, Christum his verbis voluisse asserere æternam suam essentiam, id est deitatem. Etenim adversarii negauerant fieri posse ut ipse viderit Abrahamum: cùm tempore Abrahæ nondum fuerit: quippe nondum natus annos quinquaginta. quibus verbis manifestè significant, se illum pro nudo homine habere. Isti errori occurrit jam Dominus his verbis, Amen amen dico vobis, Priusquam Abraham fieret, ego sum. q. d. Tantum abest, ut nondum fuerim tempore Abrahæ, sicut vos putatis: ut etiam fuerim ante illud tempus, antequam scilicet Abraham fieret. quid autem tum fuit? Non certè homo: quippe ut homo, ex Abrahamo demum ortus est. Relinquitur ergo intelligendum, ipsum tunc fuisse ut Deum. Id quod etiam confirmat verbum præsentis temporis, *εἰμί*, id est, Sum. Hoc testimonium deitatis Christi Samosatenianus ille sic eludit falsa expositione: Antequam Abraham fiat, scilicet pater gentium: id est, Antequam Gentes per Euangelium vocentur: ego jam adsum. Quæ expositio planè audax & contorta est: nihilque ad institutum sermonem facit: ut ex allata vera nostra expositione manifestum est.

OBSERVATIONES LOCORUM

DOCTRINAE EX CAP. 8.

EX PRIMA PARTE.

1. Mali bonis insidias nectentes, sibiipsis laqueũ nectunt. Huc pertinent illa: qui fodit alteri foveam, ipse in eam incidet, Prov. 26. v. 27. Carpit Deus sapientes in astutia ipsorum. Job. 5. v. 13. Atque hoc etiam profani authores animadverterũt: ut Hesiodus qui ait, ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. quod Latino carmine sic efferunt: Consilio perit ipse suo consultor iniquus.

11. Hypocritæ quum suis vitiis indulgeant, interim plusquam severi aliorum censores sunt. Confer parabolam de festuca & trabe in oculo. Mat. 7. v. 3. 4. 5. item locum Pauli Rom. 2. v. 1. 2. 3. item v. 21. 22. 23.

111. Christus noluit civilis magistratus partes ad se trahere: contentus ad fidem & resipiscentiam peccatores adducere. Hoc exemplum omnibus verbi Dei ministris imitandum proponitur.

IV. Gratiæ Christi finis est, ut Deo reconciliatus peccator, salutis suæ authorem piè sanctéque vivendo colat.

DOCTRINAE EX SECUNDA PARTE.

1. Ex v. 12. Ad vitam æternam consequendam opus est nobis lumine fidei seu cognitionis Dei, quod Christus in cordibus nostris accendit virtute Spiritus sancti per prædicationem Euangelii.

II. Ex v.13.14.15.16.17.18. Doctrina Euangelii,quam filius Dei Dominus noſter Jeſus Chriſtus ex arcano ſinu Patris protulit, & ipſe in terris ambulans annunciavit, vera & certa manet : etiamſi reprobi contradicant, eamque repudient.

III. Ex v.19. Nemo Deum niſi in Chriſto noſſe poteſt. Quare Turcæ & Judæi ignorant Deum: quum Chriſtum ignorent.

IV. Ex v.20. Dei, non hominum arbitrio vivimus & morimur. Itaque illud unum ſupereſt,ut noſtro munere conſtanter defungamur.

V. Ex v.21.22.23.24. Quoniam omnes homines in peccato concepti & nati ſunt: moriendum eſt omnibus iis qui in Chriſtum peccati expiatorem non credunt.

VI. Ex v.25.Is demum Chriſtum rectè cognoſcit,qui attentè audit quid loquatur.

VII. Ex v.26. Deus vindicat contemtum doctrinæ Chriſti.

VIII. Ex v.28. Ipſe quoque Chriſti contemtus cedit ejus gloriæ quod tandem ejus hoſtes maximo ſuo malo ſentient.

IX. Ex v.31.32. Veri diſcipuli Chriſti in ejuſdem ſermone perſeverant : ut magis ac magis in veritatis cognitione proficientes, à duriſſima peccati ſervitute in veram libertatem juſtitiæ & vitæ aſſerantur. Vide Luc.9. verſu 62.

X. Ex v.37.39. Non eſt ſatis piis parentibus ortum eſſe, ſed oportet eorum pietatem imitari. Sic non eſt ſatis ſucceſſiſſe piis Epiſcopis.

XI. Ex v.48. Si omnis generis maledictis impetimur ab hoſtibus veritatis :conſolemur nos exemplo Chriſti,cui idem evênit.

XII. Ex v.49. Contra maledicta ne regeramus maledicta: ſed refutemus illa vitæ noſtræ ſanctitate. Vide 1.Pet.1.v.23.& 3.v.16.

XIII. Ex v.51. Sola Euangelii doctrina per fidem apprehenſa, certum eſt adverſus mortem remedium.

XIV. Ex v.56. Sancti patres in veteri Teſtamento non aliter ſervati ſunt quàm nos. Servati enim ſunt per fidem Chriſti.

XV. Ex v.58. Chriſtum eſſe verum Deum, ex eo patet: quòd fuit ante Abrahamum,imò inde ab æterno.

XVI. Ex eod.v. Sophiſtica & fallax eſt eorum argumentatio,qui ex dicto Chriſti Matthæi ultimo, *Ego ſum vobiſcum omnibus diebus*,inferunt, Chriſtum nobiſcum eſſe ſecundùm utramque naturam : quia dicit, *Ego:* quo pronomine ſignificat ſuam perſonam ex duabus naturis, divina & humana conſtantem. Nam ſi valeret iſta argumentatio ad concludendum præſentiam Chriſti ſecundùm naturam humanam : pari ratione valeret hic argumentatio ad concludendum æternitatem Chriſti ſecundum humanam naturam. At hæc argumentatio non valet.Ergo nec illa.

ANALYSIS CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continetur hiſtoria de ſanato cæco à nativitate.Ac primùm exponuntur miraculi hujus occaſio & circumſtantiæ, uſque ad v.8. Deinde quomodo

quomodo hæc res innotuerit Phariſæis, uſque ad v.14. Tertiò, Quomodo Phariſæi inquiſierint de rei geſtæ veritate, & quomodo cum ſanato illo altercati ſint ſuper Chriſto, uſque ad v.35. Quartò, quomodo Chriſtus illi ſanato ſe pleniùs patefecerit, uſq; ad 39. Poſtremò, quomodo Chriſtus Phariſæis cæcitatem voluntariam exprobrarit, uſque ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE.

PRateriens autem vidit quendam cæcum à nativitate:

2 *Et interrogaverunt eum diſcipuli ejus, dicentes Rabbi, quis peccavit, iſte an parentes ejus, ut cæcus naſceretur?*

3 *Reſpondit Jeſus, Neque iſte peccavit, neque parentes ejus,* ut cæcus naſceretur: *ſed* cæcus natus eſt *ut opera Dei manifeſta fiant in eo.*

4 *Oportet me operari ejus opera qui miſit me, donec dies eſt: venit nox quum nemo poteſt operari.*

5 *Quandiu fuero in mundo, Lux ſum mundi.*

6 *Hæc quum dixiſſet, ſpuit humi, & fecit lutum ex ſputo, & illevit iſtud lutum oculis cæci:*

7 *Dixitque ei, Vade, ablue* oculos *in piſcina Siloam. (quod eſt, ſi interpreteris, miſſus) Abiit ergo & abluit* oculos, *reditque videns.*

V.1. Exponitur miraculi hujus occaſio. V.2. quæſtio diſcipulorum de cæcitatis illius cauſa. V.3. Reſponſio Chriſti ad illam quæſtionem. V.4.& 5. præparatio ad miraculum. V.6.& 7. forma miraculi & adjuncta extrinſecus adhibita.

Occaſionem huic miraculo præbuit, quòd Jeſus præteriens, cæcum illum vidit. Quòd autem is cæcus fuiſſe narratur à nativitate ſeu utero matris, hoc auget miraculi magnitudinem. Quum enim cæcitas illa nullis humanis remediis curabilis fuerit: neceſſe eſt divinam eſſe virtutem ſeu potentiam Chriſti, qua illam ſuſtulit. Quæſtio diſcipulorum ex præſenti objecto nata eſt. Nititur autem hac hypotheſi, quòd omnes hominum miſeriæ peccatorum pœnæ ſint, divinitus inflictæ: Quod etſi verum eſt: tamen hinc non efficitur, quòd ſemper is qui plus quam alii à Deo flagellatur, plus etiam quàm alii peccaverit. Deus enim quum homines flagellat, non ſemper eorum peccata reſpicit, ſed ſæpe alios fines propoſitos ſibi habet; ut interdum probationem fidei eorum quos flagellat, quod videre eſt in Jobo: interdum ſingularem patefactionem operum ſuorum, ut in iſto cæco. Errant igitur diſcipuli quòd putant, hunc cæcum vel certè ejus parentes ſingulariter peccatis ſuis commeritos eſſe hoc Dei flagellum. nam (ut Chriſtus docet) Deus hunc hominem cæcum naſci voluit, non ut puniret ſingulare aliquod vel ipſius vel parentum ejus peccatum: ſed ut in eo patefaceret ſua opera, nempe opus ſeveritatis, quòd tanto tempore cæcitate eum flagellavit; & opus bonitatis atque miſericordiæ, quòd ei ultrò per Chriſtum viſum donavit.

Sed videtur abſurdum, quòd quærunt, an ipſe cæcus peccato aliquo commeritus ſit ut cæcus naſceretur. Etenim qui potuit peccare nondum natus? Si dicas eum peccaſſe in lumbis Adæ: id verum quidē eſt, ſed quum ſit huic cæco cum omnibus aliis hominibus (ſolo Chriſto excepto) commune: non eſt putandum, diſcipulos eò reſpexiſſe. Sic enim quærendum potiùs fuiſſet: qui fiat, quòd non omnes cæci naſcantur: quum omnes tamen in lumbis Adæ peccarint. Et eos loqui de peccato, quod ipſe commiſerit in ſua

persona, apparet ex antitheſi, ubi quærunt, an ipſe peccarit, an verò parentes ejus. Loquuntur ergo de aliquo peccato, quòd non ſit utriſque commune; ſed quod vel his vel illi proprium. Sciendum eſt igitur, hanc quæſtionem niti falſa illa opinione de migratione animarum ex uno corpore in aliud, nempe ex corpore morientis in corpus naſcentis: quæ animarum migratio μετεμψύχωσις, quaſi dicat, tranſanimatio, dicta fuit, & à Pythagora tradita. Hac falſa opinione infectos fuiſſe Judæos tempore Chriſti, liquet ex Matth. 14.2. & 16.14. Quòd autem quærunt, an parentes ejus commeriti ſint, ut cæcus naſceretur, etſi prima fronte abſurdum videri poſſit, quum dixerit Deus apud Ezechielem, Non portabit filius iniquitatem patris, ſed anima quæ peccaverit, morietur: ſciendum tamen eſt, quæſtionem iſtam conſentaneam eſſe verbo Dei. nam Deus in ſecundo præcepto Decalogi minatur, ſe viſitaturum iniquitatem patrum in filios uſque in tertiam & quartam generationem. Nam quod apud Ezechielem dicitur, id opponitur falſæ querelæ Judæorum, dicentium ſe puniri à Deo non propter ſua peccata, ſed propter peccata patrum: id quod ſignificabant dicto iſto proverbiali, Patres comederunt labruſcam, & dentes filiorum obſtupuerunt vel ſtupefacti ſunt. Hoc igitur Deus negat, & contrà affirmat ſe illos caſtigare propter ipſorummet peccata. quanquam interim non negat, ſe ſimul etiam propter iniquitatem patrum ipſos punire. hoc enim tantùm vult: Filius ſi ſit innocens, non portabit iniquitatem patris.

4 *Donec dies eſt*] Tempus ſuæ liberæ commorationis in mundo comparat diei: tempus verò ſuæ captivitatis & paſſionis comparat nocti. Itaque ſignificat, ſe dum liberè ſibi in mundo commorari licet, nullam occaſionem neglecturum fungendi ſuo munere, ac proinde edendi miracula ad confirmandum ſuam doctrinam: quia paulò pòſt futurum ſit, ut id ei non liceat: nempe quum adfutura ſit hora illa impiorum & poteſtas tenebrarum. Luc. 22.53.

5 *Quamdiu fuero in mundo, lux ſum mundi*] Hæc ſententia videtur præcedenti ſubjici per correctionem ac prolepſin. Quum enim innuiſſet, ſe nocte impeditum iri in operando: nunc addit, illud tamen obſtare non poſſe, quò minùs ſit lux mundi, quamdiu in mundo fuerit. Etſi enim tempore paſſionis non exeruit potentiam ſuam divinam in miraculis edendis, tamen conſtanter perrexit in docendi munere, quatenus doctrinam ſuam conſtanter coram Pilato profeſſus eſt, & in ipſa cruce variis documentis pios inſtruxit. Nec verò ex verbis Domini efficitur, eum deſiiſſe eſſe lucem mundi, quum deſiit eſſe in mundo præſentia corporali. Sicut ex verbis Matth. cap. 1. v. ult. non ſequitur, Joſephum cognoviſſe Mariam, poſtquam illa peperiſſet primogenitum ſuum. Eſt enim illic ſimilis locutio.

6 *Spuit*] Certum eſt, in illo luto non fuiſſe vim illuminandi oculos cæci: quin potiùs videntem occæcare poterat: ſed hoc ſymbolo liberè pro ſua ſapientia uſus eſt Dominus, ut intelligeretur, ipſum ſua virtute divina illuminaſſe oculos cæci, ſibique tam facile eſſe cæcitatem depellere, quàm facile fuit cæco lutum oculis ſuis illitum aqua abluere. Et fortaſſe ſimul ſignificare voluit, ſe ſanguinis ſui merito & efficacia ſui ſpiritus abluere oculos cordis, ut cernere poſſint gratiam Dei ſibi in Chriſto reconciliati. Denique ridiculo hoc ſanandi modo fidem & obedientiam cæci probare voluit, ſicut olim Dominus per Eliſæum probavit fidem & obedientiam Naamani Syri, 2. Reg. 5.

DE

DE SECUNDA PARTE.

8 *Vicini ergo,& qui priùs viderant eum cæcum esse dicebant, Nónne hic est qui sedebat & mendicabat?*

9 *Alii dicebant,Hic est:alii verò,Similis est ei.Ille* autem *dicebat,Ego is sum.*

10 *Dixerunt ergo ei,Quomodo aperti sunt tibi oculi?*

11 *Respondit ille,& dixit,Quidam qui dicitur Jesus,lutum fecit,& illevit illud oculis meis,& dixit mihi.Vade ad piscinam Siloam,& ablue* oculos.*Ut autem abii & ablui* oculos,*vidi.*

12 *Dixerunt ergo ei,Ubi est ille? Ait,Nescio.*

13 *Adducunt eum ad Pharisæos,eum* inquam *qui olim cæcus* fuerat.

V.8.9.10.11.exponit,quomodo sanatio cęci innotuerit vicinis.V.12.& 13. quomodo innotuerit Pharisæis.

9 *Similis est ei*] Hi videntur maligné supprimere velle miraculũ in cæco editum. Etenim facilé eum poterant agnoscere : quum nulla alia in re mutatus esset quâm in oculis & visu. Sed tantum abest, ut maligo isto conatu aliquid proficiant, ut potiús occasionem sanato præbeant, ut ipsemet diserté profiteatur,se illum esse qui pridem cæcus fuerat.

12 *Ubi est ille*]Hoc quoq; malo animo interrogare videntur,ut nimirum Jesum Pharisæis prodant: ut qui sabbatum violasset sanatione cæci illius: quippe cujus oculis lutum illevisset, quemq; jussisset lavari in piscina. Sed cúm rescíscere nequeunt,ubi Jesus sit, agunt quod proximum erat,& quantum poterant,nempe adducunt sanatum illum ad Pharisæos:ut illi rem omnem accuratiús cognoscant & judicent.

DE TERTIA PARTE.

14 *Erat autem Sabbatum quum lutum faceret Jesus & aperiret oculos ejus.*

15 *Rursus ergo interrogarunt eum etiam Pharisæi,quomodo videndi facultatem esset adeptus.Ille verò dixit eis.Lutũ imposuit oculis meis,& ablui* oculos,*& video.*

16 *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam,Homo iste non est á Deo : nam sabbatum non servat.Alii dicebant,Quomodo potest homo peccator talia signa edere? Et dissidium erat inter eos.*

17 *Rursus dicunt cæco,Tu quid dicis de ipso? nam aperuit oculos tuos.Ille autem dixit,Propheta est.*

18 *Non crediderant ergo Judæi de eo quòd cæcus fuisset,& videndi facultatem esset adeptus,usquequo vocarunt ejus parentes, ejus* inquam *qui videndi facultatem fuerat adeptus.*

19 *Et interrogaverunt eos,dicentes,Hiccine est filius ille vester quem vos dicitis cæcum natum esse.quomodo ergo nunc videt?*

20 *Responderunt eis parentes ejus & dixerunt, Scimus hunc esse filium illum nostrum,& cæcum natum esse:*

21 *Quomodo verò nunc videat nescimus, aut quis ejus aperuerit oculos, nos nescimus: ipse ætatem habet,ipsum interrogate,ipse de se loquetur,*

22 *Hæc dixerunt parentes ejus,quòd timerent Judæos : jam enim constituerant Judæi ut siquis eum confiteretur* esse *Christum,synagoga moveretur.*

23 *Propterea parentes ejus dixerunt,Ætatem habet,ipsum interrogate.*

24 *Secundò ergo vocarunt hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei, Tribue gloriam Deo:nos hunc hominem scimus peccatorem esse.*

25 *Respondit igitur ille & dixit,An peccator sit nescio : unum scio, me,quum cæcus fuerim,nunc videre.*

26 *Dixerunt autem ei rursus, Quid fecit tibi? quomodo aperuit oculos tuos?*

27 *Respondit eis, Jam vobis dixi, & non audivistis? cur iterum vultis audire? num & vos vultis discipuli ejus fieri?*

28 *Itaque convitiati sunt ei, & dixerunt, Tu discipulus illius es: nos autem Mosis discipuli sumus.*

29 *Nos scimus Deum esse loquutum Mosi; hic autem unde sit nescimus.*

30 *Respondit ille, & dixit eis, At enim istud mirum est quòd vos nesciatis unde sit, & tamen aperuit meos oculos.*

31 *Scimus autem quòd Deus peccatores non audiat; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus exequatur, hunc audit.*

32 *Ab seculo non est auditū, aliquē aperuisse oculos ejus qui cæcus natus fuerit.*

33 *Nisi esset hic à Deo, non posset quicquam facere.*

34 *Respondérunt & dixerunt ei, Tu in peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.*

Exponitur causa impulsiva, quæ movit Pharisæos & instar cotis animos eorum acuit, ut eó accuratiùs de re tota inquirerent: nempe quód res erat gesta in sabbato: unde illi sabbatum á Jesu violatum esse sentiebant. V. 15. rem gestam ex ipso sanato cognoscunt.

V. 16. commemorantur diversa eorum judicia: aliis Jesum ut hominem impium damnantibus: aliis contradicentibus. V. 17. cognoscunt judicium sanati de Jesu, sperantes scilicet eum in ipsorum gratiam Jesum tanquam violatorem sabbati damnaturum, aut certé minus honorificé de eo loquuturum: sed fallantur: nam sanatus ingenuè de Jesu profitetur, quantum de eo cognoverat, & quanti eum faciebat: videlicet esse Prophetam, id est, pium doctorem divinitus missum.

V. 18. & 19 exponitur pertinax Pharisæorum incredulitas: ut qui confessioni ipsius sanati fidem non habentes, parentes ejus accersant, ut ex illis cognoscant: Sperantes iterum, illos in ipsorum gratiam veritatem rei gestæ celaturos. V. 20. & 21. exponitur parentum responsum, ubi quantum possunt invidiam declinant, ne Jesu benefactori favere videantur. Cujus rei causam ipse Evangelista exponit vers. 22. & 23. nempe metum excommunicationis. V. 24. & deinceps usque ad 35. exponitur Pharisæorum cùm illo sanato altercatio super Jesu: illis eum pro impio damnantib. hoc verò ut pium defendente. Criminatio Pharisæorum nullo argumento nititur, sed tantùm alto supercilio asseverant, dicentes: *Nos scimus hunc hominem peccatorem esse.* Defensio sanati constat hoc syllogismo:

Peccatores (id est impios ac sceleratos) Deus non audit, v. 31.

At qui hunc audivit. Etenim miraculo maximo me sanavit. v. 32.

Ergo hic non est peccator.

Additur & alter syllogismus, idem concludens, sed connexé.

Nisi esset hic á Deo, non posset quicquam facere, v. 30.

At potuit rem maximam facere, nempe aperire oculos cæci nati, v. 32.

Ergo hic est á Deo.

Hac libertate dicendi & hac claritate demonstrationis commoti atque offensi Pharisæi, homini convitiantur, eumque á se ejiciunt.

DE QVARTA PARTE.

35 *Audivit Jesus eum ejectum foras: & quum invenisset eum dixit ei, Túne credis in Filium Dei?*

36 *Respondit ille & dixit, Quis est, Domine, ut credam in eum?*

37 *Dixit*

37 *Dixit autem ei Jesus, Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ille est.*
38 *At ille ait, Credo, Domine. Et adoravit eum.*

Christus quum cognovisset, cæcum illum á Pharisæis excommunicatum esse: offert se illi ultró consolandi causa, eique se patefacit, fidémque in eo efficit: quam is adoratione testatam facit.

DE QUINTA PARTE.

39 *Et dixit Jesus, ad judicium* exercendum *ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.*
40 *Audierunt autem hæc quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant, & dixerunt ei, Num & nos cæci sumus?*
41 *Dixit eis Jesus, Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, Videmus, itaque peccatum vestrum manet.*

Christus occasione cæci illius non solúm corpore, sed etiam mente á se illuminati, exclamat de mirabilibus Euangelii sui effectis, quippe inter se contrariis: ut quo alii quidem illuminentur, alii verò magis excæcentur. quorum effectuum ille quidem (nempe illuminatio) nativus ac genuinus est, & in iis locum habet, qui per gratiam Dei cæcitatem sibi innatam, h. e. ignorantiam Dei agnoscunt, ac illius cognitione illuminari expetunt; confer 2. Cor. 2. v. 15. 16. alter verò effectus, nempe excæcatio, accidentalis seu adventitius est, & in illis evenit, qui quum sibi quâm acutissimé videre, Deique notitia præditi sibi esse videantur, Euangelii doctrinam respuunt: quales tunc erant Pharisæi, saltem plerique. Itaq; Christus his verbis Pharisæis voluntariam illam suam cæcitatem obliq; exprobrat, v. 39. Qua exprobratione Pharisæi qui tum aderant, & eam audierant, offensi, indignantur, & cum stomacho de injuria sibi á Christo facta cum eo expostulãr, negantes se cæcos esse, v. 40. Quibus Dominus ita respondet, ut innuat, non esse quidem eos ita cæcos ut sint sanabiles, quippe cúm cæcitatem suam non agnoscant: Veruntamen eos voluntaria illa sua cæcitate, qua lucem Euangelii tanquâ longé Christo sapientiores respuant, inexcusabiles sese coram Deo reddere, adeóque æternum sibi exitium attrahere, v. 41.

SCHOLIA IN CAP. IX.

3 *Opera Dei.* τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ. Videlicet opus justitiæ & potestatis divinæ in illo cæcitate puniendo: deinde opus misericordiæ & omnipotentiæ in visu illi conferendo. *In eo.* ἐν αὐτῷ. Tanquam in subjecto seu objecto: quippe cui mox divina virtute visus á me donandus sit.

4 *Donec dies est.* ἕως ἡμέρα ἐστίν. Dici comparat curriculum vitæ suæ terrenæ: nocti verò, tempus illud tenebrarum, quo operâ Satanæ & impiorum passus est pro nobis.

5 *Quamdiu fuero in mundo.* ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ὦ. Significat, se aliquando é mundo discessurum, seu mundum relicturum: ut ait inf. c. 16. v. 28. *Lux sum mundi.* φῶς εἰμι τοῦ κόσμου. Illuminans nimirum electos mea doctrina & factis.

7 *In piscina. εἰς τλὼ κολυμβήθραν.* Pro, ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ. *Siloam.* Σιλωὰμ. Hebraice שילוח schilóach, á radice שלח misit. Hujus piscinæ fit etiam mentio Nehem. 3. v. 15. item Esa. 8. v. 6.

8 *Qui viderant.* οἱ θεωροῦντες. Pro τεθεωρηκότες. Enallage temporis. *Cæcum esse.* ὅτι τυφλὸς ἦν. Omnino pro ὅτι videtur legendum ὅτε:

quia præcedit τὸ πρότερον. ac proinde vertendum. *Quum cæcus esset.*

10 *Aperti sunt.* ἀνεῴχθησαν. Id est, videndi facultate imbuti. Metonymia efficientis: nam ut clausione oculorum impeditur visio, sic apertione adjuvatur. Diversa paulùm ratione dicuntur oculi aperti fuisse Hagaræ Gene. 21.v.19. nempe non simpliciter ut videret (videbat.n.) sed ut videret id quod aliâs, quantumvis objectum & ante se positum, non vidisset: id est, effectum fuit divinitus ut oculos eó dirigeret, nimirum ad fontem.

11 *Vidi.* ἀνέβλεψα. Propriè, Suspexi, Id est, videndi facultatem adeptus sum.

16 *Homo iste.* οὗτος ὁ ἄνθρωπος. Nempe qui lutum imposuit oculis tuis. *Nam sabbatum non servat.* Id est: nam fecit istud in sabbato, ac proinde sabbatum violavit. *Alii.* ἄλλοι. Inter quos fortasse Nicodemus: qui similiter Jesum defendit suprà c.7.v.51.

18 *Non crediderunt ergo.* οὐκ ἐπίστευσαν οὖν. Conjunctio οὖν hîc non est illativa, sed transitiva.

22 *Constituerant.* συνετέθειντο. Pacti fuerant. *Synagoga moveretur.* ἀποσυνάγωγος γένηται, Id est, tanquam manifeste impius, ex Ecclesia ejiceretur: quod vulgo dicimus Excommunicari.

24 *Tribue gloriam Deo.* δὸς δόξαν τῷ θεῷ. Id est, Confitere veritatem. Metonymia effecti. Etenim confessio veritatis ex studio obsequendi Deo profecta, redundat in gloriam ipsius. Eâdem loquendi formâ usus fuit Iosue ad Achanem, Jos.7 v.19.

25 *Nunc videre.* νῦν βλέπω. Nempe illius beneficio.

27 *Et non audivistis?* καὶ οὐκ ἠκούσατε. Legendum cum interrogatione. quasi dicat: Miror si non audivistis, quum tamen vobis dixerim.

31 *Non audiat.* οὐκ ἀκούει. Id est, non exaudiat, non faciat ea quę illi petunt.

32 *A seculo.* ἐκ τοῦ αἰῶνος. Inde á seculo (hoc est mundo) condito. Sic Matt.ult.v.ult. dicitur consummatio seculi, τοῦ αἰῶνος, id est mundi hujus.

33 *Quicquam.* οὐδέν. Scilicet τοιοῦτον, tale. In Græco gemina negatio est.

34 *Tu in peccatis natus es totus.* Sic nimirum judicant, quia natus erat cæcus. *Et tu doces.* καὶ σὺ διδάσκεις. Pro, Et tamen doces? Enuntiatum discretum: Quanquam tu in peccatis natus es totus, tamen præsumis docere nos homines scilicet tam sanctos. quasi dicant: Quis hoc ferat? *Et ejecerunt.* καὶ ἐξέβαλον. id est, Itaque ejecerunt. Narratur enim eventus.

35 *Eum ejectum foras.* ὅτι ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω. quód ejecissent eum foras.

39 *Ad judicium.* εἰς κρῖμα. Hoc est, Ad vindictam gloriæ Dei exercendam in superbos ac præfractos Euangelii & gratiæ Dei contemtores. Et sic hoc nomen pertinet tantúm ad posteriorem sententiæ sequentis partem. Sin verò ad utramque illius sententiæ partem hoc nomen extendatur: tum significabit in genere gubernationem divinam animorum in Euangelii prædicatione. *Veni.* ἦλθον. Nempe ad Euangelium docendum. *Ut qui.* ἵνα οἱ, &c. Sequitur declaratio illorum verborum, εἰς κρῖμα, ad judicium. *Qui non vident.* οἱ μὴ βλέποντες. Id est miseri peccatores qui cæcitatem sibi innatam agnoscunt & deplorant, & proinde illuminari á Deo expetunt. *Videant.* βλέπωσι, id est, per Euangelii prædicationem virtute Spiritus sanctus illuminentur; & veram Dei notitiam consequantur. *Qui vident.* οἱ βλέποντες, Hoc est, qui videntur sibi videre & notitia Dei præditi esse. quales tunc erant Pharisæi. Similis locutio extat, Matth. 13. vers. 12. Etiam

quod

quod *habet*, tolletur ab eo. quod Lucas exponit, Etiam quod *videtur habere*; Luc.8. v.18. *Cæci fiant.* τυφλοὶ γένωνται. Id eſt, prædicatione Euangelii cæciores reddantur, & deniq; planè excæcentur, quemadmodum luce tolis meridiani excæcantur oculi noctuarum. Confer 2.Cor.2.v.15.16.

40 *Num & nos cæci ſumus?* μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν; Hoc eſt, Num & nos tibi cæci videmur? num & nos cæcos eſſe affirmas? Interrogatio vim habet indignandi. quaſi dicant, Eheu injuriam & contumeliam qua nos afficis.

41 *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum, &c.* Hoc eſt, Si ex ſimplici cæcitate ſeu ignorantia offenderemini mea doctrina, haberetis aliquam peccati veſtri excuſationem, aut ſaltem poſſetis conſequi illius remiſſionem: ſed quia peccatis ex cæcitate voluntaria & veritatem agnitam hoſtiliter perſequimini, nullam excuſationem habetis, nec unquam remiſſionem conſequemini. Confer infrá c.15.v.22.item Matth.12.v.32.

OBSERVATIONES LOCORUM

DOCTRINAE EX CAP. 9.

I. Jeſus Mariæ virginis filius, eſt promiſſus ille Meſſias ſeu Chriſtus ſeu denique ſervator mundi: quia viſum dedit cæcis: id quod Meſſiam facturum prædixit Eſaias c.35.v.5. Vide Luc.7.v.20.21.22.

II. Chriſtus ita benignus eſt, ut miſeris ultro opem ferat.

III. Ex v.2. Cavendũ ne in æſtimãdis proximi miſeriis rigidiores ſimus, nevé proximum temeré damnemus; ſed potiús in nos ipſos deſcendamus, & in noſtra ipſorũ vitia inquiramus; quum naturâ meliores aliis non ſimus.

IV. Ex v.3. Omnium quidem etiam corporis malorum prima eſt origo peccatum; nec tamen conſequitur, ſemper á Deo reſpici peccata eorum, quos duriſſimis etiam flagellis cædit. Exemplum illuſtre eſt in Jobo.

V. Ex v.4. Unuſquiſq; in ſua vocatione ſeduló operari debet, dum licet.

VI. Ex v. 5. Chriſti exhibitio in mundo, inſtar clariſſimæ lucis eſt, radios ſuos ſpargentis in omnium electorum corda. Etſi enim non omnibus licuit Chriſtum in carne manifeſtatum videre oculis corporis; tamen oculis cordis viderunt illum & vident & videbunt omnes electi. Auguſtinus cupivit tria videre: Romam in flore, Paulum in ore, Chriſtum in carne. Vide Luc.10.23.& 24.

VII. Ex.v.6.& 7. Symbolis á Deo præceptis utendum eſt, ſi promiſſionum ejus participes fieri velimus: etiamſi ſymbola rationi humanæ ridicula ſint. qualis vel inprimis erat circumciſio.

DOCTRINA EX SECUNDA PARTE.

Semper reperiuntur maligni operum Dei æſtimatores, quique illorum gloriam ſupprimere conentur in gratiam potentiorum quibus adulantur: ſed quo magis iſti veritatem conantur opprimere, eó magis illa innoteſcit. Confer Act.2.13.

DOCTRINAE EX TERTIA PARTE.

I. Ex v.14. Exemplo Chriſti ſanantis cæcum in ſabbato (qua re non ignorabat offenſum iri Phariſæos) docemur, non eſſe curandas offenſiones hoſtium

hoſtium Euangelii: Sed illis neglectis, ſtrenué operam dandam, ut gloria Dei promoveatur. Vide Matth.15.14.

II. Ex v.16.& 17. Nullius rei prætextu acriús quám religionis, oppugnatur religio: ſed ea quó magis premitur, eo magis aſſurgit.

III. Ex ver.18. Si odio piorum doctorum Euangelii fidem manifeſtæ veritati derogét hypocritæ: conſolemur nos exemplo Chriſti, cui idē evênit.

IV. Ex ver.21. 22.& 23. Si Spiritus ſanctus per os Euangeliſtæ mollitiem parentum cæci ſanati damnat, ut qui periculi declinandi cauſa non ingenué confeſſi ſint beneficium Chriſti: quanto igitur minus habebunt excuſationis, qui perfida abnegatione Chriſtum cum ſua doctrina, cum miraculis, cum virtute & gratia prorſus obruunt.

V. Ex ver.24.& 25. Quo vehementiús adverſus Deum luctantur ejus hoſtes, eó plurib. laqueis ſubinde ſe induunt & fortiús ſe conſtringunt.

VI. Ex v.25.27.30.31.32.& 33. Deus, quoties gloriæ ejus intereſt, per infirma organa confundit faſtum hypocritarum: quemadmodum hîc gratiam dat ſanato illi cæco, homini plebeio & pauperculo, atque adeó mendico. ut non vereatur liberrimé Phariſæis contradicere, eoſdemque ſalsé etiam irridere.

VII. Ex v.28.29.& 34. Superba impietas tametſi ad tempus ſub pietatis zelo deliteſcit: tamen tandē ſeſe prodit, & in manifeſtas injurias erumpit.

EX QUARTA PARTE DOCTRINA.

Feliciſſima eſt eorum conditio, qui ab impiis (etiam nomine Eccleſiæ ſuperbientibus) quam-longiſſimé extruduntur: nam Chriſtus eó propiús ad eos accedit.

EX QUINTA PARTE DOCTRINAE.

I. Ex v. 39. Chriſtus Euangelii prædicatione eos, qui cæcitatem ſuam (id eſt ignorantiam Dei & ſalutis ſuæ) agnoſcunt & illuminari expetunt, veré illuminat: eos veró qui ſibi videntur oculati (hoc eſt, notitia Dei & ſalutis ſuæ præditi) ac proinde Euangelii doctrinam repudiant, penitus excæcat. Conſer 2.Cor.2. v.15.16.

II. Ex v.41. Contemtus lucis Euangelii & gratiæ Dei in eo lucentis, homines inexcuſabiles reddit. Quare lucem Euangelii reverenter excipiamus, eaque indies magis ac magis illuſtrari expetamus.

ANALYSIS CAP. X.

ARGUMENTUM.

Partes duæ ſunt. Prima continet concionem Chriſti de oſtio caulæ ovium,& de ovibus ſuis,& denique de ſe paſtore ovium: cum illius concionis eventu, uſque ad v.22. Altera pars continet altercationem Chriſti cum Judæis in feſto encæniorum habitam, de ſuo officio & perſona: item cum eventu, uſque ad finem capitis.

DE

DE PRIMA PARTE.

1 AMen amen dico vobis, qui non ingreditur per oſtium in caulam ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro:
2 Qui verò ingreditur per oſtium, paſtor eſt ovium.
3 Huic aperit ianitor, & oves vocem ejus audiunt: & ſuas oves vocat nominatim, & educit eas.
4 Quúmque ſuas oves emiſerit, antegreditur eas: & oves eum ſequuntur, quia norunt vocem ejus.
5 Alienum autem nequaquam ſequentur, ſed fugient ab eo: quia non norunt vocem alienorum.
6 Hanc ſimilitudinem dixit eis Jeſus. Illi verò non cognoverunt quænam illa eſſent quæ loquebatur eis.
7 Jeſus ergo rurſum dixit eis, Amen amen dico vobis, ego ſum oſtium illud ovium.
8 Quotquot ante me venerunt, fures ſunt & latrones: ſed non auſcultarunt eos oves.
9 Ego ſum illud oſtium: per me ſiquis introierit, ſervabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.
10 Fur non venit niſi ut furetur, & mactet ac perdat oves: ego veni ut vitam habeant, & abundent.
11 Ego ſum paſtor ille bonus: bonus paſtor animam ſuam deponit pro ovibus:
12 Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videns lupum venientem, relinquit oves & fugit: lupus autem rapit & diſſipat oves.
13 Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non eſt illi cura ovium.
14 Ego ſum paſtor ille bonus, & agnoſco oves meas, & agnoſcor à meis: Prout novit me Pater, & ego novi Patrem.
15 Et animam meam depono pro ovibus.
16 Alias etiam oves habeo quæ non ſunt ex hac caula: illas quoque oportet me adducere: nam vocem meam audient, fiétque unus grex & unus paſtor.
17 Propterea Pater me diligit, quia ego depono animam meam ut eam rurſus aſſumam.
18 Nemo tollit eam à me, ſed ego depono eam per meipſum: poteſtatem habeo deponendi eam, & poteſtatem habeo rurſus eam aſſumendi. Hoc mandatum accepi à Patre meo.
19 Diſſidium igitur rurſum ortum eſt inter Judæos propter iſtos ſermones.
20 Dicebant autem multi eorum, Dæmonium habet, & inſanit. quid eum auditis?
21 Alii dicebant, Hæc verba non ſunt dæmoniaci: num dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?

In prima parte Chriſtus primùm proponit parabolam de paſtore ovium, uſque ad ver.6.deinde eam exponit,á v.7.uſque ad 19. Poſtremó exponitur concionis illius eventus. Parabola duo docet: Unum, quinam ſint veri paſtores ſeu Eccleſiæ doctores, v.1.2.3.& parte quarti: alterum,quænam ſint veræ oves, hoc eſt, veri diſcipuli Chriſti tanquam ſummi paſtoris, v.4. & 5. Veros igitur paſtores á falſis hac nota diſcernit Chriſtus, quód veri doctores oves ad ſolum Chriſtum ducunt, tanquam ad oſtium, per quod ingreſſus in Eccleſiam patet: falſi non item. Porró falſos doctores, ut meminerimus quantopere cavendi nobis ſint, fures & latrones nominat: quippe

qui

qui falſa ſua doctrina æternam vitam hominibus ſuffurantur,& illorum animas necant, atque in æternam mortem præcipitant, ver.1. Contrá ut veros doctores eó libentiús atque alacriús audiamus & ſequamur, inſignem utilitatem quæ ex illorum ductu ad nos pervenit, indicat, nempe quód á Deo in gregem ovium Chriſti admittimur atque recipimur,v.3. Præterea veros doctores diſcernit non ſolúm á falſis, hoc eſt, iis qui falſa doctrina oves á Chriſto ſeducunt ac perdunt: ſed etiam á mercenariis, hoc eſt, qui etſi vera doctrina oves paſcant, nullam tamen ovium curam gerunt: id quod faciunt paſtores veri. Hanc curam Chriſtus ſignificat primúm, cúm ait ver. 3. verum paſtorem *ſuas oves vocare nominatim*, hoc eſt, auditores ac diſcipulos ſuos notos habere: quippe quos non ſolúm publicé docuerit, ſed etiam privatim admonuerit. Deinde ait, quód verus paſtor oves ſuas *ducat in paſcua*, hoc eſt, quód magno ſtudio ſuis diſcipulis proponat ſalutarem doctrinam verbi Dei,ver.3.& 4. Atque hæc de paſtore. Jam ad oves quod attinet, hoc eſt electos: de illis ait Chriſtus, *quód vocem boni paſtoris audiant, eumque ſequantur*, ver.3. & 4. hoc eſt, quód veræ doctrinæ de ſalute per Chriſtum partæ credant. deinde, *quód non audiant aut ſequantur alienum*, ver.5. hoc eſt, quód non credant doctrinæ falſæ malorum paſtorum. Cauſſam etiam exponit, cur illos ſequantur, hos non item: *quia nimirum agnoſcant vocem illorum, horum non item*, hoc eſt, quia Spiritu Dei edocti, intelligant veram atque cœleſtem doctrinam, eamque á falſa diſcernant, ver.4.& 5.

6 *Hanc*] Tranſitio ad expoſitionem parabolæ: quæ tranſitio continet cauſam, quæ Chriſtum movit ad parabolam exponendam: nempe quód animadverteret, Judæos illam non intelligere. In expoſitione parabolæ primúm monet,ſe eſſe oſtium illud caulæ ovium, hoc eſt, per ſe ſolum ingreſſum patere in Eccleſiam & regnum Dei, ver.7.& 9. Deinde monet, omnes doctores qui diſcipulos ad ipſum non duxerint, fuiſſe fures & latrones, v. 8. Tertió diſcernit ſe tanquam verum paſtorem á paſtoribus falſis, v.10. Quartó diſcernit ſe á mercenariis, v.11.12.13. 14. & 15. Quintó, promittit vocationem gentium & aggregationem in ovile populi Dei, v. 16. Sextó redit ad diſcrimen inter ſe & mercenarios, ſuumque eximium erga ſuas oves amorem prædicat,v.17.& 18.

19 *Diſſidium*] Eventus concionis Chriſti, fuit diſſidium inter auditores: quorum alii eum blaſphemarunt,alii contra blaſphemiam defenderunt.

DE SECUNDA PARTE.

22 *Facta ſunt autem encænia Hieroſolymis,& hyems erat:*

23 *Et ambulabat Jeſus in templo in porticu Solomonis.*

24 *Cinxerunt igitur eum Judæi,& dixerunt ei, Quouſque animam noſtram ſuſpendis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis apertè.*

25 *Reſpondit eis Jeſus,Dixi vobis,nec creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei,hæc teſtantur de me.*

26 *Sed vos non creditis: non enim eſtis ex ovibus meis, ſicut dixi vobis.*

27 *Oves meæ vocem meam audiunt,& ego eas agnoſco,& ſequuntur me:*

28 *Et ego vitam æternam do eis: nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam è manu mea.*

29 *Pater meus qui eas dedit mihi, maior omnibus eſt: neque quiſquam poteſt eas rapere è manu Patris mei.*

30 *Ego*

30 *Ego & Pater unum ſumus.*

31 *Sustulerunt ergo rurſum lapides Judæi ut lapidarent eum.*

32 *Reſpondit eis Ieſus, Multa bona opera exhibui vobis ex Patre meo: propter quod illorum operum me lapidatis?*

33 *Reſponderunt ei Judæi, dicentes, Ob bonum opus non lapidamus te, ſed ob blaſphemiam: id eſt, quia tu, homo quum ſis, facis teipſum Deum.*

34 *Reſpondit eis Ieſus, Nónne ſcriptum eſt in Lege veſtra, Ego dixi, Dii eſtis?*

35 *Si illos dixit deos ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura:*

36 *Me, quem Pater ſanctificauit & miſit in mundum, vos dicitis me blaſphemare, quia dixi, Filius Dei ſum?*

37 *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi:*

38 *Sin verò facio; etiam ſi mihi non credatis, operibus* tamen *credite ut cognoſcatis & credatis Patrem in me eſſe, & me in eo.*

39 *Rurſus ergo ſtudebant eum prehendere: ſed exiuit ex eorum manu.*

40 *Abiitque rurſus ad trajectum Iordanis, in eum locum vbi primùm fuerat Iohannes baptizans, manſitque illic.*

41 *Multi autem veniebant ad eum, & dicebant, Iohannes quidem ſignum nullum edidit: quæcunque autem de iſto dixit, vera erant.*

42 *Et multi illic crediderunt in eum.*

Altercationem Chriſti cum Judæis habitam deſcripturus Euangeliſta, primùm indicat circumſtantiam temporis, v. 22. deinde loci, v. 23. tum occaſionem, v. 24. videlicet quæſtionem Judæorum, an ipſe ſit Chriſtus ſeu promiſſus ille Meſſias. Ad quam quæſtionem Chriſtus reſpondens, & Judæis incredulitatem ſuam exprobrat, & ſe Chriſtum eſſe demonſtrat ex effectis, nempe ex factis ſeu operibus Chriſti propriis, v. 25. deinde ad ſe conſolandum, cauſſam incredulitatis eorum exponit, nempe arcanam voluntatem Patris, qui eos non elegerit ad vitam æternam, v. 26. & incredulitati eorum opponit fidem electorum, v. 27. Et hos in fide confirmat promiſſione vitæ æternæ (qui eſt fidei finis) & perſeverantiæ in fide, quæ ad illum finem aſſequendum deſtinata eſt, v. 28. Perſeverantiam autem in fide docet pendêre à ſuo, tanquam fidi poſtoris, præſidio: & hujus præſidii firmitatem ac certitudinem probat à comparatione ſui cum Patre: ut qui parem cum Patre habeat potentiam: quum ſit unum cum Patre, nempe unus Deus. Potentia autem Dei potentiam Diaboli & omnium ejus organorum longiſſimé ſuperat, v. 29. & 30. Hac gloriatione offenſi Judæi, tanquam blaſphema, conantur eum lapidare, v. 31. Chriſtus igitur cum eis propter hanc injuriam expoſtulat, eiſque opera ſua hactenus edita opponit, v. 32. At illi factum ſuum defendunt, & crimen blaſphemiæ ei impingunt, ut qui ſe affirmet Deum: quum non ſit niſi nudus homo, v. 33. Chriſtus igitur crimen blaſphemiæ à ſe depellit, ſeque meritó Deum nominari, probat à minori: videlicet ab exemplo magiſtratuum, qui nominantur dii, Pſal. 82. Syllogiſmus eſt connexus primi modi:

Si magiſtratus rectè dicuntur dii: multó magis ego.
At antecedens verum eſt.
Ergo & conſequens,

Propoſitio probatur: Quia ad magiſtratus tantúm factus eſt ſermo Dei, & divinum officium eis à Deo mandatum, nempe Judicium. Judicium enim Dei eſt: Deut. 1. v. 17 2. Paralip. 19. v. 6. At Chriſtus eſt filius Dei unigenitus, ſanctificatus à Patre in Meſſiam ſeu Servatorem mundi, atque etiam miſſus,

missus. Assumtio probatur: quia magistratus dicuntur dii ab ipso Deo, teste scriptura: cujus testimonium authenticum & firmum est. Hæc continentur v.34.35.& 36. Postea idem probat á suis operibus, v.37.& 38. Ad extremum indicatur eventus: videlicet quód Judæi jeum studuerint prehendere sed frustra, v. 39. Denique quó Dominus abierit, v. 40. & qua remoti multi eum secuti sint v.41. quem fructum ex illa conversatione retulerint, v.42.

SCHOLIA IN CAP. X.

6 *Non cognoverunt.* οὐκ ἔγνωσαν. Id est, non intellexerunt, ἐ συνίεσαν. *Quenam illa essent,* τίνα ἦν. Id est, quidnam significaret ista similitudo.

7 *Ostium illud ovium.* ἡ θύρα τῶν προβάτων. Id est, per quod oves in caulam intrant.

8 *Quotquot ante me venerunt.* πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον. Nempe profitentes se esse ostium illud ovium: aut certe aliud quodvis ostium quám me, ostendentes.

13 *Et non est illi cura ovium.* καὶ ὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων. Vel, Et oves non sunt ei curæ.

14 *Oves meas.* τὰ ἐμά. Supple πρόβατα. *Et ego novi.* κἀγὼ γινώσκω. Repetendum καθὼς ex præcedente membro, sic: καὶ καθὼς ἐγὼ γινώσκω, *Et prout ego novi.* Non enim his verbis continetur ἀπόδοσις sententiæ proximepræcedentis: sed ambæ istæ sententiæ pertinent ad πρότασιν comparationis, cujus ἀπόδοσις proxime-præcessit. πρότασις autem hic annectitur per ὑστερολογίαν, ordine inverso.

15 *Animam meam.* τὴν ψυχήν μου. Id est, vitam meam. Metonymia efficientis.

16 *Alias etiam oves.* καὶ ἄλλα πρόβατα. Intelligit electos inter Gentes. *Ex hac caula.* ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης. Ex populo Judaico. *Adducere.* ἀγαγεῖν. Id est, προσαγαγεῖν.

18 *Per meipsum.* ἀπ' ἐμαυτοῦ. Mea sponte.

20 *Quid.* τί. Id est, Quare, διατί.

22 *Encænia.* τὰ ἐγκαίνια. Festum hoc institutum fuit á Juda Macchabeo: quum pulso Antiochi præsidio, templum ac cultum Dei instaurasset. Vide 1.Macchab.4. v. 59. *Hyems erat.* χειμὼν ἦν. Nam Encænia celebrabantur mense Cisleu: qui ex parte respondit nostro Decembri.

25 *Nec.* καὶ ὐ. *Et tamen non.* Cohæret enim hæc sententia cum præcedente per enunciatum discretivum. *Opera &c.* τὰ ἔργα. Concisus sermo. quasi dicat: Sed quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt?

26 *Non enim.* ὐ γάρ. Expositio causæ: qualis fuit suprá cap.8.v.47. item cap.6.v.37. *Sicut dixi.* καθὼς εἶπον. Nempe locis modo citatis.

28 *In æternum.* εἰς τὸν αἰῶνα. Id est, unquam, Sic 1.Cor.8.v.13.

29 *Pater meus.* ὁ πατήρ μου. Exponit nunc causam ejus quod dixerat, non posse quenquam oves suas rapere é manu sua: quia nimirum Pater major, id est, potentior sit omnibus, ipse autem cum Patre unum sit. *Omnibus.* Scil.& angelis & hominibus. *Unum sumus.* ἕν ἐσμεν. Id est, unius ejusdemque naturæ. Ex collatione versiculi 33.& 36. Quum autem natura Dei sit impartibilis: sequitur totam esse & in Patre & in Filio: Sicut & in Spiritu sancto.

31 *Rursum.* πάλιν. Ut suprá cap.8.v.ult.

33 *Ob bonum opus.* περὶ καλοῦ ἔργου. Id est, διὰ καλὸν ἔργον. *Facis teipsum Deum.*

Deum. ποιεῖς σεαυτὸν θεόν. Nempe dum dicis, te & Patrem esse *ἕν.* 117

34 *In Lege vestra.* Id est, quam vos jactatis, quâve gloriamini: ut Rom. 2. v. 17. & deinceps.

35 *Scriptura. ἡ γραφὴ.* Scil. *ἡ ἁγία*, sancta.

38 *Sin verò facio.* Scil. opera patris mei. *Etiamsi. κἂν.* Hic incipit consequens connexi: quod ipsum consequens, est enunciatum discretum. *Operibus. τοῖς ἔργοις.* Scil. *τοῖς ἐμοῖς*, meis.

41 *Signum. σημεῖον.* Id est, miraculum.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. 10.

EX PRIMA PARTE.

1. Ex v. 1. 8. & 10. Quicunque se pastores Ecclesiæ Dei profitentur, & tamen oves non pascunt sana hac doctrina, quód per solum Christum (nempe per illius meritum & efficaciam) æternam vitam consequantur: illi non pastores, sed fures & latrones sunt: quippe qui furantur æternam vitam ovium, & animas earum necant. Tales hodie sunt pseudopastores illi in Papatu: qui contendunt, non sola fide in Christum, sed etiam meritis suorum bonorum operum homines æternam vitam adipisci. Tales etiam sunt, qui remissionem peccatorum in externo usu Sacramentorum ponunt, aut saltem populum in isto errore relinquunt ac fovent. Hæc enim causa est, cur baptismum quem vocant necessitatis vel festinationis defendant: & cur moriturus privatim cænam Domini pro viatico dent.

11. Ex v. 2. 3. & 4. Pastoris Ecclesiæ officium est, non solúm sana doctrina de vita æterna per solum Christum consequenda oves sibi commissas pascere: verúm etiam diligentem earum curam gerere, adeó ut eas (quoad ejus fieri potest) privatim notas habeat, & singulas prout necessitas temporis postulaverit, tractet, instituendo, consolando, admonendo, objurgando, denique omnia ea agendo quæ ad ovium salutem spectant. Vide Ezech. 34. v. 4. expostulationem Dei cum pastoribus officiũ suum negligentibus: Morbo affectas (inquit) non confirmatis, ægrotamque non curatis, & confractam non obligatis, ac depulsam non reducitis, pereuntemque non requiritis: sed vi dominamini in eas & per sævitiam &c. & Act. 20. versu 26. 27. 31. 32. 33. 34. & 35. exemplum boni ac diligentis atque solliciti pastoris in Apostolo Paulo: & 1. Pet. 5. v. 2. cohortationem Petri ad pastores ut officium diligenter faciant. qualis est etiam cohortatio Pauli ad pastores Ecclesiæ Ephesinæ, loco citato ex Actis, v. 28. 29. 30. & 31.

111. Ex v. 3. 4. & 5. Qui pro ovibus Christi haberi volunt, eos oportet audire vocem Christi, tanquam summi pastoris, loquentis per ministros verbi sui: sed non satis est audire auribus; sed oportet etiam audire corde, id est obedire sanæ doctrinæ, illam credendo, & sanctè secundum illam vivendo. Simul etiam fugere oportet pastores falsos, h. e. qui falsa doctrina oves á Christo abducunt: nisi de vita æterna periclitari velint. vide 1. Ioh. 4. v. 1.

1v. Ex v. 7. Christus solus is est per quem in cælum ingressus nobis patet. Vide inf. 14. v. 6.

v. Ex v. 8. Nihil refert, quám multi aut quám pridem fuerint falsi doctores. Vide Matth. 5. v. 21. & 27. Dictum est antiquis, &c.

VI. Ex eod. v. Electi conſervantur divinitus, ne falſa doctrina ſeducantur & á Chriſto deficiant. Vide Matth. 24.v.24.& Luc.22.v.32.de fide Petri.

VII. Ex v. 9.10.11. & 14. Quicunque æternam vitam expetit, & ſolidam conſolationem deſiderat, is in Chriſtum credat; per hunc enim conſequetur quod expetit.

VIII. Ex v.11. Chriſtus reipſa demonſtravit, ſe fidelem noſtrum paſtorem eſſe: quia animam ſuam pro nobis poſuit. Quare illi nos totos regendos credamus. Vide Rom.5.v.6.& 8.

IX. Ex v.12. & 13. Non eſt ſatis, paſtorem Eccleſiæ non eſſe furem & latronem, hoc eſt, ſeducere gregem falſa doctrina: ſed nec mercenarium eſſe oportet, qui ſcilicet mercedis cauſſa oves paſcat, nullam autem eorum curam gerat. Et ſi enim Dominus conſtituit ut qui Euangelium annunciant, ex Euangelio vivant, 1. Cor.9.v.14. tamen non oportet victus aut mercedis cauſſa Euangelium annunciare. quin potiús Apoſtolus Paulus victum ab Eccleſiis accipere noluit: ne pſeudapoſtolis anſam calumniandi præberet, quaſi mercedis cauſſa Euangelium doceret, ibid.v.15. Vide 1.Pet.5.v.2. Non turpiter affectantes lucrum, ſed promto animo.

X. Ex iiſdem verſibus. Paſtor Eccleſiæ, niſi pro mercenario haberi velit, lupis, id eſt falſis doctoribus, quoties ingruunt & gregi ſuo imminent, reſiſtat: convincendo nimirum falſam eorum doctrinam, & oves admonendo, ne ſe falſa illa doctrina ſeduci patiantur. Vide Matth.7.v.15.exemplum Chriſti ſummi paſtoris.& Act.20.v.28.29.30. &31.exemplum Apoſtoli Pauli.

XI. Ex v. 14. Inter Chriſtum & ejus oves reciprocus ſeu mutuus amor eſt. Quare quotquot Chriſtum diligimus, ſciamus nos ejus oves eſſe, ac viciſſim ab ipſo diligi. Interim veró probé notemus: quód ipſe prior dilexerit nos, ut Johannes ait: quippe qui nos dilexit, quum adhuc eſſemus inimici, ut ait Paulus.

XII. Ex v.15. Dilectio, qua nos diligit Chriſtus, conſtans & immutabilis eſt: non minús quám illa qua ipſe diligitur á Patre, & viciſſim patrem diligit. Eſt etiam ſumma: quia illa adductus, mortem pro nobis oppetiit, & quidem injuſtis. Vide infrà 15.v.13.Rom.5.v.6.7.& 8.

XIII. Ex v.16. Comparemus miſerum illum ſtatum majorum noſtrorum nondum ad ſocietatem populi Dei vocatorum, cum felici hoc noſtro ſtatu, qui jam ad communionem ſanctorum per Euangelium vocati ſumus & quotidie vocamur: ut magnitudine beneficii Dei in nos indignos collati, ad ſeriam gratitudinem ac pietatis ſtudium moveamur. Vide Epheſ.2.á.v.11.uſq; ad fin. cap.

XIV. Ex v. 17. & 18. Chriſtus ultró ſeſe ad necem pro nobis obtulit, ut obedientia ſua noſtram inobedientiam expiaret, & ut victima quam offerebat patri, grata & accepta eſſet: deinde ſua ipſius virtute (non tamen excluſa cooperatione Patris & Spiritus ſancti) animam ſuam reſumſit, vivificando atque excitando corpus ſuum ex mortuis: ut nos quoque per ſpiritum ſuum ex morte peccati excitaret. Rom.6.

XV. Ex v.18. Chriſtus eſt unicus ille ſacerdos Eccleſiæ: quippe qui ſolus á Patre mandatum accepit ſacrificandi ſeipſum ad expianda peccata electorum, & victimam oblatam ex morte excitandi atque in ſanctuarium cæleſte inferendi & in conſpectu Patris perpetuó ſiſtendi: ut ſciamus reconciliationem noſtri perpetuam eſſe, nulloque momento interrumpi. Vide Hebr. 10.v.12.& 14.item cap.9.v.24.25.& 26.

XVI. Ex v.19.20.& 21. Euangelium detegit hypocriſin, ideoque neceſſe

eſt

est mundum ad ejus exortum tumultuari. Vide Matth. 10. versu 34. 35. & 36. Non veni ut mittam pacem Luc. 2. v. 34. Positus in signum cui contradicitur.

DOCTRINAE EX SECUNDA PARTE.

I. Ex v. 24. Quanquam doctrina Euangelii clara & perspicua est, tamen increduli de illius obscuritate conqueruntur: qui quo minùs ejus lucem cernant, innata malitia impediuntur.

II. Ex v. 25. Veritas doctrinæ Euangelii divinis operibus seu miraculis Christi abundè testata est, ut de illa dubitare nefas sit.

III. Ex v. 26. & 27. Pii ministri verbi Dei, quum perturbantur paucitate credentium, consolentur se (exemplo Christi) consideratione arcanæ voluntatis Dei, sciantque semper esse aliquos electos, qui credunt.

IV. Ex v. 28. 29. & 30. Quicunque à Deo donantur vera fide, donantur etiam perseverantia in fide. Porrò fidem conjunctum habere perseverantię donum, probatur duobus argumentis ex verbis Domini desumtis. Unum est a fine, qui est vita æterna. ait enim Christus, se ovibus suis quæ vocem suam audiant & se sequantur, dare vitam æternam. Ergo dat eis quoque perseverantiam in fide quæ ad vitam æternam consequendam necessaria est. Alterum argumentum sumitur à caussa efficiente, quæ est omnipotens. ait enim, Neminem rapturum suas oves è manu sua, quia ipse sit unum cum Patre, ac proinde major sive potentior omnibus, nempe creaturis, ac nominatim Diabolis, lupis illis qui ovibus Christi insidiantur. Vide Rom. 8. vers. 38. & 39.

V. Ex v. 30. Aeternus pater & filius, itemq; Spiritus sanctus, sunt quidem distinctæ personæ: sed tamen sunt unus Deus seu Jehovah. Confer 1. Johan. 5. 7.

VI. Ex v. 31. 32. & 33. Diabolus non potest ferre doctrinam de deitate Christi: unde eam per sua organa quantum potest, tanquam blasphemam damnat, & persequitur, in iis etiam qui citra controversiam multa laudabilia fecerunt.

VII. Ex v. 34. Quum Deus dignetur magistratus & judices suo ipsius nomine: æquum est ut & illi officium sibi à Deo mandatum in timore Dei administrent, cogitantes, judicium Dei esse: ac proinde ex voluntate Dei verbo ipsius testata, non autem ex affectibus humanis aut etiam judicio rationis humanæ pronuntiandam sententiam esse. Deinde par quoque est, ut nos eos tanquam Dei ministros revereamur, nosque eorum gubernationi subjiciamus. Vide Rom. 13.

VIII. Ex v. 35. Scripturæ Propheticæ, itemque Apostolicæ, testimonium, authenticum & αὐτόπιστον est: ac proinde non licet illi contradicere. Vide 2. Pet. 1. v. 19. 20. & 21.

IX. Ex v. 36. Christum esse Deum, probatur ex ipsius officio, quòd nimirum à Patre sanctificatus, id est, ordinatus est in Servatorem mundi: quod officiũ, nisi Deus esset, administrare nõ potuisset, nec adhuc posset. Mundus enim non potuit ab eo servari, nisi victo Diabolo, sub cujus potestate erat.

X. Ex v. 37. & 38. Deitas Christi ex divinis ipsius operibus abundè cognoscitur.

XI. Ex v. 39. 40. 41. & 42. Christus vitavit periculum, & secessit, non diffidentia, nec mortis metu, nec otium captans: sed ut alibi Ecclesiam colligeret.

ANALYSIS CAP. XI.

ARGUMENTUM.

Hoc capite continetur historia Lazari à Christo excitati é morte. Partes principales tres sunt. Prima continet ea quæ excitationem antecesserunt; usque ad v.43. Secunda formam rei gestæ, v.43.& 44. Tertia eventum, seu ea quæ consecuta sunt, usque ad finem capitis.

DE PRIMA PARTE.

A *Egrotabat autem quidam* nomine *Lazarus, à Bethania, ex vico Mariæ & Marthæ sororis ipsius.*

2 *(Maria autem ea erat quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus ægrotabat)*

3 *Miserunt ergo sorores ejus ad ipsum, dicentes, Domine ecce,* is *quem amas, ægrotat.*

4 *Jesus autem* hoc *audito, dixit, Morbus iste non est* immissus *ad mortem, sed pro Dei gloria, ut per eum* morbum *glorificetur Filius Dei.*

5 *Diligebat autem Jesus Martham & sororem ejus, & Lazarum.*

6 *Ut ergo audivit* illum *ægrotare, tum quidem mansit duos dies in eo loco ubi erat:*

7 *Deinde postea dixit discipulis, Eamus in Judæam rursus.*

8 *Dicunt ei discipuli, Rabbi, modò studebant te Judæi lapidare, & rursum illuc abis?*

9 *Respondit Jesus, Nónne duodecim sunt horæ diei? siquis ambulet interdiu non impingit: quia lucem hujus mundi videt:*

10 *Siquis autem ambulet nocte, impingit: quia lux ei non adest.*

11 *Hæc ait: & postea dixit eis, Lazarus amicus ille noster dormit: sed proficiscor ut à somno excitem eum.*

12 *Dixerunt ergo discipuli ejus, Domine, si dormit, servabitur.*

13 *Hoc autem dixerat Jesus de ipsius morte: at illi putarunt eum de dormitione somni dicere.*

14 *Tunc ergo Jesus dixit eis apertè, Lazarus mortuus est.*

15 *Et gaudeo propter vos (ut credatis) me illic non fuisse. sed eamus ad eum,*

16 *Dixit autem Thomas qui dicitur Didymus, condiscipulis, Eamus & nos, ut moriamur cum eo.*

17 *Venit ergo Jesus, & invenit eum quartum jam diem in monumento agere.*

18 *Erat autem Bethania prope Hierosolymam fere stadiis quindecim:*

19 *Multiq; ex Judæis venerant ad Martham & Mariam ut consolarentur eas de fratre suo.*

20 *Martha ergo ut audivit Jesũ venire, occurrit ei: Maria verò domi sedebat.*

21 *Dixit autem Martha Jesu, Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus:*

22 *Sed & nunc scio fore ut quæcunque petieris à Deo, det tibi.*

23 *Dicit ei Jesus, Resurget frater tuus.*

24 *Dicit ei Martha, Scio resurrecturũ,* nempe *in resurrectione, ultimo illo die.*

25 *Dixit ei Jesus, Ego sum resurrectio & vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet:*

26 Et

26 *Et quisquis vivit,& credit in me,non morietur in æternum.Credis hoc?*

27 *Ait illi,Etiam Domine,ego credo te esse Christum Filium Dei,qui in mundum venturus erat.*

28 *Et quum hæc dixisset,abiit, & clàm vocavit Mariam sororem suam, dicens,Præceptor adest,& te vocat.*

29 *Illa ut audivit,surgit citò,& venit ad eum.*

30 *(Nondum autem venerat Jesus invicum: sed erat in eo loco ubi occurrerat ei Martha)*

31 *Judæi ergo qui domi erant cum ea,& consolabantur eam: quum vidissent Mariam citò surrexisse,& exiisse,sequuti sunt eam, dicentes, Abit ad monumentum,ut illic fleat.*

32 *Maria verò quum venisset eò ubi erat Jesus: viso eo, accidit ad ejus pedes, dicens ei,Domine,si fuisses hîc,non esset mortuus frater meus.*

33 *Jesus autem ut vidit eam flentem, & Judæos qui unà venerant cum ea, flentes,infremuit spiritu,& turbavit seipsum:*

34 *Et dixit,Ubi posuistis eum? Dicunt ei,Domine,veni & vide.*

35 *Lacrymatus est Jesus.*

36 *Dixerunt ergo Judæi,Ecce quomodo amabat eum.*

37 *Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere ut & iste non moreretur?*

38 *Jesus ergo rursum fremens apud seipsum,venit ad monumentum. erat autem spelunca,& lapis erat ei impositus.*

39 *Ait Jesus,Tollite lapidem. Dicit ei Martha,soror ejus qui mortuus fuerat, Domine,jam olet; quatuor enim dierum est.*

40 *Dicit ei Jesus, Nónne dixi tibi,sore,si credideris,ut videas gloriam Dei?*

41 *Sustulerunt ergo lapidem è loco ubi mortuus ille fuerat positus. Jesus autem attollens sursum oculos dixit,Pater gratias ago tibi quòd me audieris.*

42 *Ego verò sciebam me semper à te audiri: sed propter turbam circumstantem hoc dixi,ut credant me à te missum esse.*

Primùm accersitur Jesus ad Lazarum ægrotantem sanandum: sed non venit,usque ad v.7. Deinde quum Lazarus jam esset mortuus,venit ut eum excitet,à v.7.usque ad v.18. Tertiò excipitur à sororibus Lazari, Martha & Maria,& Judæis Hierosolymitanis,à v.18. usque ad v.33. Quartò turbatur spiritu & lacrymatur, conspecto fletu Mariæ & Judæorum, à v.33.usque ad v.39. Quintò præparat se ad opus,à v.39.usque ad 43.

DE SECUNDA PARTE.

43 *Et quum hæc dixisset,clamavit voce magna,Lazare,adesdum foras.*

44 *Tum,qui fuerat mortuus, prodiit pedes & manus vinctus fasciis: facies autem ejus sudario erat obvincta. Dicit eis Jesus,Solvite eum,& sinite abire.*

Evocat Lazarum è sepulchro,v.43.deinde egressum jubet solvi vinculis, versu 44.

DE TERTIA PARTE.

45 *Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam, & conspexerant quæ fecerat Jesus,crediderunt in eum.*

46 *Quidam autem ex eis abierunt ad Pharisæos. & dixerunt eis quæ fecerat Jesus.*

47 *Coëgerunt ergo primarii Sacerdotes & Pharisæi concilium, & dicebant, Quid agemus? nam hic homo multa signa edit.*

48 *Si sinamus eum ita, omnes ei credent; venientque Romani, & delebunt tum locum nostrum, tum gentem.*

49 *Unus autem ex ipsis Caiphas, Pontifex maximus anni illius, dixit eis, Vos nihil scitis:*

50 *Nec cogitatis conducere nobis ut unus homo moriatur pro populo, & tota gens non pereat.*

51 *Hoc autem ex semetipso non dixit: sed quum esset Pontifex maximus anni illius, prophetavit fore ut Jesus pro ea gente moreretur:*

52 *Nec tantùm pro ea gente, sed ut etiam filios Dei dispersos cogeret in unum.*

53 *Ab illo ergo die consultabant unà ut trucidarent eum.*

54 *Jesus ergo palàm amplius non versabatur inter Judæos: sed abiit illinc in regionem quæ est prope desertum, in urbem quæ dicitur Ephraim: & illic agebat cum discipulis suis.*

55 *Prope autem erat pascha Judæorum: & ascenderunt multi Hierosolymam ex illa regione ante Pascha, ut purificarent se.*

56 *Quærebant ergo Jesum, & loquebantur alii cum aliis in templo stantes, Quid videtur vobis? an venturum non esse ad festum?*

57 *Dederant autem primarii sacerdotes & Pharisæi mandatum: ut siquis nosset ubi esset, indicaret, ut prehenderent eum.*

Conspecto hoc miraculo, multi in eum credunt, v. 45. Alii deferunt eum apud Pharisæos, v. 46. Pharisæi consultant de eo interimendo: ac nominatim Caiphas consilium propheticum proponit de utilitate mortis Christi, à v. 47. usque ad 54. Jesus insidiis animadversis, continet se in urbe Ephrem, usque ad festum, vers. 54. Colloquuntur paulò ante festum de ejus adventu, v. 55. 56. & 57.

SCHOLIA IN CAP. XI.

1 *Ægrotabat autem quidam.* ἦν δέ τις ἀσθενῶν. Pro, ἠσθένει δέ τις. Sicut Marc. 1. 4 ἐγένετο βαπτίζων, pro, ἐβάπτιζε. Vel vertendum, Erat autem quidam ægrotus: ut participium ἀσθενῶν habeat vim nominis. *A Bethania* ἀπὸ Βηθανίας. scilicet oriundus. quasi dicas, Bethaniensis. Sic suprà cap. 1. vers. 45. ἦν δὲ ὁ φίλιππος ἀπὸ Βηθσαϊδά: Philippus erat à Bethsaida, id est Bethsaidensis. Et ibid. v. 46. Invenimus Jesum τὸν ἀπὸ Ναζαρέθ, illum Nazarenum. *Ex vico Mariæ.* ἐκ τῆς κώμης Μαρίας id est, in quo nata erat Maria. Hoc sensu Luc. 2. v. 4. Bethleem vocatur πόλις Δαβίδ, urbs Davidis. Porrò hæc verba, ἐκ τῆς κώμης, &c. præcedentib. annectuntur per epexegesin, ad declarandum scil. nomen Bethania. planè ut c. 1. v. 45. dicitur, ἦν δὲ ὁ φίλιππος ἀπὸ Βηθσαϊδὰ, ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρέου καὶ Πέτρου. Nam quòd nonnulli putant, nomine Bethaniæ non vicum, sed tractum montis Oliveti significari, nulla firma ratione nititur. Vide infrà ad v. 18. *Ipsius.* αὐτῆς. Scilicet Mariæ.

2 *Quæ unxit.* ἡ ἀλείψασα Scilicet paucis diebus ante passionem Domini, ut narratur infrà c. 12. Quare hæc per prolepsin historicam dicuntur ad pleniùs declarandum quænam fuerit ista Maria. *Cujus frater, &c.* ἧς ὁ ἀδελφὸς, &c. His verbis redit ad narrationem institutam de Lazaro; quia per digressiunculam inseruerat descriptionem Mariæ.

3 *Sorores ejus.* αἱ ἀδελφαὶ, sorores illæ. nempe Lazari. *Ad ipsum.* πρὸς αὐτὸν. nempe Dominum: cujus facta mentio versu superiore. *Is quem amas.* ὃν φιλεῖς. Id est, Lazarus. Descriptio personæ argumentosa, habens πάθος. quasi dicant: Amas Lazarum: ergo tibi dolebit, quum audieris eum ægrotare:

ac

ae proinde eum inviſes, conſolandi ejus & ſanandi cauſa. In iſta igitur annuntiatione latet petitio, quam petunt ut ægrotantem inviſat.

4 *Hoc audito.* ἀκούσας. Scil. τοῦτο. *Ad mortem.* πρὸς θάνατον. Præpoſitione πρὸς notatur finis, cujus gratia Deus iſtum morbum Lazaro immiſerat: ſicut & mox præpoſitione ἐπὶ. Negatur iſte morbus Lazaro immiſſus eſſe ad mortem: nempe talem in qua maneret uſque ad communem ſeu univerſalem reſurrectionem. neque enim ignorabat Chriſtus, Lazarum ex illo morbo moriturum, ſeque illum excitaturum.

Ut per eum &c ἵνα δοξασθῇ, &c. Epexegeſis. Itaque perſpicuitatis gratiâ ſuppleri poteſt, *nempe.* Porró ex iſta epexegeſi liquet, Filium Dei eſſe Deum: quia nomen Dei per nomen Filii Dei exponitur. *Per eum morbum.* δι' αὐτῆς. Scilicet. ἀσθενείας. In verſione expreſſum eſt antecedens, vitandæ ambiguitatis causâ: quæ in Græco ipſa generum diſtinctione evitatur.

8 *Et rurſum.* καὶ πάλιν. Pro, Et tamen rurſum. Interrogatio vim habet dehortandi.

9 *Duodecim.* δώδεκα. Loquitur ex conſuetudine Judæorum; qui diem artificialem quemvis diſtribuebant in duodecim horas.

10 *Quia lux ei non adeſt.* ὅτι τὸ φῶς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ. Ad verb. Quia lux illa non eſt in eo. Quod videtur ſic exponendum: Quia lux illa de qua modó dictum, nempe lux mundi hujus (quæ eſt lux ſolis) non eſt in ipſius oculis. Et enim intra oculos lucem recipere oportet, ut quis videat.

11 *Dormit.* κεκοίμηται. Ad verb. Sopitus eſt. *A ſomno excitem.* ἐξυπνίσω Græcé uno verbo eleganter.

12 *Servabitur.* σωθήσεται. Id eſt, conſervabitur ex hoc morbo, convaleſcet.

13 *De dormitione ſomni.* περὶ τῆς κοιμήσεως τοῦ ὕπνου. Hîc genitivus ſpeciei regitur á nomine generis. nam dormitio hoc loco tanquam genus diſtinguitur in duas ſpecies, ſomnum, & mortem: quarum illa dormitio nominatur proprie loquendo, hæc verò per metaphoram. Talis eſt ſyntaxis in illis verbis Rom. 4. verſ. 11. Accepit Abraham σημεῖον περιτομῆς, ſignum circumciſionis: id eſt, circumciſionem quæ erat ſignum quoddam, nempe ſignum fœderis.

15 *Illic.* ἐκεῖ. Scilicet apud Lazarum. *Non fuiſſe.* οὐκ ἦμην. Utique corpore. nam deitate ſua ſemper ubique fuit. Synecdoche integri. *Eamus* ἄγωμεν. Pro, ὑπάγωμεν. Sic verſu ſequente.

18 *Fere ſtadiis quindecim.* ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε. Id eſt, fere duobus miliaribus. Vide Scholia ſuprá cap. 6. verſ. 19. Fuit autem hic vicus Bethania ſitus in monte oliveti: ut liquet ex collatione duorum locorum apud Lucam, videlicet Luc. 24. verſ. 50. ubi narrat, diſcipulos á Chriſto in cælum aſcenſuro ductos fuiſſe Bethaniam uſque; & Act. 1. verſ. 12. ubi ait, diſcipulos poſteaquam Chriſtum conſpexiſſent in cælum aſcendere, reverſos eſſe Hieroſolymam á monte oliveti. Porró cum mons oliveti (ut ibidem dicitur) ab Hieroſolymis abfuerit itinere ſabbati, hoc eſt, ſeptem ſtadiis: ipſe autem vicus Bethania ab iisdem Hieroſolymis abfuerit fere ſtadiis quindecim, ut hic affirmat Johannes: conſequens eſt, Bethaniam octo fere ſtadiis retró á principio montis in ipſo monte ſitam fuiſſe: id eſt, uno miliari & paulo-ampliùs.

19 *Ad Martham & Mariam.* πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν. Ad verb. Ad eas quæ erant circa Martham & Mariam. Metonymia adjuncti.

22 *Det tibi.* δώσει σοι ὁ θεός. Hebræa repetitio antecedentis πλεονασμός.

24 *In resurrectione.* ἐν τῇ ἀναστάσει. In resurrectione illa. scilicet universali: quam expectant omnes pii. Syrus vertit ܒܢܘܚܡܐ benuchama, id est, in consolatione: per metonymiam effecti. nam resurrectio mortuorum piis & consolationem solidam affert in hac vita, & in altera afferet complementum gaudii. Hinc illa exultatio Jobi cap. 19.

25 *Ego sum resurrectio & vita.* Id est, author atq; effector resurrectionis & vitæ: ac proinde possum nunc statim excitare fratrem tuum. His verbis continetur tacita promissio: cujus meminit Dominus infrà vers. 40. *Etiamsi mortuus fuerit.* Scil. corpore. *Vivet.* Revivisset corpore ad vitam æternam.

26 *Et quisquis vivit.* Scil. vita hac naturali. *Non morietur.* Morte scil. secunda seu æterna. *In æternum.* Id est, unquam.

30 *In vicum.* εἰς τὴν κώμην. Nempe Bethaniam, Vide sup. v. 1.

31 *Ad monumentum.* εἰς τὸ μνημεῖον. Nempe Lazari, id est in quo sepultus erat Lazarus. Ponitur autem εἰς pro πρός. quanquam posset videri accipiendum proprié: quia monumenta Judæorum ita erant constructa ut pateret in ea ingressus: sicut liquet ex historia resurrectionis Domini: infrà cap. 20. vers. 5. 6. 8. 11. & infrà vers. 38. expressé dicitur speluncam fuisse. Sed rectiùs hic accipitur εἰς pro πρὸς vel ἐπί. nam lapis illi speluncæ erat impositus: ut non pateret ingressus nisi lapide amoto: cujus amovendi causa non videtur fuisse lacrymaturis prope monumenta.

32 *Accidit ad pedes ejus.* ἔπεσεν εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ. Hic εἰς manifestè ponitur pro πρός.

33 *Spiritu.* τῷ πνεύματι. Id est, animo. hoc est, intimé. *Turbavit se ipsum.* ἐτάραξεν ἑαυτόν. Nempe considerans miseriam generis humani, propter peccatum morti subjecti. Improprié autem vehemens illa commotio qua animus Christi commotus fuit, nominatur perturbatio: quo nomine videlicet excessus affectuum notatur: qui in Christo nullus fuit. Veré quidem affectibus humanis commotus fuit animus Christi, sed sine ἀταξίᾳ: ut si aqua limpida in puro vitro inclusa agitetur ac moveatur.

35 *Lacrymatus est Jesus.* ἐδάκρυσεν ὁ Ἰησοῦς. En συμπάθειαν Domini: en verum affectum humanitatis. Quod autem pium pectus hęc serió legens ac meditans, a lacrymis temperet?

36 *Quomodo.* πῶς. Id est, quantopere, quam valdè.

37 *Non poterat,* &c. En diabolos in medio piorum. Simile exemplum vide Act 2. v. 13. *Qui aperuit oculos cæci.* Sarcasmus diabolicus. Innuunt enim, eum oculos cæci non aperuisse: quippe qui non potuerit amicum tam charum in vivis retinere. *Et iste.* καὶ οὗτος. Conjunctio καὶ hoc loco est nota paris: qua innuitur parem esse potentiam in aperiendis oculis cæci & amico in vivis retinendo.

38 *Venit ad monumentum.* ἔρχεται εἰς τὸ μνημεῖον. Rursum εἰς pro πρὸς, ut sup. v. 31.

39 *Olet.* ὄζει. Id est, fœtet: nempe ex putredine. Synecdoche generis verecunda. Syrus quidem & interpres vulgaris, fœtendi verbo hîc usi sunt. *Quatuor dierum.* τεταρταῖος. Ad verbum, Quatriduanus. id est, quartum jam diem in monumento jacet. Sic Herodotus lib. 6. utitur vocibus δευτεραῖος & τριταῖος.

40 *Nonne dixi.* Scil. sup. v. 25. *Gloriam Dei.* τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ. id est, opus profectum à mea deitate. Metonymia duplex; prima adjuncti, qua ex gloria

ria Dei intelligitur ipsa deitas: altera efficientis, qua ex deitate intelligitur opus deitatis. Sic suprâ cap. 1. vers. 14. & cap. 2. vers. 11. *Quód me audieris.* ὅτι ἤκουσάς μου. Id est, quód me exaudieris, videlicet petentem ut mihi per te liceret exerere divinam meam virtutem in excitando Lazaro, Etsi autem precatio illa Christi non expressé ab Euangelista narratur; tamen existimandum est, intus precatum fuisse tunc quum spiritu infremuisset, vers. 33. & 38.

42 *Ut credant.* ἵνα πιστεύσωσιν. Epexegesis: qua declarat illa verba, Propter turbam.

44 *Sudario.* σουδαρίῳ. Linteo quo sudor abstergitur. Sic etiam in resurrectione Christi fit mentio sudarii, inf. c. 20. v. 7.

46 *Quidam autem.* &c. Et rursum malevolos, ut sup. v. 37.

48 *Gentem.* τὸ ἔθνος. Scilicet. τὸ ἡμῶν, gentem nostram, Judaicam.

50 *Et tota gens non pereat.* καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται. Pro μᾶλλον ἢ ἵνα ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται. potius quàm ut tota gens pereat. Instituit enim Cajaphas comparationem duorum malorum, quorum minus eligendum sit.

51 *Pro ea gente.* ὑπὲρ τοῦ ἔθνους. Nempe pro gente Judaica.

52 *Dispersos.* τὰ διεσκορπισμένα. Scilicet passim per totum terrarum orbem, inter omnes gentes. *Cogeret.* συναγάγῃ. Congregaret, colligeret.

54 *Palam.* παῤῥησίᾳ Apertè, liberè. Catachresis. nam παῤῥησία proprié est libertas dicendi, quum quis omnia quæ sentit, dicit: nihil metu offensionis reticens vel dissimulans: παρὰ τὸ πᾶν ῥεῖν. *Ephraim.* ἐφραὶμ. Vulgata, Ephrem. ut videatur legisse ἐφρὲμ. quomodo & Syrum legisse apparet, qui scripsit אפרים Ephrim, suo more א mutans in ו, ut pro אמין ammin, pro כיפא Kipha. Fieri autem potest ut quemadmodum ex ירושלם Jeruschalaim (per ai diphthongum) ortum est ἱερουσαλὴμ, similiter ex אפרם Ephraim (item per ai diphthongum) ortum sit ἐφρὴμ. *Agebat.* διέτριβε. Ad verbum. Conterebat. Scilicet: τὸν χρόνον tempus. Elliptica phrasis. *Cum discipulis.* μετὰ τῶν μαθητῶν. Id est, ipse & discipuli.

55 *Pascha Judæorum.* τὸ πάσχα τῶν ἰουδαίων. Subaudi, festum. ne quis putet, fuisse etiam quoddam pascha alterius gentis.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. II.

I. Ex vers. 3. Quoties calamitate aliqua premimur, ad opem Domini confugiamus, certó confisi, eum nobis pro suo erga nos amore opitulaturum: quantum quidem & suæ gloriæ & nostræ salutis intereſſe judicabit.

II. Ex vers. 4. & 40. Finis miraculorum Christi est, ut ex iis glorificetur, hoc est agnoscatur divina potentia præditus, tanquam unigenitus Dei filius: denique ut credatur esse Christus, id est servator mundi. Vide infrà. c. 20. v. ult.

III. Ex v. 5. & 6. Quum Christus à nobis invocatus non juvat nos eo modo qui carni nostræ arridet: non debemus putare hoc inde fieri, quasi

non diligat nos. nam ipse pro sua sapientia novit, quomodo nos juvare velit, ut id ad gloriam suam & salutem nostram conducat.

IV. Ex v. 7. 8. 9. 10. Quoties nobis prælucet vocatio Dei, intrepidé officium nobis commissum administremus, contemtis periculis: ut qui tuti simus sub præsidio Dei.

V. Ex ver. 11. Mors piorum, quasi somnus est, é quo ad vitam æternam suo tempore excitabuntur. Et Deo tam facile est excitare mortuum: quam nobis, dormientem.

VI. Ex v. 15. Christus suo corpore non est ubique. Fuisset enim etiam Bethaniæ quum Lazarus moreretur: id quod ipse negat.

VII. Ex v. 16. Christus nobis deserendus non est, etiamsi cum eo moriendum sit. Veruntamen ita cum ad mortem quoque sequi debemus, ut confidamus, nos sub ipsius præsidio ab æterna morte semper tutos fore.

VIII. Ex v. 19. Consolari lugentes, officium pietatis est, dummodo consolationes petantur ex verbo Dei, ac dirigantur ad fulciendum spem resurrectionis ad vitam æternam. 1. Thes. 4. 13.

IX. Ex v. 22. Deus preces piorum ex fide profectas exaudit.

X. Ex v. 25. & 26. Christus est unicus servator credentium; quorum & corpora ex morte excitabit ad gloriam æternam, & animas spiritu suo vivificat, & vitam æternam gustandam eis dat etiam in hac vita, nec patitur ut mortem æternam unquam gustent; quippe quam ipse gustavit pro omnibus. Heb. 2. v. 9.

XI. Ex v. 27. Summa fidei Christianæ hæc est, ut credamus Jesum Nazarenum Mariæ virginis filium esse, unigenitum filium Dei, ac promissum Messiam, id est, servatorem mundi. Confer Matt. 16. v. 16.

XII. Ex vers. 31. Amicis errantibus non indulgendum est, ut fecerunt isti Judæi, sequentes Mariam; quam putabant ad monumentum ire flendi causâ.

XIII. Ex eod. vers. Luctus propter defunctos non est provocandus aut augendus: sed potius sedandus ac moderandus. 1. Thes. 4. 13.

XIV. Ex eod. v. Deus arcana sua providentia stultas hominum actiones ad meliorem finem, nempe ad illustrandum gloriam suam, dirigit. Ita voluit istos Judæos Mariam sequi ad sepulchrum Lazari, ut postea miraculi Christi, quo Lazarum excitavit, spectatores ac testes essent.

XV. Ex v. 32 Adoratio debetur Christo, quia filius Dei est. Sic Petrus adoravit Christum, quum ex miraculosa piscium captura animadvertit divinam ejus potentiam, Luc. 5. 8.

XVI. Christus unâ cum carne nostra, humanos etiam omnes affectus, & quidem inprimis misericordiam assumsit: sed absque ulla ἀταξίᾳ vitióve. Vide Heb. 2. v. 17. 18. & c. 4. v. 15. Simile. Quemadmodum aqua pura ac limpida vitro puro infusa, si agitetur, spumas quidem concipit, sed turbida non fit: infusa autem vitro impuro ac sordido, si agitetur, non solùm spumas concipit, sed etiam turbida sordidaq; redditur: Ita cor Christi ab omni vitio purum, affectib. humanæ naturæ insitis, agitatum quidem fuit, sed nullo peccato sordidatum: at corda nostra affectibus ita agitantur, ut peccato nobis inhærente sordidentur.

XVII. Ex v. 35. Lachrymari in adversis casib. amicorum, verum Christianum non dedecet. Nec placet Deo Stoicorum illa ἀπάθεια.

XVIII. Ex v. 37. Non est novum, si piis admixti sint impii, qui actiones piorum calumnientur, & operibus Dei malignè detrahant. Vide Act. 2. v. 13.

XIX. Ex

XIX. Ex ver.39. Tanta est naturæ nostræ imbecillitas, ut fides nostra levi momento facilé labascat. Sed ut fides nostra firma constet, oculos á natura rerum ad potentiam Dei, cum ipsius promissione conjunctam, avertere atque attollere oportet.

XX. Ex ver.40. Si velimus experiri potentiam ac bonitatem Dei in nobis juvandis: caveamus ne incredulitate nostra manus ejus quasi clausas teneamus. Vide Matth.13. v.ult.

XXI. Ex ver. 41. Inter precandum oculos in cælum attollere decet: sed cavendum ne illic Deum cogitatione nostra includamus: quippe quem cæli cælorum non capiunt, quique cælum & terram implet: opera autem danda, ut mentes nostræ supra mundum erectæ, Deum in throno majestatis suæ contemplentur, ne quid humile aut terrenum de eo sentiant.

XXII. Ex ver.41.& 42. Etsi Christus virtute suæ deitatis Lazarum per se excitare poterat: tamen voluit ejus excitandi facultatem humiliter á Patre petere, in assumta carne, tanquam servus patris: ut doceret, se nostra causa sese Patri subjecisse: & nos quoque invocantes patrem, propter ipsum exauditum iri, si petamus secundúm voluntatem ejus.

XXIII. Ex v.43. Quód Christus voce Lazarum ex morte excitat: imago est non solúm futuræ resurrectionis universalis, ubi mortui excitabuntur tuba Dei & voce Archangeli: sed etiam imago est resurrectionis spiritualis, qua corda electorum per prædicationem Euangelii ex æterna morte excitantur.

XXIV. Ex v.46. Nullum est Dei opus, quod non impietas veneni sui amaritudine inficiat & corrumpat. Ergo ut proficiant ex Dei miraculis homines, necesse est ipsos cor habere purgatum. Nam apud quos non viget Dei metus & reverentia; etiamsi maxima miracula videant, tamen præfracta ingratitudine sanam doctrinam respuere nunquam desinent.

XXV. Ex v.48. Quod metuit impius, accidit ei: & eo ipso quo pœnas effugere impii volunt, eas sibi attrahunt.

XXVI. Ex ver.49. 50. 51. & 52. Deus impiorum etiam linguas sic interdum flectit, ut vel aliud agentes, veritatem doctrinæ cælestis confirment, & vel inviti piis benedicant. Vide Numer.23. & 24. exemplum Bileami.

XXVII. Ex v.52. Christus pro omnibus omnium populorum electis, iisque solis, mortuus est; qui licet naturâ sint filii iræ, antequam efficaciter vocentur, ac per fidem filii Dei fiant (Johan.1.ver.12.) tamen etiam ante vocationem censentur filii Dei, ratione electionis, quam vocatio efficax suo tempore certó sequitur. Roman.8.v.30.

XXVIII. Ex ver.54. Cedendum quidem impiorum furori, quum sic expedit: ita tamen ut á Dei vocatione minimé recedamus.

ANALYSIS CAP. XII.

ARGUMENTUM.

In hoc capite primúm narratur, quomodo Dominus cœna exceptus sit Bethaniæ á sororibus Lazari, & quomodo in illa cœna á Maria sorore Lazari unctus sit: quidque inde evenerit, usq; ad v. 12. Deinde narratur quomodo Hierosolymam vectus asello, lætis populi acclamationibus & congratulatio-

gratulationibus exceptus sit: & quid inde evenerit, usque ad ver. 20. Tertiò narratur sermo ejus quem ad discipulos habuit de sua morte, item de sui abnegatione & confessione, item de luce verbi sui, usque ad ver. 37. Quartò exponitur caussa, cur plerique in eum non crediderint: & cur quidam ex primoribus non ausi sint eum confiteri, usque ad v. 44. Postremò narratur sermo Domini de fide & incredulitate: nempe cur meritò in ipsum credendum sit, & unde fides illa oriatur: & cur increduli meritò condemnentur, usque ad fin.

DE PRIMA PARTE.

1 *IEsus ergo sex ante Paschа diebus venit Bethaniam, ubi erat Lazarus ille qui fuerat mortuus, quem excitaverat à mortuis.*

2 *Fecerunt igitur ei cœnam illic, & Martha ministrabat: Lazarus autem unus erat ex iis qui simul discumbebant cum eo.*

3 *Maria ergo, accepta libra unguenti nardi liquidæ multi pretii, unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: domus autẽ impleta est odore illius unguenti.*

4 *Dixit ergo quidam ex discipulis ejus,* nempe *Judas Simonis* filius, *Iscariotes, qui erat eum proditurus.*

5 *Quare hoc unguentũ non venit trecentis denariis, & datum est pauperibus?*

6 *Dixit autem hoc, non quòd pauperum ipsi cura esset, sed quia fur erat, & marsupium habebat, & ea quæ injiciebantur, gestabat.*

7 *Dixit ergo Jesus, Sine eam: in diem funerationis meæ servavit istud.*

8 *Nam pauperes quidẽ semper habebitis vobiscũ, me verò nõ semper habebitis.*

9 *Cognovit ergo turba multa ex Judæis eum illic esse: & venerunt non propter Jesum tantùm, sed etiam ut Lazarum viderent, quem excitarat à mortuis.*

10 *Consultarunt autem primarii Sacerdotes ut Lazarum etiam trucidarent:*

11 *Quia multi ex Judæis propter eum abibant, & credebant in Jesum.*

Ver. 1. indicantur tempus & locus, quando & ubi illa cœna facta fuit. Ver. 2. indicantur adjunctæ personæ insigniores. Ver. 3. quomodo Maria Jesum unxerit. Ver. 4. & 5. quomodo Judas Iscariotes murmuraverit, & factum Mariæ reprehenderit. Ver. 6. quo animo id fecerit: ubi hypocrisis ejus ab Evangelista detegitur. Ver. 7. & 8. quomodo Christus Mariam contra Judam defenderit. Ver. 9. cur multi Judæi Hierosolymis Bethaniam tunc venerint. Ver. 10. & 11. cur primores consilium ceperint de Lazaro trucidando.

DE SECUNDA PARTE.

12 *Postero die turba multa quæ venerat ad festum, quum audissent Jesum venire Hierosolymam:*

13 *Acceperunt termites palmarum, & egressi sunt ei obviam, & clamabant, Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex ille Israëlis.*

14 *Nactus autem Jesus asellum, insedit ei: sicut scriptum est,*

15 *Ne time filia Sion: ecce, Rex ille tuus venit, sedens super pullum asinæ.*

16 *Hæc autem non cognoverunt discipuli ejus primò: sed quum glorificatus esset Jesus, tunc recordati sunt hæc esse scripta de eo, & sese hæc illi præstitisse.*

17 *Testabatur verò turba quæ erat cum eo, quòd Lazarum vocasset è monumento, & excitasset eum à mortuis.*

18 *Propterea etiã obviam venit ei turba, quia audierat eum edidisse hoc signum.*

19 *Pharisæi ergo dixerunt inter se, Videtis vos nihil proficere? ecce mundus eum sequutus est.*

Ver. 12.

Ver.12.& 13. narratur, quomodo populus obviam iverit Domino adventanti ad feſtum, & quibus verbis eum profeſſi ſint Chriſtum. Ver.14. Quomodo Dominus Hieroſolymam ingreſſus ſit, nempe vectus aſello. Ver.15. Cur id factum ſit, nempe ad implendum prophetiam Zach.9. Ver.16. monet Euangeliſta: quo impulſu iſta á diſcipulis & populo facta ſint, videlicet non conſilio humano, ut qui ipſi non animadverterent, ſe honorem Meſſiæ Domino tribuere: ſed impulſu divino, ut impleretur ſcriptura. Ver.17.& 18. quomodo miraculum excitati Lazari á turba celebratum ſit. Ver.19. Quomodo Phariſæorum odium erga Dominum his rebus magis inflammatum ſit, ac proinde illi ſe mutuó cohortati ſint ad eum perſequendum & é medio tollendum.

DE TERTIA PARTE.

20 *Erant autem quidam Græci ex iis qui aſcendunt ut adorent in feſto:*

21 *Iſti ergo venerunt ad Philippum qui* erat *à Bethſaida Galilææ, & rogarunt eum, dicentes, Domine, vellemus Jeſum videre.*

22 *Venit Philippus & dicit Andreæ: Andreas rurſum & Philippus dicũt Jeſu.*

23 *Jeſus autem reſpondit eis, dicens, Venit tempus illud quo glorificetur Filius hominis.*

24 *Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi verò mortuum fuerit, multum fructum adfert.*

25 *Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodiet eam.*

26 *Siquis mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ego ſuero, illic & miniſter meus erit. & ſi quis mihi miniſtraverit, honorabit eum Pater.*

27 *Nunc anima mea turbata eſt: & quid dicam? Pater libera me ab hac hora. ſed propterea veni in horam hanc.*

28 *Pater, glorifica nomen tuum. Venit ergo vox è cœlo,* dicens, *Et glorificavi, & rurſus glorificabo.*

29 *Turba ergo quæ adſtabat & audierat, dicebat tonitru eſſe factum. Alii dicebant, Angelus ei loquutus eſt.*

30 *Reſpondit Jeſus & dixit, Non propter me hæc vox extitit, ſed propter vos.*

31 *Nunc damnatio adeſt mundi hujus: nũc princeps mũdi hujus ejicietur foras.*

32 *Et ego, ſi ſublatus fuero è terra, omnes trahan ad me ipſum.*

33 *(Hoc autem dicebat, ſignificans qua morte futurum erat ut moreretur.)*

34 *Reſpondit ei turba. Nos audivimus ex Lege, Chriſtum manere in æternum: quomodo igitur tu dicis oportere tolli Filium hominis? quis eſt iſte Filius hominis?*

35 *Dixit igitur eis Jeſus, Adhuc parvo tempore lux vobiſcum eſt: ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ deprehendant. nam qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat.*

36 *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis fiatis. Hæc loquutus eſt Jeſus: & quum abiiſſet, occultavit ſe ab eis.*

Ver.20.21.& 22. exponitur occaſio ſermonis ſequentis Domini dé morte ſua: nempe quód quidam proſelyti qui ex Græcia venerant ad feſtum, eum cupiebant ſalutare: qua re ſignificabant, ſibi nomen illius innotuiſſe. Reſpondet igitur Dominus, jam inſtare tempus quo nomen ipſius glorificandum ſit, nempe per prædicationem Euangelii in toto terrarum orbe, v.23. & ea occaſione de utilitate mortis ſuæ diſſerit. Docet igitur, mortem ſuam multum fructum allaturam, videlicet redemturam omnes electos: quia ex morte reſurrecturus ſit ad vitam æternam. Hanc doctrinam proponit ſub ſimilitu-

similitudine grani: quod cùm in terra computruit, reviviscit ac exurgit in aristam, in qua multum fructum fert, v.24. Deinde docet, quanti nos mortem suam & resurrectionem facere debeamus, tanti nimirum, ut etiam cum capitis periculo confiteamur coram mundo, nos in sola Christi morte ac resurrectione vitam æternam habere: quippe quòd Christus sua morte nobis remissionem peccatorum sit meritus, quodque resurrectione sua testatum fecerit, se morte sua plenè pro nostris omnibus peccatis satisfeciſſe. Hujus igitur confessionis lætũ eventũ exponit, vitam æternam: non quidem quam confessione nostra mereamur, sed quã sine illa consequi nõ possimus, quamq; Deus confessoribus Christi ex gratia daturus sit. Contrà abnegationis tristem eventum indicat, nempe interitũ seu exitium æternum, v.25. & 26. Postea v.27. testatur animæ suæ perturbationem, nimirum horrorem quem concepit ex consideratione iræ Dei contra nostra peccata, quæ ipsi erat expianda. In qua perturbatione & anxietate ad Patrem se convertit, & instantem cruciatum mortis tum corporalis tum æternæ deprecatur: ita tamen ut mox in voluntate Patris acquiescat, & sese ad illum cruciatum perferendum promtum ac paratum testetur. Itaque orat Patrem ut glorificet nomen suum, hoc est, ut mortem ipsius ad gloriam suam dirigat: nempe vires sibi dando quibus mortem vincat, & filios Dei morte sua redemtos Patri adducat, v.28. Ubi notandum, hoc temporis momento quo hunc horrorem sensit Christus, quieviſſe ipsius divinitatem, hoc est, non exseruiſſe suas vires: nisi quatenus naturam humanam sustentavit, & ad Patris opem petendam direxit. Postea eod. versu commemorat Euangelista, quomodo Deus Pater Christum consolatus sit voce é cælo emissa: qua testatus est, se quemadmodum hucusque glorificaverit nomen suum, per miracula scilicet Christi: ita porrò quoque glorificaturum, nempe per mortem ejus, & resurrectionem, & ascensionem in cælos, & sessionem ad dexteram suam. Ver.29. commemorat falsa populi de illa voce judicia. Ver.30. exponit Christus causſam, cur illa vox é cælo emissa sit: nempe non tam propter ipsum consolandum (poterat enim illud etiam absq; voce fieri, per internam scilicet operationem) quàm propter ipsos, ut nimirum audito testimonio Dei Patris de suo filio, in eum crederẽt. V.31. Christus voce illa audita, & consolatione inde percepta, magnificé gloriatur de victoria: se scilicet mortẽ victurum & Diabolum, resurgendo scil. ex morte, atque ita damnaturum mundum, h. e. convicturum incredulos erroris & mendacii, ut qui eum pro Christo nolint agnoscere. Deinde v.32. fructum suæ mortis ad consolandum credentes exponit, nempe se morte sua omnes ad se tracturum, ut cũ ipso conjuncti unà exaltentur in cælestem gloriam ac beatitudinem. Ver.23. Euangelista verba illa Domini quæ dixerat de fructu mortis suæ, exponit; monens, eum significaſſe mortem crucis *Exaltandi* verbo: quo quidem simul significaſſe videtur exaltationem illam in gloriam cælestem, quæ resurrectionem secuta est. quasi dicat Dominus: Vos quidem exaltabitis me é terra, suspendentes me in cruce, extremæ ignominiæ causſa: at scitote fore ut hac ratione ac via ego veré exalter in summam gloriam: quippe qui paulo póst é morte resurgens ascendam in cælum, & considebo ad dextram Patris mei. V.34. recitatur cavillum impiæ turbæ, quo cavillati sunt verba illa Domini de sua morte, concludentes inde, ipsum non esse Christum. Christus, inquiunt, manebit in æternum: teste scriptura, quam synecdochicé significant nomine Legis. Atqui tu non manebis in æternum: quippe qui ipse fateris, te sublatum iri per mortem.

Ergo

Ergo tu non es Christus. Ubi notandum, falsam esse assumtionem. nam etsi CHRISTUS moriturus erat: tamen erat brevi reviciurus & ingressurus in gloriam suam, atque erecturus regnum illud suum æternum. V. 35. Dominus illis loco responsionis exprobrat malitiam: ut qui in clara luce petulanter oculos claudant, ne veritatem cernant. Itaque eis minatur, fore ut brevi eis adimatur lux verbi: ac proinde ipsi in tenebris ignorantiæ misere errent, seque perditos eant. Contrâ, eos hortatur: si pro filiis lucis haberi velint, hoc est, pro iis qui ad lucem illam cælestem fruendam destinati sunt: ut in lucem credant, hoc est, in ipsum qui per Euangelium patefit, quód sit servator omnium credentium. Atque his dictis, ab eis discessit; indignos judicans, apud quos plura verba faceret: ut qui doctrinam ejus petulanter contemnebant.

DE QVARTA PARTE.

37 *Quum autem tot signa coram eis edidisset, non credebant in eum:*

38 *Vt sermo Esaiæ prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, quis credidit sermoni nostro, & brachium Domin. cui retectum est?*

39 *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias,*

40 *Excæcauit oculos eorum, & obdurauit cor eorum: ut ne videant oculis, & intelligant corde, & sese convertant, & sanem eos.*

41 *Hæc dixit Esaias quando vidit gloriam eius, & loquutus est de eo.*

42 *Veruntamen etiam ex primoribus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos* hoc *non profitebantur, ne synagoga moverentur.*

43 *Dilexerunt enim gloriam hominum potiùs quàm gloriam Dei.*

Ne quis incredulitate Judæorum de qua dictum est, offendatur: Euangelista illius causam exponit: docens, in causa non fuisse Domini doctrinam, quippe quæ multis miraculis abundé coram eis confirmata esset: sed arcanam voluntatem Dei: cui non nisi paucis potentiâ mortis ac resurrectionis Christi revelare & fidem donare placuit: id quod Johannes testimonio prophetæ Esaiæ duplici confirmat: quorum prius versu 38. sumtum ex cap. 53. versu 1. querelam prophetæ continet de paucitate eorum qui doctrinæ de Christo jam tum credebant, atque etiam temporibus Christi & Apostolorum crediturí erant. unde & Paulus Rom. 10. versu 16. hanc ipsam Esaiæ prophetiam ad incredulitatem Judæorum sui temporis accommodat. Alterum testimonium est ex Esai. 6. versu 9. ubi Propheta quum vidisset Deum insidentem solio, stipatum satellitio Seraphim, id est angelorum, laudes ei canentium: mittitur á Deo ad Judæos cum hoc mandato, ut eis duritiem ipsorum exprobret & augeat prædicatione verbi, Deo contemtum sui verbi justo judicio ita vindicante: versu 40. Huic prophetiæ subjungit Euangelista circumstantiam temporis, quo Esaias ista dixit: ubi docet, Christum esse ipsum Jehovah, quem Esaias solio insidentem vidit, versu 41. Postea quasi per correctionem narrat, multos ex primoribus in Christum credidisse, id est doctrinam ejus approbasse: sed non ausos fuisse confiteri metu Pharisæorum, ne ab illis excommunicarentur. Cujus metus causam Euangelista exponit, nempe ambitionem: quam amplificat antithesi: dicens, eos potiús dilexisse gloriam hominum, id est, gloriam mundanam quæ contingit ab hominibus: quám gloriam Dei, id est, veram illam & solidam gloriam qua Deus facta piorum approbat, v. 42. & 43.

DE

DE QVINTA PARTE.

44 *Iesus autem clamavit, & dixit, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.*

45 *Et qui conspicit me, conspicit eum qui misit me.*

46 *Ego lux in mundum veni, vt quisquis credit in me, in tenebris non maneat.*

47 *Si quis autem audierit verba mea, & non crediderit, ego non damno ipsum. non enim veni ut damnem mundum, sed ut seruem mundum.*

48 *Qui reiicit me, nec recipit verba mea, habet qui damnet ipsum: sermo quem loquutus sum, ille damnabit eum ultimo illo die.*

49 *Quia ego ex meipso non sum loquutus: sed qui misit me Pater, ipse mihi mandauit quid dicam & quid loquar.*

50 *Et scio, mandatum eius, vitam æternam esse. quæ igitur ego loquor, prout dixit mihi Pater, ita loquor.*

V. 44. & 45. docet Christus, meritó in se esse credendum: quia ipse unum sit cum Deo Patre, ac proinde verus Deus. deinde, quia qui in ipsum credit, illustretur luce cognitionis Dei & salutis æternæ, ac liberetur á tenebris ignorantiæ ac errorum de Deo & salute æterna, v. 46. Ubi simul docet, unde fides illa oriatur: nempe ab efficacia ipsius tanquam mediatoris: quippe qui in mundum venerit lux, id est, ut per prædicationem Euangelii & virtutem Spiritus sancti illuminaret corda electorum. Postea docet, unde oriatur condemnatio incredulorum: nempe ex contemtu verbi Dei, nimirum Euangelii: quo ipso significat, eos meritó damnari: á v. 47. usque ad finem.

SCHOLIA IN CAP. XII.

1 *Sex ante Pascha diebus.* πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα. Ad verb. Ante sex dies paschæ. Annotat Tremellius, esse phrasin Syram. Est autem verborum trajectio, pro eo quod dicendum erat, ἓξ ἡμέρας vel τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ πρὸ τοῦ πάσχα.

5 *Trecentis denariis.* τριακοσίων δηναρίων. Si denarius æstimetur quindecim nummis Argētinensibus: tum trecenti denarii facient florenos Francofurdenses (id est quindecim baciorum) triginta septem & dimidium. Vide suprà ad cap. 6. v. 7.

7 *In diem.* εἰς τὴν ἡμέραν. Subaudi γὰρ, id est, enim: quæ conjunctio exprimitur Matth. 26. v. 12. *Funerationis meæ.* τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου. Ἐνταφιάζειν (ut D. Beza annotat) non est idem quod θάπτειν, sepelire: sed quod Latini dicunt Funerare, hoc est, funus ad sepulturam præparare, lotione nimirum & unctione. Usi sunt hoc verbo Græci Bibliorum interpretes Gen. 50. versu 2. ubi narratur quomodo Ioseph curarit cadaver patris aromatibus condiri á medicis. Verba hæc sunt: καὶ προσέταξεν Ιωσὴφ τοῖς παισὶν αὐτοῦ, τοῖς ἐνταφιασταῖς, ἐνταφιάσαι τὸν πατέρα αὐτοῦ. καὶ ἐνεταφίασαν οἱ ἐνταφιασταὶ τὸν Ισραήλ. Significat ergo Christus, hanc sui unctionem, á Maria factam, esse sibi pro funeratione, id est eo unctionis genere quo corpus suum præparetur ad sepulturam. Etenim ex professo funeratus seu pollinctus non fuit: etsi id operam dederint amici ejus. Vide infrà cap. 19. versu 39. & 40. *Servavit.* τετήρηκεν. Vel, Asservavit. Non quód ipsa hoc consilio usa fuerit: expectasset enim sepulturæ tempus: sed quód Deus providētia sua mentem illius ita gubernaverit, ut hoc tempore pretiosum istud unguentum in

Domi-

Dominum effunderet, ad ſignificandum inſtare mortem & ſepulturam ejus.

8 *Nam pauperes quidem.* τὸς πτωχὸς γάρ. Prolepſis, qua reſpondet objectioni Judæ, v.5.

12 *Poſtero die* τῇ ἐπαύριον. Supple ἡμέρᾳ.

13 *Termites.* τὰ βαΐα. Nomen Græcum videtur ortum παρὰ τὸ βαίνειν, à ſcandendo: quód termites, id eſt, rami palmæ arboris quo magis premuntur, eo fortiús ſe erigunt. *Iſraëlis.* τῦ Ισραήλ. Id eſt, populi Iſraëlitici, ſeu populi Dei.

14 *Nactus.* εὑρών. Sic Luc.1. v.30. de Maria matre Domini, εὗρες χάριν παρὰ τῷ θεῷ.

15 *Filia Sion.* θύγατερ Σιών. Id eſt, Eccleſia congregari ſolita in templo extructo ſuper montem Zijon.

16 *Non cognoverunt.* οὐκ ἔγνωσαν. Id eſt, non intellexerunt, quorſum iſta fierent. *Quum glorificatus eſſet.* Nempe poſt reſurrectionem & aſcenſionem Domini in cælum. *De eo.* ἐπ' αὐτῷ. Super eo, id eſt, περὶ αὐτῦ. *Et ſeſe hæc.* καὶ ταῦτα. Pro, καὶ ὅτι ταῦτα. Nam ὅτι repetendum eſt ἀπὸ κοινῦ. Videtur autem potiús vertendum, *Et hæc illi præſtita fuiſſe. nam verbum* ἐποίησαν non videtur referendum ad diſcipulos: quum non præceſſetit mentio, quód ipſi aſinum Domino adduxerint: ſed perſonaliter ad turbam quæ advenientem Chriſtum honorificé excepit, ſicut narravit Euangeliſta.

19 *Mundus.* ὁ κόσμος. Hyperbole: *Eum ſequutus eſt.* ὀπίσω αὐτῦ ἀπῆλθεν. Ad verb. Poſt eum abiit. Hebraiſmus, id eſt, ei ſeſe ut magiſtro addixit. Vide ſuprá ad cap.1.v.15.

20 *Græci.* Ἕλληνες. Hos Græcos fuiſſe proſelytos, intelligi poteſt ex eo quód mox additur, fuiſſe ex iis qui aſcenderant Hieroſolymam ut adorarent in feſto. *Ex iis qui aſcendunt ut adorent.* ἐκ τῶν ἀναβαινόντων ἵνα προσκυνήσωσιν. Videtur vertendum, *Ex iis qui aſcenderant ut adorarent.* ut ἀναβαινόντων poſitum ſit pro ἀναβάντων. Secus dicendum fuiſſet, ἵνα προσκυνῶσι.

21 *Videre.* ἰδεῖν. Id eſt, ſalutare, alloqui, notitiam cum eo contrahere.

23 *Glorificetur.* δοξασθῇ. Nempe per Euangelii prædicationem innoteſcens etiam Gentibus. Hoc dicit occaſione illius petitionis proſelytorum. Sed mox monet, priús ſibi ſubeundam mortem.

24 *Niſi granum &c.* Hæc dicit ἀλληγορικῶς de ſe ipſo morituro.

25 *Qui amat animam ſuam.* Nempe tantopere ut ejus retinendæ cauſſa me abneget. Confer. Matth. 10. v. 37. *Qui odit animam ſuam.* Id eſt, qui paratus eſt eam perdere mea cauſſa, ita ut eam odiſſe videri poſſit. Confer Matth.10.v.39.& Luc.14.v.26.

27 *Turbata eſt.* τετάραχται. Nimirum cogitatione inſtantium cruciatum ex ſenſu iræ Dei propter peccata electorum, quæ in me ſuſcepi expianda. *Ab hac hora.* ἐκ τῆς ὥρας ταύτης. Id eſt, ab hoc cruciatu. Metonymia adjuncti. Sed. ἀλλά. Correctio. *Propterea.* διὰ τῦτο. Scilicet ut patiar hunc cruciatum.

29 *Qui adſtabat.* ὁ ἑστὼς. Pro, παρεστώς.

30 *Non propter me.* Scil. ſolum (qualis antitheſis fuit ſuprá cap.5.ver.22.) hoc eſt, ad me conſolandum. Sed ἀλλά. Id eſt, Sed etiam. *Propter vos.* Scil. erudiendos de me.

31 *Damnatio.* κρίσις. Synecdoche generis. *Mundi hujus.* Id eſt, Impiorum

qui

qui ſunt in hoc mundo, atque adeó qui primas in hoc mundo obtinent. Metonymia ſubjecti, & ſynecdoche generis. *Princeps mundi huius.* Id eſt, diabolus. *Ejicietur foras.* Id eſt, abolebitur á me per mortem meam: ut loquitur Apoſtolus Hebr. 2. v. 14. Manet autem in metaphora: quaſi diabolus inſtar principis in genere humano regnet.

32 *Si ſublatus fuero é terra.* ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς. Probabilis eſt ſententia D. Bezæ, qui exiſtimat, Dominum in ea lingua qua tum locutus fuit, videlicet Syriaca, uſum eſſe verbo ambiguæ ſignificationis: quo nimirũ utrumque ſignificetur, & tolli in ſublime, & tolli é medio. Etenim ex poſteriore hac ſignificatione orta fuit objectio illa Judæorum, quæ paulo-póſt narratur v. 34. Dominus veró ad utramq; ſignificationem reſpexiſſe videtur: quum mox teſtetur Euangeliſta, eum hoc dixiſſe ut ſignificaret qua morte moriturus eſſet: videlicet morte crucis. Significavit igitur utrumq;, videlicet & ſe in ſublime ſublatum iri in cruce, & ita é medio ſublatum iri. Porró verbum illud equidem eſſe puto id ipſum quo in ſua verſione uſus eſt Syrus interpres: quod originem habet ab Hebraico verbo רום róm, quod in utraque ſignificatione reperitur. In priore Gen. 7. v. 17. ubi de arca Noë dicitur, וַתָּרָם מֵעַל הָאָרֶץ Et elevata fuit é terra. item Geneſ. 31. v. 45. Et accepit Jacob lapidem, וַיָּרֵם מַצֵּבָה & erexit eum *in* ſtatuam. In poſteriore veró, Dan. 8. v. 11. Et ab eo ſublatum fuit juge *ſacrificium.* Ibi in Hebræo eſt הֹרַם huram: & ſignificatur, juge ſacrificium é medio ſublatum ſeu ablatum eſſe. Etſi autem verbo illi Hebræo, ratione quidem ambiguitatis, magis reſpondet τὸ αἴρεσθαι quám τὸ ὑψοῦσθαι: tamen Euangeliſta hoc poſteriore potiús uſus eſt, quo ſupplicium crucis magis videtur exprimi: ſicut eodem verbo eandem ob cauſſam uſus eſt & ſuprá cap. 3. v. 14. Porró tum Hebræo הוֹרם huram, tum Græco αἴρεσθαι reſpondet Latinum Tollo, Suſtuli, Sublatum: é cujus ambiguitate elegans jocus captatus eſt in illo diſticho de Nerone:

Quis neget AEneæ magna de ſtirpé Neronem?
Suſtulit hic matrem: ſuſtulit ille patrem.

Nempe Nero matrem ſuſtulit é medio, at AEneas patrem ſuſtulit in humeros. *Omnes.* πάντας. Nempe omnes mihi datos á Patre, id eſt, electos. nam de impiis atque reprobis modó dixit, illorum damnationem adeſſe. *Traham ad me ipſum.* ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. Videtur Dominus reſpicere ad diſpoſitionem corporis ſui in cruce ſuſpenſi, nempe brachiis expanſis. quaſi dicat, ſe ideo brachia in cruce expanſurum ut electos ſuos complectatur & ad ſe trahat. Significat autem ſe in cruce electos Patri reconciliaturum, eiſque impetraturum Spiritum ſanctum, cujus virtute per Euangelii prædicationem ad ipſum trahantur, ut fide ipſi adhæreant & unâ cum ipſo cæleſti hæreditate fruantur.

33 *Qua morte.* ποίῳ θανάτῳ. Quo mortis genere: nempe morte crucis: in quam fuit ſublatus & (ut Euangeliſta hic loquitur) ὑψωθεὶς, id eſt exaltatus.

34 *Ex Lege.* ἐκ τοῦ νόμου. Id eſt, E Scriptura. Synecdoche membri. *Chriſtum manere.* ὅτι ὁ χριστὸς μένει. Nempe in vivis. ut Pſal. 72. v. 17. Erit nomen ejus in æternum &c. Pſal. 89. ver. 30. Et thronus ejus ſicut dies cæli. *Tolli.* ὑψωθῆναι. Tolli ſcilicet é medio. Vide ad v. 32. *Filium hominis.* τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Hinc, & ex interrogatione ſequente apparet, Dominum v. 32. in tertia perſona de ſe locutum fuiſſe, nominando ſe Filium hominis. Euangeliſta igitur ibi non verba, ſed ſententiam recitavit.

35 *Deprehendant.* καταλάβῃ Comprehendant, occupent.

36 *Filii*

36 *Filii lucis.* υἱοὶ φωτὸς. Id est, veræ lucis (nempe felicitatis cælestis) participes. Hebraismus. *Occultavit se.* ἐκρύβη. Passiva vox significatione reciproca: ut aliquando apud Hebræos Niphál. Sic 1. Cor. 7. v. 15. accipitur verbum χωρίζεσθαι.

37 *Quum autem, &c.* Id est, Quanquam autem &c. *tamen* nō credebant.

38 *Sermoni.* τῇ ἀκοῇ. Ad verb. Auditui. Metonymia adjuncti, Hebræis usitata. *Brachium Domini.* ὁ βραχίων Κυρίε. Id est, potentia Domini, nempe Christi: quam scilicet exeruit in abolendo eo qui mortis habet imperium, id est, diabolo. Metaphora, & metonymia subjecti. nam hominis robur in brachio potissimum se exerit.

39 *Quia iterum dixit Esaias.* Hoc est, Quia oportuit impleri quod prædictum fuerat per Esaiam.

40 *Obduravit.* πεπώρωκεν. Callo obduxit. nam πῶρος callum significat: id est, duritiem illam cutis in vola manus aut pedis, quæ sensum illi adimit. *Se convertant.* ὑπιστρέψωσι. Eadem hujus verbi est ratio quæ verbi ἐκρύβη, suprà v. 36.

41 *Quando vidit gloriam ejus.* ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ. Nempe Christi. Vide caput textum Esaiæ, ubi describit, quomodo Dominum viderit insidentem solio, & astantes illi angelos alatos, quos vocat Seraphim, &c. Hæc est illa gloria, hoc est, gloriosa & majestatis plena species, quam hoc loco nominat Johannes.

42 *Ne synagoga moverentur.* ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται Id est, ne excommunicarentur. Sic suprà cap. 9. v. 22.

43 *Gloriam hominum.* τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων. Id est gloriam quæ ab hominibus proficiscitur. Et sic mox *Gloriam Dei*, id est, quæ á Deo proficiscitur. Hæc expositio confirmatur collatione versiculi 44. cap. 5. Significat, illos vanam seu inanem gloriam prætulisse gloriæ veræ ac solidæ.

44 *Non credit in me.* οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ. Hoc non potest intelligi simpliciter: secus enim Dominus sibi ipse contradiceret. Intelligendum est autem ex falsa opinione Judæorum, qui putabant Christum esse nudum hominem & absque Dei mandato docere: ac proinde in ipsum non esse credendum. Similis est ille locus suprà c. 7. v. 16 ubi ait, Mea doctrina non est mea.

46 *Ego lux in mundum veni.* ἐγὼ φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα. Construendum sic, Ego in mundum veni lux: id est, tanquam lux, ὡς φῶς. *Ut quisquis, &c.* ἵνα πᾶς. Epexegesis. Est autem hic observanda phrasis Hebræa, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων μὴ μείνῃ, ut omnis credens non maneat: pro ἵνα οὐδεὶς ὁ πιστεύων μείνῃ, ut nullus credens maneat. Sic Rom. 3. v. 20.

47 *Et non crediderit.* καὶ μὴ πιστεύσῃ. Id est, Et tamen non crediderit. *Non damno.* οὐ κρίνω. κρίνειν pro κατακρίνειν, per synecdochen generis. sic deinceps, hoc versu & sequente.

50 *Mandatum ejus vitam æternam esse.* ὅτι ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ, ζωὴ αἰώνιός ἐστι. Id est, Doctrinam quam Pater me jussit annuntiare, causam esse vitæ æternæ: quatenus nimirum illa doctrina fide recipitur. In vocabulo *Mandati* est metonymia adjuncti: in vocabulo autem *vitæ æternæ* est metonymia effecti.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. 12.

1. Ex v. 4. 5. & 6. Exemplo Judæ monemur, hypocritas dilectionem proximi præ se ferre, quum interim nil nisi sua ipsorum commoda quærant.

II. Ex v.6. Si contingat, ministrum verbi sceleratum esse: ne propterea doctrinam Euangelii quam annuntiat, in dubium vocemus. Nam & Judas Iscariotes, sceleratus homo fuit: & tamen veram Euangelii doctrinam annuntiauit: quippe quem Christus aliâs inter Apostolos non tulisset.

III. Ex v.7. Homines sæpe spiritu Dei directore faciunt ea quæ ipsi non intelligunt: ut Maria unxit Jesum, ad significandum, corpus ejus propediem sepultum iri. Sic Cajaphas prophetavit de utilitate mortis Christi, sup. c.11. v.50. Sic discipuli & populus Jesum honore Messiæ affecerunt, imponentes eum asino, & lætis vocibus eum regem Israëlis salutantes; inf. v.13.

IV. Ex v.8. Quòd Christus hic negat, discipulos eum semper habituros, & tamen alibi affirmat (nempe Matth. ult. v. ult.) se cum ipsis fore omnibus diebus usque ad consummationem seculi; sciendum, eum sibi ipsum non contradicere; quippe quum ista dicat respectu diverso. nam negat perpetuam suam præsentiam corporalem, id est, per quam adsit corpore; affirmat autem perpetuam suam præsentiam spiritualem, id est, per quam adsit gratia & virtute sui spiritus. Sic Matth. 18. v. 20. ait, *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, illic sum in medio eorum*; utique non corpore, sed gratia & virtute spiritus; At inf. cap. 16. v. 28. ait: *Iterum relinquo mundum*; utique corpore; quo ascensurus erat in cœlum; non autem deitate, qua replet cœlum & terram; nec gratia Spiritus sancti, qua adest Ecclesiæ, illuminans & consolans corda electorum.

V. Ex v.10.11. Exemplo sacerdotum monemur, hostes veritatis cœlestis & doctorum illius eò usque odio suo indulgere, ut etiam eorum quos ipsi innocentes judicant, cædem meditentur; si videant ab illis vel minimam occasionem oriri, ut veritati quam ipsi oderunt, credatur.

VI. Ex v.12. Christus quum non ignoraret, se Hierosolymæ in festo paschæ occisum iri: tamen ultrò illuc se confert, ut legi Dei (sicut vocatio ipsius postulabat) satisfaceret. Quare nos quoque nullis periculis deterreri nos patiamur, quo minùs officio nostro constanter fungamur.

VII. Ex eod. vers. Quòd Christus ultrò Hierosolymam profectus est, ubi se occisum iri sciebat: argumentum est quòd mortem nostra causa subierit volens: ut per obedientiam ipsius, inobedientia nostra expiaretur. Vide Rom. 5.19.

VIII. Ex v.14. & 15. Jesus Nazarenus, Mariæ virginis filius est, promissus ille Messias seu Christus: quia in eo impleta sunt ea quæ in Messia impletum iri Deus per Prophetas prædixit.

IX. Ex iisdem versib. Quòd Christus pullo asinæ vectus fuit, ut se regem nostrum declararet: argumento est, eum esse principem illum pacis, de quo Esa. 9. qui scilicet morte sua pacem fecit inter Deum & nos. Nam tempore pacis reges Israëlitici, eorumq; filii, asinis vehebantur. 2. Sam. 13. v. 29.

X. Ex v.19. Tantum abest ut reprobi operibus Dei ad testandum veritatem adhibitis, ab odio veritatis revocentur: ut potiùs majori odio inflammentur ad veritatis doctores & confessores è medio tollendos.

XI. Ex v.23. Quoties nobis mortis nostræ cogitatio ob oculos versatur: opponamus consecuturam gloriam: eaque nos consolemur, quemadmodum Christus caput nostrum fecit.

XII. Ex v.24. Tantum abest ut mortis Christi pudere nos debeat; ut potiùs debeamus lætari, quòd nobis tam fructuosa fuit: merendo scilicet nobis vitam æternam.

XIII. Ex v.25. & 26. Ad constantem Christi confessionem animare nos debet

debet lætissimus exitus, nempe vita æterna & honor quo à Deo afficiemur. Contrà à Christi abnegatione deterrere nos debet exitium æternum, quod illam comitabitur.

XIV. Ex v.27. Quoties nos invadit horror mortis, petamus consolationem à Christo: qui & ipse horrorem mortis sensit, ut esset fidelis & misericors Pontifex noster, & nobis succurreret; ut docet Apostolus Heb.2.v.17. & 18.& cap.4.v.15.& 16.

XV. Ex v 30. Testimonia de Christo nostræ saluti destinata sunt: ut nimirum iis fidem habentes, æternam salutem consequamur.

XVI. Ex v.31. Christus persuam mortem ejecit Diabolum forâs, id est, abolevit eum, adimens ei imperium mortis quod habebat, quoque electos miserè torquebat. Vide Heb.2.v.14.& 15.

XVII. Ex v.32. Christus è terra in sublime exaltatus in cruce, extremæ ignominiæ causa, ex ignominia illa paulò post ereptus & in cœlum exaltatus est ad dexteram Dei.

XVIII. Ex eod.v. Christus brachiis expansis in cruce pendens, ipso gestu significavit, se per passionem ac mortem suam nos ad se trahere, summoque amore nos complecti.

XIX. Ex v.34.& 35. Non est quod moveamur, quum videmus reprobos testimoniis Scripturæ abuti contra manifestam veritatem: sed nos lucem verbi Dei reverenter excipiamus.

XX. Ex v.35. Nisi lucem verbi Dei reverenter excepemus, credentes Euangelio, & dignè Euangelio viventes; privabit nos Deus tanto bono; unde nil nisi tenebræ errorum exitiales existent.

XXI. Ex v.37.38.39.40. Fides paucorum est, nempe electorum Dei. Vide 2.Thess.3.2.Tit.1.1.Act.13.48.Matth.13.11.

XXII. Ex v.38. In euangelio revelatur brachium Domini, id est, vis seu potentia resurrectionis Christi; Philip.3.10.quòd nimirum potenter mortẽ quam pro nobis gustavit, devicerit, & nobis æternam justitiam adduxerit.

XXIII. Ex v.40. Etsi Deus per prædicationem Euangelii corda reproborum excæcat & obdurat: non habent tamen illi quod cum Deo expostulent. Judicia enim Domini semper justa sunt, etsi sæpe sunt occulta. Vide Rom.9.v.19.20.21.& cap.11.v.33.

XXIV. Ex v.41. Christum esse verum Deum, colligitur ex verbis Euangelistæ collatis cum verbis Esaiæ c.6.v.3. ex quibus duobus locis inter se collatis extruitur talis syllogismus:

Is quem vidit Esaias insidentem solio, stipatũ satellitio Seraphim, &c, is inquam est Jehova, hoc est, æternus Deus. Esa.6.3.

Atqui Christus est is, quem vidit Esaias insidentẽ solio, &c. hoc versũ.

Ergo Christus est Jehovah.

XXV. Ex v.42.& 43. Fugiamus ambitionem, tanquam exitiosam pestem: quippe qua homines impediuntur, ne veritatem cœlestem profiteri ausint. Nos verò hanc ingenuè & constanter profiteamur, etiamsi propterea ignominia afficiamur à mundo; certò scientes, Deum nos suo tempore vicissim honoraturum, & quidem solida atque æterna gloria. Vide sup.v.26.

XXVI. Ex vers.44.& 45. Christum esse verum Deum, etiam hinc perspicitur, quòd ita unum est cum Deo Patre; ut qui in ipsum credit, necessariò etiam credat in Patrem; quique ipsum cognoscit, necessariò etiam cognoscat Patrem.

XXVII. Ex v.46. Quicunque veram & salutari Dei cognitione illuminari

cupit, is in Christum credat oportet; & hanc ipsam fidem à Christo petat; quum ipse solus sit illa lux, quæ corda hominum per prædicationem Euangelii lumine fidei donat.

XXVIII. Ex v.47.48.49.& 50 Increduli meritò condemnantur; quia contemnunt verbum Dei: quod ut est æterna veritas, ita etiam vitam æternam confert omnibus iis, qui fide ipsum reverenter excipiunt.

ANALYSIS CAP. XIII.

ARGUMENTUM.

In hoc capite primùm narrat Euangelista, quomodo Christus laverit pedes discipulorum, usque ad v.18. deinde, quomodo conquestus sit de proditore, à vers.18.ad 27. tum, quomodo Judam Iscariotem compellaverit de proditione quam moliebatur, à vers.27.usque ad 31.præterea, quomodo discipulos commonefecerit de sui glorificatione, item de suo discessu, & quomodo eis dederit mandatum dilectionis; à vers.31.usque ad 36. Postremò, quomodo Petro confidenter promittenti constantiam in vita ejus defendenda, prædixerit lapsum, nempe abnegationem ipsius.

DE PRIMA PARTE.

ANte festum autem Paschæ, sciens Jesus venisse horam ipsius ut transiret ex hoc mundo ad Patrem: quum dilexisset suos illos qui erant in mundo, usque ad finem dilexit eos.

2 *Et cœna peracta, (quum diabolus jam immisisset in cor Judæ filii Simonis, Iscariotæ, ut proderet eum)*

3 *Sciens Jesus Patrem omnia dedisse sibi in manus, & se à Deo prodiisse, & ad Deum abire:*

4 *Surgit è cœna, & deponit pallium: acceptoq; linteo præcinxit se.*

5 *Deinde immisit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.*

6 *Venit ergo ad Simonem Petrum: qui dixit ei, Domine, tu mihi lavas pedes?*

7 *Respondit Jesus & dixit ei, Quod ego facio, tu nescis nunc, cognosces autem postea.*

8 *Dicit ei Petrus, Non lavabis meos pedes in æternum. Respondit ei Jesus, Nisi lavero te, nihil mecum habebis commune.*

9 *Dicit ei Simon Petrus, Domine, non solùm pedes meos, sed etiam manus & caput.*

10 *Dicit ei Jesus, Ei qui lotus est, non opus est nisi ut pedes lavet, sed est purus totus: & vos puri estis, sed non omnes,*

11 *Norat enim eum qui ipsum prodebat: propterea dixit, Non estis puri omnes.*

12 *Postquam ergo laviisset pedes eorum, & pallium suum recepisset: rursum discumbens, dixit eis, Intelligitis quid fecerim vobis?*

13 *Vos me vocatis, Præceptor ac Domine: & rectè dicitis: sum enim.*

14 *Itaque si ego lavi pedes vestros dominus & præceptor, vos quoq; debetis alii aliorum pedes lavare.*

15 *Exemplum enim præbui vobis, ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

16 *Amen amen dico vobis, Servus non est major domino suo, neque legatus major eo qui ipsum misit.*

17 *Si*

17 *Si hæc noveritis: beati eritis si ea feceritis.*

V.1. præfatur Euangelista de constanti amore Christi erga suos discipulos, nempe Apostolos; atque ita causam ostendit, quæ Christum ad pedes discipulorum lavandos impulit. V.2. indicat circumstantiam temporis quando Christus pedes discipulorum laverit: nempe quum Judas jam sibi proposuisset eum prodere: atque ita singularem Christi patientiam in tolerando & humaniter tractando hypocrita commendat. V.3 exponit quibus cogitationibus, se operi accinxerit, nempe cogitationibus suæ gloriæ mortem consecuturæ: atq; ita docet quomodo injuriam proditionis ac metum mortis superarit. V.4 & parte quinti, quomodo se ad lotionem præpararit. V.5. quomodo rem gesserit. V.6. quomodo Petrus lavari recusarit. V.7. quibus verbis Christus Petro persuadere conatus sit, ut lotionem admitteret. V.8. quomodo Petrus iterum recusarit: & quid Christus ei minatus sit, ut ei persuaderet: ubi occasione recusationis Petri Christus doçet, quám necessarium sit nobis, ut abluamur sanguine ipsius á sordibus peccati. V.9. quomodo Petrus persuasus, sese promtissimum ad lotionem exhibuerit. V.10. quomodo Christus aliud mysterium hujus lotionis significaverit, nempe sanctificationem seu regenerationem per Spiritum sanctum, & hypocritam inter eos latentem notaverit: nempe Judam, sicut declarat ipse Euangelista, V.11. Deinceps narrat, quomodo Christus rationem & præcipuum consilium hujus lotionis exposuerit, nempe se discipulis suis præbuisse exemplum modestiæ, & humilitatis, & alacritatis in officiis dilectionis mutuò præstandis: ad quas virtutes eos hortatur argumento á minori; nam si ipse dominus & magister hoc servile ac humile officium præstitit discipulis: multo magis ipsi inter se officia ejusmodi præstare debent: á v.12. usque ad 18.

DE SECUNDA PARTE.

18 *Non de omnibus vobis loquor: ego scio quos elegerim: sed* oportet *ut implea-tur Scriptura, Qui edit mecum panem, sustulit adversum me calcem suum.*

19 *Jam nunc dico vobis priusquam fiat: ut quum factum fuerit, credatis me* cum *esse.*

20 *Amen amen dico vobis, quando aliquem misero: quisquis* cum *recipit, me recipit: qui verò me recipit, recipit eum qui me misit.*

21 *Quum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, & testatus est dixitque, Amen amen dico vobis, unus ex vobis prodet me.*

22 *Discipuli ergo aspiciebant alii ad alios, dubitantes de quo diceret.*

23 *Erat autem quidam ex discipulis Jesu recumbens in sinu ipsius,* nimirum *is quem diligebat Jesus.*

24 *Innuit ergo huic Simon Petrus ut percontaretur quisnam esset de quo diceret.*

25 *Ille verò allapsus ad pectus Jesu, dicit ei, Domine, quis est?*

26 *Respondit Jesus, Ille est cui ego intinctam offulam dedero. Et quum intinxisset offulam, dedit Judæ* filio *Simonis Iscariotæ.*

Conqueritur de perfidia proditoris, simulque consolatur & reliquos discipulos & seipsum contra istam proditoris perfidiam: discipulos quidem, quód per ipsius gratiam constantes mansuri sint in studio pietatis: Se verò & simul etiam discipulos, quód proditio illa in scripturis prædicta sit. nam quod Davidi ut typo accidit Psal.41. v.10. id proprié in Christo implendum fuit. V. 19. causam exponit cur discipulos de proditore præmoneat. V. 20. discipulos ad constantiam in munere Apostolico fungendo hortatur, á

muneris Apostolici dignitate. V.21. aperté monet fore ut ab uno ex ipsis prodatur. V.22.23.24.25.& 26. quisnam ille sit, unum ex illis (nempe Johannem) signo docet: videlicet offula in manum data.

DE TERTIA PARTE.

27 *Et post sumptam offulam, tunc ingressus est in illum Satanas. Dicit igitur ei Jesus, Quod facis, fac citò.*

28 *Hoc autem nemo accumbentium intelligebat quorsum ei dixisset.*

29 *Quidam enim putabant, quia marsupium habebat Judas, Jesum ei dixisse, Eme quibus opus est nobis ad festum: aut egenis ut aliquid daret.*

30 *Ille igitur accepta offula, statim exivit. erat autem nox.*

V.27. exponit quibus verbis Christus Judam compellaverit de proditione. qua compellatione minimé ei esse voluit sceleris author aut suasor: sed tantúm significavit, sibi de Judæ molitionibus optimé constare, ac proinde perfidiam ei hoc modo exprobravit. V.28.& 29. quód reliqui discipuli verba illa Domini non intellexerint. V. 30. quomodo Judas abierit ad proditionem perficiendam.

DE QVARTA PARTE.

31 *Quum ergo exivisset, dicit Jesus, Nunc glorificatus est Filius hominis, & Deus glorificatus est in eo.*

32 *Quód si Deus glorificatus est in eo, Deus quoque glorificabit eum in sese, & statim glorificabit eum.*

33 *Filioli, adhuc paul sper vobiscum sum. quæretis me: sed sicut dixi Judæis, Quò ego vado, vos non potestis venire; ita & vobis nunc dico.*

34 *Mandatum novum do vobis, ut alii alios diligatis; sicut* inquam *dilexi vos, ut vos etiam diligatis alii alios.*

35 *Ex hoc omnes cognoscent, vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii in alios.*

Consolatur se Dominus consideratione gloriæ, tum illius quæ cum ipsius morte conjuncta erat, tum illius quæ ejus mortem erat consecutura. Cum morte ejus conjuncta erat gloria tum ipsiúsmet, tum Patris; Ipsiúsmet, quia ex ejus morte effulsit ipsius amor erga genus humanum, item ipsius obedientia ergá Patrem, item ipsius justitia in delendis electorum peccatis. Patris verò gloria conjuncta erat cum ejus morte; quia inde effulgebat summa illius bonitas & misericordia erga electos, propter quos unigenitum filium in mortem dederat; deinde summa justitia in puniendis electorum peccatis morte unigeniti sui filii. Porró mortem ejus consecutura erat gloriosa resurrectio, qua mortem devicit; item gloriosa in cælum ascensio, qua de hostibus suis Diabolo & mundo triumphavit; tum sessio ad dextram Patris in cælis, ubi in summa gloria regnans gubernat ac defendit suam Ecclesiam, quam sanguine suo acquisivit. V.34.& 35. mandat discipulis mutuam dilectionem; quod mandatum appellat novum; non quód non jam olim in Lege esset traditum: sed quód summo studio observandum sit, non secus ac si novum esset. Solent enim homines leges novas studiosiús observare; tum paulatim inveteráscente lege, de studio remittunt.

DE QUINTA PARTE.

36 *Dicit ei Simon Petrus. Domine, quò abis? Respondit ei Jesus, Quò abeo, non potes me nunc sequi; postea verò sequêris me.*

37 *Dicit*

37 *Dicit ei Petrus, Domine, quare non possum te sequi nunc? animam meam pro te deponam.*

38 *Respondit ei Jesus, Animam tuam pro me depones? amen amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter me abnegaveris.*

V.36. Petrus significat, se individuum Domini comitē fore; sed Dominus negat eum nunc id præstare posse: sed tamen secuturum postea, nempe post ipsius in cælos ascensionem; quibus verbis martyrium Petri innuit. V. 37. Petrus promittit confidenter, se paratum esse ad vitam suam pro Domino deponendam. V.38. Dominus confidentiam Petri refutat; prædicens ei lapsum, nempe abnegationem ipsius.

SCHOLIA IN CAP. XIII

1 *Horam ipsius.* ἀυτῦ ἡ ὥρα. Pro, ἑαυτῦ, id est, suam, *Quum dilexisset.* ἀγαπήσας. Hic incipit ἀπόδοσις periodi. *Suos illos.* τὺς ἰδίους. Videlicet sibi datos á Patre, id est electos.

2 *Cœna peracta:* δείπνυ γενομένυ. Omnino pro γενομένυ videtur legendum γινομένυ: ac proinde vertendum, Quum cœna fieret. h.e. inter cœnandum. Etenim mox versu 4. dicitur, Christum surrexisse ἐκ τῦ δείπνυ, é cœna: & v. 12. dicitur, cum lotione pedum peracta rursum discubuisse: item v.26. dicitur offulam intinctam dedisse Judæ: ex quibus omnibus clarè perspicitur, cœnam illam tum nondum peractam fuisse. Si tamen intelligatur vocabulum Cœnæ per synecdochen integri de prima illius cœnæ parte, tum rectè legitur γενομένυ. Vide Bezam ad Matth. 26. v. 20.

4 *Deponit.* τίθησι. Pro, καταθίθησι. Sic suprá cap. 10. v. 11. 17. 18. *Pallium.* τὰ ἱμάτια. Numero plurali significantur summæ seu exteriores vestes. Videtur igitur Dominus exuisse non solúm pallium, vel potiús togam, sed etiam tunicam, id est τὸν χιτῶνα: quem tamen Euangelista infrá cap. 19. v. 23. τοῖς ἱματίοις opponit.

6 *Tu mihi lavas pedes?* Interrogatio admirantis & detrectantis tanquam rem absurdam miniméque decentem.

7 *Nescis.* οὐκ οἶδας. Id est, Non intelligis quid sibi velit quod ago. *Cognosces autem postea.* Nempe ex me docente, & mysterium hujus actionis declarante. quod facit inf. v. 12. & deinceps.

8 *In æternum.* Id est, unquam. *Nisi lavero te.* Intellige, non tam extrinsecus hac aqua, quám intrinsecus meo sanguine.

9 *Non solum pedes, &c.* Sermo concisus, utpote festinantis. Quasi dicat: Si tanti est, me abs te lavari: promtissimé tibi offero ad lavandum non solúm pedes, sed etiam manus & caput.

10 *Qui lotus est &c.* Allegoria, cujus hic videtur esse sensus. Qui lotus est à peccatis per fidem sanguine meo & spiritu, is non opus habet nisi ut lavet pedes seu sordes pedum, id est, quotidiana peccata quę ex infirmitate commiserit: dolendo scil. quód illa commiserit, petendo eorum remissionem, eámque credendo: petendo etiam gubernationem Spiritus sancti, ne posthac similiter peccet: denique serió sibi á peccatis cavendo. *Et vos.* καὶ ὑμεῖς. Id est, Et vos quidem.

11 *Qui ipsum prodebat.* τὸν παραδιδόντα αὐτόν. Id est, paulo póst proditurus erat: qui jam hoc agebat, & totus in hoc erat ut eum proderet. Sic dicebat illi, *Quod facis, fac citò*, pro, Quod facturus es, seu quod facere instituisti, infrá. v. 27.

12 *Pallium.* τὰ ἱμάτια Vide suprá ad vers. 4. *Recepisset.* ἔλαβε. Id est, iterum indussset. Synecdoche membri. *Rursum discumbens.* ἀναπεσὼν πάλιν. Hic incipit apodosis periodi, vel consequens enuntiati compositi. *Intelligitis.* γινώσκετε. Id est, σωίετε. Interrogatio docturientis. quasi dicat: Si intelligitis, bene est: si non intelligitis (quod omnino puto, quodque ex recusatione Petri apparuit) docebo vos. Similia exempla vide Psalm. 15. v. 1. Rom. 13. v. 3.

13 *Vocatis.* φωνεῖτε. Id est, salutatis: vel vocantes me, appellatis. *Praeceptor ac domine.* ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος. Pro. ὦ διδάσκαλε καὶ κύριε. Sic Marc. 15. v. 34. ὁ θεός μου, ὁ θεος μου, ex Psal. 22. Quod Matt. 27. v. 46. dicitur, θεέ μου, θεέ μου.

14 *Lavi dominus,* ἔνιψα ὁ κύριος. id est, quum sim dominus: vel, quanquam sum dominus. His verbis innuitur τὸ ἧττον, quia minus videtur decere ut dominus & praeceptor lavet pedes servorum ac discipulorum, quam ut conservi & condiscipuli inter se lavent; quum ille sit superior, isti verò æquales. *Vos quoque.* καὶ ὑμεῖς. Pro, πολλῷ μᾶλλον ὑμεῖς, multo magis vos; qui scilicet non estis alterius dominus aut praeceptor, sed inter vos æquales ut condiscipuli. *Debetis alii aliorum pedes lavare.* Id est, alii aliis servire; & servilia quoque officia, si opus sit, hoc est si ædificatio proximi postulet, vobis mutuó praestare. Synecdoche speciei. Exemplum hujus praecepti observati vide in Paulo, 1. Cor. 9. v. 19.

15 *Ut prout ego,* &c. Epexegesis.

16 *Servus non est,* &c. Declarat rationem τῦ ἧττον seu minoris, in enthymemate proposito.

18 *Ego scio quos elegerim.* Scilicet ad vitam æternam. Est igitur Christus verus ac æternus Deus. *Sed oportet ut.* ἀλλ' ἵνα. Pro, ἀλλὰ δεῖ ἵνα. Ellipsis. Quanquam videtur potius supplendum, τῦτο γίνεται; ac proinde vertendum, *Sed hoc fit ut,* &c. Nempe quód inter vos est hypocrita, qui perfidé me proditurus est. hoc enim dicit ad se consolandum contra perfidiam Judæ. Porró similis ellipseos exempla vide Marc. 9. v. 12. item c. 14. & 49. *Qui edit.* ὁ τρώγων. Id est, edere solet. Sic Matth. 26. vers. 23. Sententia est, Qui utitur meo convictu. *Sustulit adversum me calcem suum.* Id est, conatus est me proculcare & pedibus terere; ut calcitrones & refractarii equi calcibus solent petere. sicut eruditè declarant Tremellius & Junius ad Psalm. 41. unde ista sententia desumta est.

19 *Me esse.* ὅτι ἐγώ εἰμι. Nempe Christum, de quo Scripturæ testantur.

22 *Aspiciebant alii ad alios.* ἔβλεπον εἰς ἀλλήλους. Intuebantur alii alios. *Dubitantes.* ἀπορούμενοι. Vulgata, hæsitantes: quo verbo Græcum melius videtur exprimi, quodque hic magis videtur idoneum ad notandum discipulorum anxietatem.

23 *Erat recumbens.* ἦν ἀνακείμενος Recumbebat. *Is quem diligebat Jesus.* Periphrasis Johannis: ut intelligitur ex collatione versiculi 20. & 24. ca. ult. *Diligebat.* Scil. eximié, præ cæteris. nam omnes suos dilexit, & quidem usque ad finem. sup. v. 1.

25 *Allapsus ad pectus Jesu.* ὀπισθεν ὅτι τὸ στῆθος τῦ Ἰησῦ. His verbis exprimitur gestus Johannis admoventis sese propiús ad os Jesu, ut sibi ex eo in aurem indicaretur proditor. *Dicit.* λέγει. Utique submissa voce, ne cæteri exaudirent.

26 *Respondet,* ἀποκρίνεται. Utíq; etiam submissa voce, ut solus Johannes exaudiret.

exaudiret. nam si palám & cunctis audientibus, hoc responsum pronunti-asset: nó habuisset discipuli caussam dubitãdi, quid sibi vellet Dominus istis verbis Judæ dictis, *Quod facis, fac citó*: v. seq. *Cui ego intinctam offulam dedero.* ᾧ ἐγὼ βάψας τὸ ψωμίον δώσω. Cui ego quũ intinxero, offulam dedero.

27 *Quod facis.* ὃ ποιεῖς, Id est, quod facere instituis, quod animo jam moliris & machinaris, ut suprá vers. 11.

28 *Nemo.* οὐδεὶς. Videtur tamen excipiendus Johannes: qui cognoverat rem ex Domino, v. 26.

35 *Ex hoc.* ἐν τούτῳ. Hebr. בזאת. ut Gen. 42. ver. 15. Alii in alios. ἐν ἀλλήλοις. Pro, εἰς ἀλλήλους.

38 *Animam tuam pro me depones?* Interrogatio vim habet negandi, simulque irridendi jactantiam Petri.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE, EX CAP. 13.

I. Ex ver. 1. Qui semel sensit, se á Christo diligi (sensit autem, quisquis in Christum credit) is certó sibi persuadeat, se ab eo in æternum dilectum iri: ac proinde se extra omne periculum exitii positum esse.

II. Ex v. 2. Si Christus Judam á quo sciebat se proditum iri, non solúm toleravit, sed etiam humanissimé atque amantissimé tractavit: idem & nos erga hypocritas faciamus, donec Deus eorum hypocrisin patefaciat.

III. Ex v. 3. Contra perfidiam & insidias hypocritarum, consolemur nos spe gloriæ cælestis, quæ nobis cũ Christo capite nostro cómunis futura est.

IV. Ex v. 6. & 7. Mandatis Dei obedire debemus, etiam quum ratio eorum nos latet.

V. Ex v. 8. Quicunque vitam æternam cum Christo communem habere volunt, necesse est ut ante ómnia abluantur sanguine ejus in cruce effuso, hoc est, ut per fidem consequantur remissionem peccatorum, quam Christus suo sanguine meritus est.

VI. Ex v. 10. Etsi fideles puri censentur á Deo, ut qui & sanguine Christi loti, & spiritu ejusdem sanctificati sint, ita ut & peccata eis remissa sint, & peccatum inhabitans non ampliús in eis regnet: tamen quia ex infirmitate carnis adhuc quotidie labuntur, opus habent ut quotidie adhuc pedes lavent: nimirum peccata commissa dolendo, remissionem eorum petendo, eamque credendo: petendo etiam gubernationem Spiritus sancti, ne posthac iterum peccent, denique serió sibi á peccatis cavendo.

VII. Ex v. 11. Etsi hypocritæ puri & sancti censentur apud homines: tamen coram Deo impuri sunt.

VIII. Ex v. 13. 14. 15. & 16. Quicunque Christi discipuli haberi volunt: eos modestiæ operam dare oportet, & alacritati in officiis charitatis etiam abjectissimis proximo præstandis. Vide exemplum Pauli 1. Cor. 9. v. 19. 20. 21. & 22.

IX. Ex v. 17. Non est satis scire, quid nostri sit officii: sed oportet etiam facere. Vide Matth. 7. v. 24.

X. Ex v. 18. Quód officium nobis á Deo injunctum præstare possumus: id proficiscitur á gratuita electione Dei: qui condidit nos in Christo ad bona opera, eaq; præparavit ut in eis ambularemus. Ephes. 2. v. 10. item cap. 1. v. 4.

XI. Ex v. eod. Quod hic negat Christus, se Apostolos omnes elegisse: cum tamen suprá cap. 6. v. 70. affirmarit, se elegisse eos omnes: non sibi ipse contradicit.

contradicit, nam illic loquitur de electione ad munus Apostolicum: hic veró de electione ad vitam æternam.

XII. Ex eod.v. Christum esse verum Deum, ex eo perspicitur, quód scit quinam sint electi ad vitam æternam, quodque ipse eos elegit. nam cognitio hæc propria est τῆ προγνώσει: & electio hæc facta est ante jacta fundamenta mundi. Ephes.1.v.4.

XIII. Ex v.eod. & 21. Si prodamur á falsis fratribus, & quidem ab iis de quibus optimé meriti sumus: consolemur nos exemplo Christi, cui idem á Juda evênit.

XIV. Ex v.19. Jesum Mariæ virginis filium, esse promissum illum Messiam, ideó credimus, quia in eo impleta sunt quæ de Messia per Prophetas prædicta fuerunt.

XV. Ex v.20. Ministri Euangelii reverenter excipiendi sunt: quia hunc honorem Deus sibiipsi haberi censet.

XVI. Ex v.23. Unum præ alio diligere licet: dummodo dilectio fundata sit in donis Dei quibus ille quem diligimus excellit, & neminem non diligamus, in quo vel exigua Dei dona conspicimus.

XVII. Ex v. 26. & 27. Tantum abest, ut benevolentiæ signis ab iniquo odio revocentur hypocritæ, ut potiús magis exacerbentur, & diaboli instinctui plus loci dent.

XVIII. Ex v.29. Etiamsi non abundemus: tamen decet ut egenis aliquid vel ex parvis nostris facultatibus erogemus.

XIX. Ex v.31.32. & 33. Quum animadvertimus, impios conspirare in nostram necem: debemus nos consolari consideratione glorificationis necem consecuturæ. Nam si occidimur cum Christo: certum est quód cum eodem regnaturi simus. 2.Tim.2.v.11.& 12.

XX. Ex v.34. & 35. Si pro Christianis, id est Christi discipulis, haberi volumus: oportet ut nos mutuó quam ardentissimé diligamus, videlicet non verbo solúm neque lingua, sed opere & veritate 1. Johan.3.v.18.

XXI. Ex v.36. Deus mirabiliter regit electos suos, ut quem nunc infirmum esse sinit, eum suo tempore ita confirmet, ut vel sanguine suo veritatem cælestem obsignare non dubitet.

XXII. Ex v.37. & 38. Cavenda est confidentia carnalis & præsumtio de nostris viribus: nisi gravissimé labi velimus.

ANALYSIS CAP. XIV.

ARGUMENTUM.

Deinceps per tria capita, videlicet, decimumquartum, decimumquintum & decimumsextum, Euangelista exponit sermonem Domini ad discipulos extremum: quem scilicet ad eos habuit in ultima cœna, & partim post cœnam. In quo sermone Dominus discipulos consolatur contra scandalum suæ mortis, & contra suum ab eis discessum: item hortatur eos ad constantiam in fide erga ipsum, & dilectione mutua: denique consolatur eos contra odium & persecutionem mundi.

1 NE *turbator cor vestrum. Creditis in Deum? etiam in me credite.*
2 *In domo Patris mei habitationes multæ sunt: alioquin dixissem vobis.*
3 *Proficiscor*

3 *Proficiscor paraturus vobis locum: & quum profectus fuero, & parævero vobis locum, rursum veniam, & assumam vos ad meipsum: ut ubi ego ero, & vos sitis.*

4 *Et quò ego abeam scitis, & viam scitis.*

5 *Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quò abeas: quomodo igitur possumus viam scire?*

6 *Dicit ei Jesus, Ego sum via illa, & illa veritas, & vita illa. nemo venit ad Patrem nisi per me.*

7 *Si nosseris me, Patrem etiam meum nosseris: & iam nunc nostis eum, & vidistis eum.*

8 *Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*

9 *Dicit ei Jesus, Tantum temporis vobiscum sum, & non nosti me? Philippe, qui vidit me, vidit Patrem: quomodo igitur tu dicis, Ostende nobis Patrem?*

10 *Non credis, me in Patre & Patrem in me esse? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor: sed Pater qui in me manet, ipse facit opera illa.*

11 *Credite mihi, me in Patre, & Patrem in me esse: sin minus, propter ipsa opera credite mihi.*

12 *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora istis faciet. Nam ego ad Patrem meum proficiscor.*

13 *Et quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.*

14 *Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.*

15 *Si diligitis me, mandata mea servate.*

16 *Ego verò rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum:*

17 Nempe *Spiritum illum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non conspicit eum, nec novit eum: vos autem nostis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit.*

18 *Non relinquam vos orbos: redeo ad vos.*

19 *Adhuc paululum, & mundus me non amplius conspiciet. vos autem conspicietis me: quia ego vivo, vos etiam vivetis.*

20 *In illo die vos cognoscetis, me esse in Patre meo, & vos in me, & me in vobis.*

21 *Qui tenet præcepta mea, & servat ea, ille est qui diligit me: qui autè diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & conspicuum ei exhibebo meipsum.*

22 *Dicit ei Judas, non ille Iscariotes, Domine, quid est cur te sis nobis conspicuum exhibiturus, & non mundo?*

23 *Respondit Jesus & dixit ei, Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & apud eum manebimus.*

24 *Qui non diligit me, sermones meos non servat: & sermo quem auditis, non est meus, sed ejus qui misit me,* nempe *Patris.*

25 *Hæc loquutus sum vobis, apud vos manens.*

26 *Advocatus autem ille,* id est *Spiritus sanctus, quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & in memoriam revocabit vobis omnia quæ dixi vobis.*

27 *Pacem relinquo vobis, pacem illam meam do vobis: non prout mundus dat, ego do vobis. Ne turbator cor vestrum, neque formidato.*

28 *Audivistis me dixisse vobis, Abeo, & redeo ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique quòd dixerim, Proficiscor ad Patrem. nam Pater meus major me est.*

29 *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut quum factum fuerit, credatis.*

30 *Non loquor amplius multa vobiscum: venit enim princeps mundi hujus, quanquam in me non habet quicquam.*

31 *Sed*

31 *Sed ut cognoſcat mundus, me diligere Patrem: & prout mandavit mihi Pater, ita facere: ſurgite, abeamus hinc.*

Ver.1. conſolatur eos contra ſcandalum ſuæ mortis: quia etſi in cruce ſecundùm corpus moriatur, tamen ſit verus cum Patre Deus, in quo fiducia certæ ſalutis collocanda ſit.

V.2.& 3. conſolatur eos contra ſuum ab eis diſceſſum, ab illius diſceſſus cauſſa finali: quia ab eis diſcedat, non ut in æternum ſeparatus ab eis ſuo corpore maneat: ſed ut eis locum in cælo paret, & eos ſuo tempore, nimirum in die ultimo, quum rediturus eſt ad judicium, ad ſe aſſumat: ut cæleſti illa gloria & felicitate unâ cum ipſo fruantur.

V.4. per prolepſin eis in memoriam revocat doctrinam Euangelii ante id tempus diu multumque eis á ſe propoſitam: nimirum de vita æterna & via quæ ad illam ducit: innuens, ſe per mortem ſuam iturum in vitam æternam, idque ipſorum cauſſâ.

V.5. Thomas ſermonem Domini interpellans, contradicit ei: negans ſe & condiſcipulos ſcire quó abeat: ac proinde de via quoque conſtare ſibi non poſſe. In qua Thomæ contradictione, magna ejus ruditas & doctrinæ Chriſti obliuio conſpicitur. Chriſtus enim de via vitæ æternæ ſæpe multumque eos docuerat.

Ver.6. Dominus Thomam erudit: docens, ſe, & quidem ſe ſolum, eſſe viam illam, per quam venitur in cælum, nempe ingrediendo hanc viam pedibus fidei: item, ſe eſſe veritatem, hoc eſt, promiſſum illum Meſſiam, in quo completa ſint & complenda ſint quæcunque de Meſſia prædicta & præfigurata fuerunt: denique ſe eſſe vitam, id eſt, vitæ æternæ authorem ac datorem: ut qui eam meriturus ſit electis ſua morte, & eandem in cordibus eorum inchoet efficacia ſui ſpiritus, donec eos plenè regeneret in reſurrectione mortuorum.

Ver.7. exponit, quónam iturus ſit, nempe ad Patrem: & quomodo ille cognoſcatur, docet, nempe in ipſo tanquam mediatore.

V.8. Interpellat Philippus: & petit, ſibi & condiſcipulis oſtendi Patrem, id eſt Deum: qua petitione ſignificat, ſe non credere verbis Chriſti, quum dixit, eos vidiſſe Patrem.

V.9. Chriſtus Philippum objurgat propter ruditatem. Deinde eum erudit, quomodo Deus veré cognoſcatur, nempe quando ejus majeſtas cognoſcitur in Filio incarnato, in quo tanquam effigie clariſſimé refulget. quippe in Chriſto habitabat & in æternum habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, hoc eſt, in corpore ejus tanquam templo perſonaliter aſſumto. Porró ruditatem Philippi oſtendit Chriſtus hoc ſyllogiſmo:

Qui vidit me, vidit & Patrem.
Atqui tu Philippe vidiſti me.
Ergo vidiſti & Patrem: Et per conſequens imperité & inepté facis quum petis tibi oſtendi Patrem.

Aſſumtio intelligitur ex verbis Philippi, ubi dixit, *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*, quaſi dicat: Nos vidimus quidem, id eſt cognovimus te: ſed ad cognitionem Dei nobis adhuc deeſt ut videamus Patrem: quem ubi viderimus, acquieſcemus.

V.10. confirmat Dominus propoſitionem ſui ſyllogiſmi ex ineffabili illa inhabitatione Patris in ipſo, & viciſſim ſui in Patre: unde fit ut qui Chriſtum cognoſcit, is non poſſit non ſimul cognoſcere Patrem qui in ipſo habitat. Hanc autē inhabitationem Patris in ſe probat ex effectis, videlicet ex doctrina

doctrina ſua & miraculis. Chriſtus enim doſtrinam arcanam de Deo & hominum ſalute expoſuit, idque non more prophetarum tanquam acceptam ex revelatione, ſed tanquam depromtam é ſuo ipſius pectore, imó é pectore ipſius Patris: in cujus ſinu erat. ſup. cap. 1. v. 18. Et hanc doctrinam propoſuit cum divina authoritate & gratia: ut videre eſt Matth. 7. v. 28. ſup. 7. verſ. 46. Luc. 4. v. 22. Item miracula ad doctrinam ſuam confirmandam edidit propria authoritate & virtute: non autem ut Prophetæ & Apoſtoli, invocato Deo: niſi quum ſpecimen humiliationis ſui exhibere ſimul voluit, ut ſup. 11. v. 41. & 42. in excitatione Lazari.

V. 11. concluſionem probationis infert per exhortationem ad diſcipulos: ubi eſt collatio imparium: qua conferuntur ipſius facta cum ipſius perſona: & ſignificatur, ſermonem ejus fidem mereri per ſe, quia ſcilicet proferatur à tali perſona: ac proinde multo magis fidem mereri, quód divinis miraculis eum ſæpe confirmarit.

V. 12. Occaſione mentionis operum ſuorum, redit ad conſolationem diſcipulorum: quibus hic promittit, ſe poſtquam in cælum aſcenderit, per manus eorum facturum majora opera, quám ipſemet corpore præſens fecit. Quibus verbis intelligit non ſolúm miracula quæ poſt ſuum in cælos aſcenſum per Apoſtolos edidit, tum Hieroſolymis tum apud exteras gentes, ut videre eſt in Actis Apoſtolorum: ſed imprimis converſionem gentium per Euangelii prædicationem. hoc enim maximum ac diviniſſimum opus eſt Chriſti, ſedentis ad dextram Patris, & inde mittentis ſuum ſpiritum in corda electorum, eaque per prædicationem Euangelii illuminantis & ad Deum convertentis, atque ita maximum hominum numerum in toto terrarum orbe abſque ullis armis ſibi ſubjugantis. Simile eſt illud dictum Chriſti de miniſtris Euangelii poſt ipſius in cælum aſcenſionem, quos cum Johanne Baptiſta comparans ait: Non ſurrexiſſe quidem inter natos é mulieribus majorem prophetam ſeu doctorem Johanne baptiſta: verumtamen qui in regno cælorum, id eſt, tempore prædicationis Euangelii minimus futurus ſit, eum fore illo majorem. Niſi quód iſtud de claritate doctrinæ dictum eſt: hic autem de efficacia ſpiritus loquitur.

V. 13. & 14. declarat, quomodo opera illa majora per Apoſtolos facturus ſit, & in quem finem: Nempe interveniente eorum invocatione, qua Patrem invocaturi ſint in nomine ipſius. Finem autem eſſe gloriam Patris.

V. 15. per prolepſin monet, quomodo debeant ſuam erga ipſum dilectionem teſtatam facere. Nam quia eum diligebant: optabant ut perpetuó ſecum maneret. Dominus igitur monet, ut dilectionem ſuam erga ipſum teſtatam faciant obſervando ipſius præcepta.

V. 16. & 17. aliam conſolationem annectit, ad mitigandum dolorem, quem ex corporali ipſius abſentia percepturi erant. promittit enim, ſe impetraturum eis á Patre Spiritum S. qui perpetuó cum eis manens, eos conſoletur in omnibus ærumnis, & eos edoceat cæleſtem illam veritatem, cujus cognitio ad vitam æternam neceſſaria eſt: ſimulque hoc Dei donum commendat á raritate, per antitheſin mundi, id eſt, impiorum ac reproborum: quibus donum hoc nequaquam commune ſit cum electis. Ubi etiam cauſſam proximam exponit, cur reprobis non detur Spiritus ſanctus: nimirum quia eum non curant, ſed contemnunt, freti ſcilicet propria ratione.

V. 18. promiſſionem hanc repetit: ſimulque monet, quænam ſit piorum conditio abſque conſolatione ſpiritus. nempe eſſe velut orphanos qui & conſilio & opibus deſtituantur in hoc mundo omniumque prædæ & injuriis

expoſiti

expoſiti ſint. Promittit igitur, ſe per Spiritum ſuum ad eos rediturum, atque ita conſilium ſuggeſturum & opem laturum contra mundi injurias.

V.19. addit alias duas conſolationes: unam, quód et ſi paulo póſt ſit moriturus & in ſepulchro recondendus, brevi tamen rurſum ipſum conſpecturi ſint: quippe qui tertio die erat reſurrecturus, ſeſeq; diſcipulis per dies quadraginta oſtenſurus, deque regno Dei cum eis collocuturus, Act. 1. verſu 3. Hoc beneficium illuſtrat antitheſi, qua diſcipulis opponit mundum, i.e. homines impios: qui eum non ampliús in hoc mundo ſint conſpecturi. Altera conſolatio ex priore manat, tanquam ex cauſſa. Quia enim reſurrecturus erat Chriſtus in vitam æternam, promittit diſcipulis, ipſos quóque victuros, atque ita ſenſuros fructum reſurrectionis ipſius. Loquitur autem de vita ſpirituali, qua vivit cor fidele virtute Spiritus ſancti, teſtificantis, reſurrectione Chriſti mortem æternam ſuperatam eſſe, & vitam æternam adductam omnibus Chriſti membris, id eſt omnibus fidelibus.

V.20. addit aliam conſolationem: nempe quód poſt ſuum in cælos aſcenſum veré cognituri ſint res duas maximas, quas nunc nondum ſatis intelligant: videlicet unionem Chriſti cum Patre, & unionem fidelium adeoqué & ipſorum cum Chriſto: nempe Chriſtum eſſe in Patre, & viciſſim Patrem in Chriſto τῇ οὐσίᾳ, eſſentia: ita ſcilicet ut ſint unus Deus: fideles veró eſſe in Chriſto, & viciſſim Chriſtum in fidelibus per gratiam Spiritus ſancti: qui eos Chriſto per fidem inſerit tanquam membra capiti, tanquam palmites viti: ita ut fideles ex Chriſto ſuccum vitæ æternæ perpetuó hauriant.

V.21. addit aliam conſolationem, á promiſſione triplici: promittit enim eis primúm dilectionem Patris, deinde ſuam, poſtremó manifeſtationem ſui. Quæ quidem omnia non de initio, ſed de augmento intelligenda ſunt: & duo priora non de ipſa dilectione in ſe, ſed de ipſius ſenſu in nobis. Antequam autem hanc conſolationem proponat: monet, quales eos eſſe oporteat, ſi promiſſionum illarum velint fieri participes, nempe oportere eos præditos eſſe ſincero ipſius amore. Itaq; inter ſincerum ac ſimulatum ipſius amorem diſcernit hac nota, quód veri amatores ipſius obſervent præcepta ejus, h.e. ex animo ac vero conatu ſtudeant pietati: hypocritæ veró non item. V.22. interpellat Judas Jacobi frater, ac quærit, cur Dominus ſe ſolis diſcipulis patefacturus ſit, non autem toti mundo. Quod videtur quærere ex falſa opinione de regno Chriſti, quaſi illud terrenum ac mundanum futurum eſſet.

V.23. Chriſtus quæſtione illa neglecta ac præterita, pergit in inſtituta doctrina, & repetit promiſſionem illam pertinentem ad ſinceros ſui cultores. V.24. doctrinam hanc illuſtrat á contrario: ſimulque cauſſam exponit, cur doctrina ſua meritó fide amplectenda ſit: quia nimirum ſit doctrina cæleſtis, quam á Deo Patre acceptam in mundum attulerit.

V.25. & 26. aliam conſolationem addit, quæ ſumta eſt á futura in eis operatione Spiritus ſancti, qui doctrinam ſuam quam hoc tempore nondum ſatis intelligant, ſit eis pleniús declaraturus: & ſi quid obliti fuerint, in memoriam revocaturus ad ipſos conſolandum.

V.27. conſolatur eos á communicatione ſuæ pacis, h. e. veræ felicitatis, quæ conſiſtit in ſenſu gratiæ Dei, & aliás pax conſcientiæ vocatur. De qua pace inf. c. 16. v. 33. ait. *Hæc loquutus ſum vobis ut in me pacem habeatis: in mundo afflictionem habebitis.* Hanc autem pacis communicationem diſcernit ab optatione pacis quæ uſitata eſt in mundo ſeu inter homines: ubi alii aliis pacem, id eſt, felicitatem optant, benevolentiæ teſtandæ cauſſa, idq; interdum non

non ſerió: nemo tamen felicitatem alteri largiri poteſt. Poſtea concluſionem præcedentium conſolationum annectit, quam initio hujus ſermonis propoſuerat, v. 1.

V. 28. concluſionem factam amplificat, nempe ob diſceſſum ſuum diſcipulis non ſolúm non eſſe dolendum, ſed etiam gaudendum, quia hic diſceſſus pertineat ad ipſius gloriam & beatitatem. Patrem enim ad quem proficiſcatur, majorem eſſe ſe, hoc eſt, beatiorem ac glorioſiorem, nimirum quatenus ipſe, tanquam ſervus patris, in hoc mundo ſit contemtus & pauper: á quo ſcilicet contemtu liberandus ſit per hunc diſceſſum ad patrem, hoc eſt, aſcenſionem in cœlum & ſeſſionem ad dextram Patris: & particeps futurus illius beatitatis & gloriæ Patris. Vide infrá 17. v. 5.

V. 29. cauſſam finalem indicat, propter quam diſcipulos præmoneat de ſuo ab eis diſceſſu corporali, & ad eos reditu per Spiritum ſanctum: ut ſcilicet credant ipſius doctrinæ, ac proinde in ipſum credant tanquam ſervatorem.

V. 30. cauſſam corrumpentem exponit longioris ſermonis, nempe inſtantem mortem: quam circumloquitur á cauſa efficiente, nempe Diabolo, quem vocat principem hujus mundi, quia permiſſu Dei tyrannidem exercet in impios, eoſque pro ſua libidine agitat: Simul autem intelligit Diaboli organa, nempe Judam proditorem, Sacerdotes, Phariſæos, Pilatum & milites, qui ipſum occiderunt. Præterea docet, ſe moriturum innocentem: quia Diabolus nihil in eum habeat juris aut poteſtatis: quippe quum ſit purus á peccato, atq; etiam Diabolo potentior, nempe Deus. V. 31. exponit cauſſam finalem, cur moriturus ſit, quantumvis innocens ac potentior Diabolo: nempe ut glorificetur Pater ex ſua obedientia: quum Pater decreverit ut moreretur, eique hoc mandaverit, propter ſalutem electorum. Ad extremum hortatur eos ut ſurgant & ſecum in hortum abeant. Quanquam videtur non ſtatim exiviſſe: ſed ſermonem qui ſequitur duobus ſequentibus capitibus, atque etiam precationem quæ habetur cap. 17. habuiſſe in eodem loco ubi cœnarat. Hoc intelligitur ex principio capitis 18. ubi ait Euangeliſta: Jeſum poſtquam iſta omnia loquutus eſſet, egreſſum eſſe cum diſcipulis trans torrentem Kedron, ubi erat hortus.

SCHOLIA IN CAP. XIIII.

1 *Ne turbator.* μὴ ταρασσέσθω. Id eſt, ne committitote ut turbetur. *Creditis &c.* πιστεύετε. Hæc verba ſic ſunt diſtinguenda. πιστεύετε εἰς θεόν; καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε. id eſt, Creditis in Deum? Etiam in me credite, hoc eſt, Si creditis in Deum, etiam in me credite. Tales interrogationes & ſubjectæ reſponſiones extant 1. Cor. 7. v. 18. 21. & 27.

2 *In domo patris mei.* Id eſt, in cælo ſede beatorum. *Alioqui.* εἰ δὲ μή. Niſi ita eſſet. *Dixiſſem vobis.* εἶπον ἂν ὑμῖν. Id eſt, indicaſſem id vobis: ne ſcilicet lactarem vos inani ſpe.

3 *Proficiſcor.* πορεύομαι. Hæc verba omnino á præcedentibus diſtinguenda ſunt: ut hîc incipiat nova periodus. Neque enim certé illis ſubjiciuntur per mimeſin ſeu proſopopœiam.

6 *Via illa.* ἡ ὁδός. Scil. quæ ducit in cælum. *Illa veritas.* ἡ ἀλήθεια. Verus ille Sacerdos & rex, per Moſaicos illos præfiguratus. Sic ſuprá cap. 1. ver. 17. *Vita illa.* ἡ ζωή. Veræ illius vitæ, nempe æternæ, author. Sic ſuprá cap. 11. v. 25.

10 *Opera illa.* τὰ ἔργα. Nempe eximia illa & mira opera, quæ ego facio.

12 *Majora*

12 *Majora istis.* μείζονα τούτων. Videtur intelligere conversionem populorum per prædicationem Euangelii: ut quód Petrus una concione tria millia ad fidem Christi adduxit, Act. 2. v. 41. *Nam ego ad Patrem meum proficiscor.* Id est. Nam ego ascendam in cælum, & inde mittam in vos Spiritum sanctum, cujus virtute instructi prædicabitis Euangelium in toto mundo. Synecdoche membri.

16 *Rogabo.* ἐρωτήσω. Propriè τὸ ἐρωτᾶν significat interrogare: sed hîc orare. *Advocatum.* παράκλητον. Sic etiam Christus vocatur παράκλητος, 1. Joh. 2. v. 1. Consolator autem, est ac si dicas παρακλήτης vel παρακλήτωρ. *Alium.* ἄλλον Scil. pro me, seu meo loco. Ergo se quoque profitetur discipulorum παράκλητον, id est advocatum seu patronum apud Patrem. *In æternum.* εἰς τὸν αἰῶνα Id est, semper: non autem ad tempus tantúm, ut ego ad tempus vobiscum fui, nunc autem á vobis discedam.

19 *Mundus.* ὁ κόσμος Id est, impii: ut intelligitur ex antithesi. Metonymia subjecti, & synecdoche generis: quia impiorum in mundo maximus numerus est. *Vos etiam.* καὶ ὑμεῖς. Conjunctio *Etiam* est nota paris. Par enim est vita capitis & membrorum.

22 *Non ille Iscariotes.* οὐχ ὁ Ισκαριώτης. Quasi dicat: Sed alter ille, Jacobi frater. ἀναστατικὸν.

23 *Manebimus* μονὴν ποιήσομεν. Mansionem, id est, habitationem, faciemus. id est, in eo inhabitabimus tanquam in templo: sicut passim Paulus fideles nominat templa Spiritus sancti.

24 *Et sermo.* καὶ ὁ λόγος. Pro, *Quanquam sermo.* Est enim correctio. *Non est meus.* Id est, non est á me excogitatus, tanquam nudo homine, qui destituatur vocatione Dei. Sic suprá cap. 6. v. 38. & cap 7. v. 16.

25 *Apud vos manens.* παρ' ὑμῖν μένων. Id est, quum adhuc apud vos degerem & vobiscum versarer. nam perinde loquitur ac si jam non versaretur cum eis, eó quód pauló póst discessurus erat.

26 *Ille vos docebit.* ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει. Præcessit, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Constructio igitur refertur ad sensum: & pronomine masculino notatur manifestè persona. Similis syntaxis reperitur 1. Cor. 12. v. 2. ἔθνη ἀπαγόμενοι. *Omnia.* πάντα. Intellige omnia ad salutem necessaria: Synecdoche generis.

28 *Nam Pater.* ὅτι ὁ πατὴρ. Rationem affert enuntiati connexi præcedentis, *Si diligeretis me, &c. Major.* μείζων. Id est, beatior. Sic infrà cap. 15. v. 20. *Me.* με Nempe qualis nunc sum, donec mortuus fuero. Significat, se ubi profectus fuerit ad Patrem, participem fore cælestis illius beatitatis qua Pater fruitur: quo nomine discipuli meritó gaudere debeant, non autem ipsi hanc beatitatem invidere: si modó eum diligant.

29 *Credatis* πιστεύσητε. Nempe in me. Id est, in fide crescatis & confirmemini. Sic suprá cap. v. 11.

30 *Princeps mundi hujus.* Id est, diabolus. *Quanquam.* καί. Pro καίπερ. *In me non habet quicquam.* Id est, nihil habet juris in me.

31 *Sed ut cognoscat, &c.* Bifariam hæc verba possunt construi & exponi. Vel sic: *Sed surgite, abeamus hinc* (Scil. obviam iis qui me capturi sunt) *ut cognoscat mundus, &c.* Vel post ἀλλὰ aliquid supplendum, ad hunc modum: *Sed venit ille* (nempe princeps mundi venit, ut me ad mortem rapiat, v. præcedéte) *ut cognoscat mundus, me diligere Patrem, & prout mandavit mihi Pater, ita facere. Surgite, &c.* Possunt etiam suppleri verba generalia, γίνεται τοῦτο vel ταῦτα: fit hoc, vel fiunt hæc. Cujus ellipsis exempla plura vide suprá c. 13. v. 18. *Et ita facere.* καὶ ἕτω ποιῶ. repetendú ὅτι, ὅπου κοινὸν. quasi dicat, καὶ ὅτι καθως, &c.

OBSER-

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. XIIII.

I. Christum esse Deum, multis argumentis probatur ex hoc capite. Primum: quia in eum credendum est, v.1. Secundum: quia ascendit in cœlum propria virtute, v.2. Tertium: quia assumet credentes ad se in cœlum, v.3. Quartum: quia est via, veritas, & vita, v.6. hoc est, quia est mediator inter Deum & nos, promissus ille Messias, vitæ æternæ author in credentib. Quintum: quia tam arctè unitus est cum Patre, ut qui ipsum novit, necessariò nôrit & Patrem: quum Pater sit in ipso, & ipse in Patre, per essentiam: v.7. 9.10.11 & 20. Sextum: quia doctrinam arcanam de Deo & salute hominum protulit è sinu Patris, idque cum divina authoritate & gratia, v.10. Septimum: quia miracula edidit virtute propria, eod.v. Octavum: quia ei loquenti credendum est per se, nempe propter ipsius authoritatem, v.11. Nonum: quia exaudit preces invocantium, corpore longissimè ab illis distans, v.13. Decimum: quia facit unà cum Patre quæ credentes petunt, nempe quæ petunt secundum voluntatem Dei, eod.v. & sequente. Undecimum: quia mandata Dei sunt ipsius mandata, v.15. & 21. Duodecimum: quia unà cum Patre mittit Spiritum sanctum in corda credentium ad eos consolandum, v.16. 17. & 18. Decimumtertium: quia propria virtute resurrexit ex morte, v.19. Decimumquartum: quia vitæ suæ participes facit credentes, eod.v. Decimumquintum: quia se per Spiritum sanctum patefacit electis, v.21. Decimumsextum: quia unà cum Patre venit ad electos, & apud eos manet, nimirum habitans in cordibus eorum per fidem, v.23. Ephes.3.v.17. Decimumseptimum: quia credentibus dat pacem conscientiæ, vers.27. Decimumoctavum: quia prædixit discipulis quæ sibi & illis eventura erant: prædixit autem non tanquam ex revelatione, ut prophetæ: sed tanquam omniscius, v.29.

II. Ex v.2. & 3. Cœlum in quod Christus ascendit, est locus destinatus Christo & hominibus in Christũ credentibus, ut ibi beatè in æternũ vivant. Hic locus vocatur domus Patris: quia Pater illic se plenè fruendum dat filiis suis, nempe hominibus quos in filio suo unigenito in filios adoptavit. A Paulo vocatur tertium cœlum, 2.Cor.12.2. respectu scilicet aëris quod est primum cœlum, nobis proximum; in quo quia volant aves, nominantur inde volatilia cœli: & respectu orbium, in quibus hærent sol, luna & cæteræ stellæ, quod vulgò cœlum & à nonnullis firmamentum dicitur. Ac de his cœlis intelligendum est quod dicit Apostolus Ephes.4.10. Christum ascendisse supra omnes cœlos, nempe hos aspectabiles. Vocatur etiam ab eodem Paulo hoc tertium cœlum paradisus, 2.Cor.12.4. propterea quòd ut primi nostri parentes, quamdiu in paradiso, id est horto illo amœnissimo in quo collocati erant, mandato Dei obedientes permanserunt, beatè vixerunt: Ita in hoc cœlo perfectissima beatitudine fruentur omnes electi. Quæ quũ ita sint: falsum est dogma eorum qui dicunt, cœlum ubique esse.

III. Ex v.6. Unicus Christus est via ad vitam æternam, & promissus ille Messias, in quo figuræ Mosaicæ impletæ sunt. 2.Cor.1.20.

IV. Ex v.7. & 9. Qui Christum novit, Deum novit: Qui Christum ignorat, Deum ignorat. Sic sup.5.23.

V. Ex vers.10. Dei majestas in Christi tum doctrina tum factis se planè conspicuam præbet.

VI. Ex v.13. Orandus est Pater in nomine Christi: & confidendum eum exauditurum.

VII. Ex v.15.21.23.& 24. Dilectionem nostram erga Christum testatam facere debemus serio studio pietatis: quo qui destituitur, hypocrita est, & falsò gloriatur, se Christum diligere.

VIII. Ex v.16.17.& 18. Christus quamvis corpore suo à nobis absit: tamen per gratiam Spiritus sancti omnibus piis præsentissimus est, in omnibus ærumnis eos consolans.

IX. Ex v.19.& 20. Vita nostra æterna ex vita æterna Christi fluit: cùm ipse sit caput, nos membra: ipse vites, nos palmites.

X. Ex v.21.& 23. Diligi nos à Christo & à Patre inde scimus, quòd Christus se nobis indies magis patefacit: quodque unà cum Patre per spiritum suum in nobis habitat.

XI. Ex v.26. Spiritus sanctus non inspirat hominibus doctrinā novam: sed doctrinam Christi, mentibus electorum declarat, & per eam illos cōsolatur.

XII. Ex v.27. Pax conscientiæ & solida felicitas à Christo nobis communicatur.

XIII. Ex v.28. Tantum abest, ut discessum Christi à nobis secundum carnem, ægrè ferre debeamus, ut è contrario de eo nos gaudere oporteat: quum per eum glorificatus sit: ex ipsius autem tanquam capitis glorificatione pendeat omnis nostra, tanquam membrorum, benedictio.

XIV. Ex v.30.& 31. Christus non invitus, sed volens; non Diabolo obnoxius, sed patris decreto obediens, mortem subiit: ut illa innocentis sui obedientia nostram culpam atque inobedientiam expiaret.

ANALYSIS CAP. XV.

ARGUMENTUM.

In hoc capite Christus sermonem superiore capite institutum continuat, ac tria potissimùm agit. Primùm hortatur discipulos ad constantiam in fide; docens, eos per fidem sibi tanquam palmites viti, esse insitos: usque ad v.8. Deinde hortatur eos ad studium pietatis, ac inprimis ad mutuam dilectionem: à v.8. usque ad 18. Tum consolatur eos contra odium ac persecutionem mundi: à v.18. usque ad finem.

DE PRIMA PARTE.

EGo sum vitis illa vera, & Pater meus est agricola ille.

2 *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, ut plus fructus adferat.*

3 *Jam vos puri estis propter sermonem quem loquutus sum vobis.*

4 *Manete in me: & ego in vobis* manebo. *sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso,* id est *nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis.*

5 *Ego sum vitis, vos palmites: is qui manet in me, & in quo ego* maneo, *hic fert fructum multum. nam seorsim à me nihil potestis facere.*

6 *Nisi quis in me manserit, abjectus extra* vineam, *statim ut palmes arescit: deinde colliguntur isti* palmites, *& in ignem abjiciuntur, & ardent.*

7 *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint; quicquid volueritis petite, & fiet vobis.*

V.1. docet,

V.1.docet,discipulos & omnes omnino credentes arctissimè secum conjunctos esse,videlicet tanquam palmites cum vite. Simul etiam docet,illos sibi insitos esse à Patre, nimirum per Spiritum sanctum, & prædicationem Euangelii: qua scilicet effectum sit, ut per fidem secum coaluerint. V.2.ex hac doctrina cohortationem deducit,qua discipulos hortatur ad ferendum fructum,id est ad studium bonorum operum, quæ Deo instar suavissimi fructus(quales hominibus uvæ sunt) grata sint. Et huc hortatur ab effectis per antithesin. Exponit enim primùm effectum perniciosum,eventurum iis qui fructum non tulerint, nempe hypocritis: quibus minatur fore,ut è vite excindantur, id est à Deo abjiciantur in æternum exitium. Ubi notandum, hypocritas nominari palmites Christo insitos,non quòd revera ei insiti sint: quippe quum careant fide,qua sola cum Christo tanquam vite coalescere licet: sed quòd propter fidei professionem insiti esse videantur. Contrà vere-credentibus & fructum bonorum operum ferentibus promittit, fore ut à Patre magis subinde purgentur, atque ita copiosiorem fructum ferant, Deoque indies magis placeant. Ubi notandum, purgationem hanc nihil aliud esse quàm renovationis incrementum quotidianum, qua Deus per Spiritum sanctum & prædicationem Euangelii atque etiam(quum lascivia carnis id postulat) per crucem & virgas suas quotidie magis renovat corda credentium ad serium studium pietatis.

V.3. doctrinam hanc generaliter propositam accommodat ad discipulos: eosque affirmat puros jam esse: non quòd omni prorsus vitio carerent: sed quòd renovari jam cœpissent. Simul etiam instrumentalem causam indicat,per quam à Patre purgati ac renovati sint,videlicet sermonem suum,id est,doctrinam Euangelii jam sæpe multumq; eis propositam. Etenim fides qua Christo inserimur & ex qua fluit pietatis studium, ex auditu Euangelii proficiscitur: ut docet Paulus Rom.10.

V.4.hortatur eos ad constantiam in fide, inquiens: *Manete in me.* scilicet per fidem. Argumenta cohortationis affert duo: primum ab effecto utili: promittit enim,se quoq; mansurum in eis,nempe per Spiritum suum. Quod non ita est intelligendum, quasi nos fide nostra mereamur, ut Christus per Spiritum suum in nobis maneat nobis: sed quòd ei placeat, hoc modo nos in fide & fidei confessione confirmare: quum sciamus, nos magnum constantiæ illius præmium nacturos, gratuitum quidem illud; sicut & ipsam fidem,ut gratuitum donum,à Deo accepimus; cui pro sua bonitate & φιλαγαθία placet,dona in nobis sua coronare,ut Augustinus ait. Deinde addit alterum cohortationis argumentum; quod sumtum est à fine: ut scilicet possint ferre fructum, id est facere opera Deo grata. quod argumentum illustrat similitudine ante-proposita palmitum & vitis. V.5. commoratur in eadem doctrina,similitudinem propositam ampliùs declarans.

V.6. affert aliud argumentum quo eos ad constantiam in fide hortatur; quod idem est cum argumento quo sup.v. 2. hortatus eos fuit ad studium bonorum operum; nempe ab effectu pernicioso. Minatur enim eis,qui à se defecerint, rejectionem in æternum exitium: & hoc facit sub similitudine instituta à palmitibus. Tria autem distinctè minatur: primùm ejectionem è vinea Domini,id est Ecclesia: deinde secuturam destitutionem gratiæ Dei: ita ut apostatæ illi subinde aridiores reddantur,id est,dereriores minusque idonei ad bona opera, magis autem idonei ad ignem gehennæ. Postremò minatur illis abjectionem in ignem gehennæ,id est,in æternum exitium.

V.7. alio argumento eos hortatur ad constantiam in fide; quod sumtum

eſt ab effectu utili, videlicet impetratione rerum ad vitam æternam & muneris injuncti functionem neceſſariarum. Simul autem docet, quomodo in ipſo manere poſſint, nempe ſi verba ſua manſerint in ipſis, hoc eſt, doctrina ſua, nempe doctrina Euangelii. Hæc autem in nobis manet per quotidianam meditationem, præcedente invocatione Dei, ut illam nobis ſubinde magis patefaciat. Quòd autem promiſſionem hanc generaliter concipit, inquiens, *Quæcquid volueritis*: ſciendum eſt, hanc generalem ſententiam reſtringi ex ipſa promiſſionis formula, ad eas res quæ pertinent ad gloriam Dei & ad ſalutem credentium. promiſſio enim hæc fit iis quæ in Chriſto permanſerint fide, & in quibus verba Chriſti manſerint pia meditatione. Qui autem ex fide petunt, ii non petunt niſi ſecundùm voluntatem Dei; ac proinde res pertinentes ad Dei gloriam & ſalutem ſuam, petunt ſimpliciter & abſolutè: res autem pertinentes ad commoda hujus vitæ terrenæ petunt cum hac conditione, Si Deus velit, hoc eſt, ſi faciant ad illius gloriam & ſalutem ipſorum. Similis eſt locus ille Pſalmi, Faciet voluntatem timentium ſe. Pſalm. 144. 19.

DE SECUNDA PARTE.

8 *In hoc glorificatus eſt Pater meus, ut fructum multum feratis: & eritis mei diſcipuli.*

9 *Prout dilexit me Pater, ita & ego dilexi vos: manete in illa mea dilectione.*

10 *Si mandata mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea: ſicut ego Patris mei mandata ſervavi, & maneo in ejus dilectione.*

11 *Hæc loquutus ſum vobis ut gaudium illud meum in vobis maneat, & gaudium veſtrum plenum fiat.*

12 *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis alii alios prout dilexi vos.*

13 *Majorem dilectionem nemo habet quàm iſtam, ut quiſpiam animam ſuam deponat pro amicis ſuis.*

14 *Vos amici mei eritis, ſi feceritis quæcunque ego mando vobis.*

15 *Non amplius dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat dominus ipſius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

16 *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & conſtitui vos, ut abeuntes fructum feratis, & fructus veſter maneat: ut quicquid petieritis à Patre in nomine meo det vobis.*

17 *Hæc mando vobis, ut diligatis alii alios.*

V. 8. hortatur eos ad ſtudium bonorum operum, argumento ducto à fine vel etiam effectu utili, videlicet gloria Patris. Hanc autem gloriam ex bonis operibus diſcipulorum exiſtere, tali ſyllogiſmo oſtendit:

Si ſitis (id eſt eſſe agnoſcamini) mei diſcipuli, hinc glorificatur meus Pater.

Atqui ſi fructum multum feratis, h. e. ſi multa bona opera faciatis, eritis (id eſt agnoſcemini) mei diſcipuli.

Ergo ſi multa bona opera faciatis, glorificatur hinc Pater meus.

Propoſitio liquet ex eo, quòd Pater Chriſtum miſit ad docendum: quare, qui diſcipulus Chriſti eſt, hoc eſt doctrinę Chriſti credit, is credit doctrinę Patris: quæ res pertinet ad ejus gloriam: dat enim ei gloriam veritatis. Sic alibi ait Chriſtus, eum qui credit ſuæ doctrinæ, obſignare quòd Deus verax ſit. Sup. 3. 33.

Aſſumptio liquet ex eo, quòd bona opera facere, eſt ſervare præcepta Chriſti. hæc autem qui ſervat, verum ſe illius diſcipulũ demõſtrat. Sup. 13. 35.

V. 9. aliud

V.9.aliud argumentum ab effectu utili affert, quo eos hortatur ad ſtudium pietatis: promittit enim fore, ut maneant in ſua dilectione, hoc eſt, ut dilectionem ejus erga ſe quaſi alant & conſervent. Dilectionem autem ſuam erga eos,amplificat ab adjuncta magnitudine: quam innuit collatione parium.comparat enim eam cum dilectione patris erga ſe : quam ſummam eſſe conſtat. Porró argumentum latet in ipſis verbis exhortationis. Quum enim ait *Manete in illa mea dilectione*,perinde eſt ac ſi diceret,Colite me ſtudio pietatis ſeu obſervatione meorum mandatorum: ſic enim manebitis in mea dilectione.Hanc eſſe ſententiam,liquet ex v.ſeq.Eſt igitur ſynecdoche metonymica,qua ſcilicet unâ cum effectu intelligitur cauſa : quod tamen dextré accipiendum eſt. Sicut explicavimus ſupra ad verſ.4. de conſtantia in fide.

V. 10. additur argumenti ſuperiore verſiculo inſtituti declaratio per enunciatum connexum : quod conſtituit ſyllogiſmi propoſitionem ad hunc modum :

Si velitis manere in mea dilectione, oportebit vos ſervare mea mandata.

Atque haud dubié vultis manere in mea dilectione.

Ergo debetis ſervare mea mandata.

Propoſitio continetur hoc verſu,veruntamen non expreſſé, ſed per reciprocationem elicita, ſyllogiſmi formandi cauſa. Aſſumtio tanquam per ſe nota omittitur.Concluſio continetur verſu ſuperiore, in ipſis verbis exhortationis.Propoſitio confirmatur ab exemplo, videlicet obedientia Chriſti erga Patrem & dilectione Patris erga Chriſtum.

V.11.cauſam finalem ſuperioris argumenti exponit,á dilectionis ſuę conſtantia ducti: ut nimirum Apoſtoli vero illo ac ſolido gaudio,quod ex ſenſu dilectionis Chriſti manat, conſtanter fruantur. Quæ ipſa ſententia vim habet novi argumenti,item ab effectu utili ducti, quod argumentum é ſuperioribus ita formari poteſt,in perſona Apoſtolorum.

Si mandata Chriſti ſervabimus,fruemur ſolido gaudio.

Atqui mandata Chriſti ſervabimus.

Ergo fruemur ſolido gaudio. Vel ſic,in perſona Chriſti:

Si velitis frui ſolido gaudio,ſervabitis mea mandata.

At vultis frui ſolido gaudio.

Ergo ſervate mea mandata.

Porró gaudium hoc nominat & ſuum & diſcipulorum.Suum quidem,quia ex ipſo & ab ipſo proficiſcitur.Diſcipulorum veró ; quia in ipſis eſt, ut ipſi eo fruantur.Verbo *manendi* conſtantiam ſeu perſeverantiam in fide notat: verbo *plenum fieri* perfectionem gaudii, non quidem omnibus miſeriis abſolutam in hac vita:veruntamen talem qua omnes ærumnę facile ſuperentur & veluti abſorbeantur.Nam pax hæc Dei tanta eſt, ut ſuperet omnem intellectum.Vide Phil.4.v.7.item Rom.8.v.18.

V.12.inſtitutam exhortationem declarat, & genus ad ſpeciem revocat: hortans eos ad mutuam dilectionem:addito argumento á pari ſeu ſimili,videlicet ſuo ipſius exemplo.

V.13. argumentum allatum, nempe exemplum ſui ergo diſcipulos amoris,amplificat collatione imparium, qua ſuam dilectionem tanquam majorem cum quavis alia dilectione humana comparat:idque ex maximi amoris proprio effecto demonſtrat,quod eſt,mortem oppetere pro amico.

Verſ.14. docet, quomodo diſcipuli ſe gerere debeant,ut maneant amici

Christi: nempe quód debeant observare ipsius mandata: quæ ipsa est sententia institutæ cohortationis.

V.15. rationem exponit, cur discipulos dixerit amicos, á proprio quodam amicorum effecto: nempe quia arcanum Dei consilium de ipsorum salute eis patefecerit: & hanc sententiam illustrat & amplificat antitheſi, qua amicis opponit servos: quib. domini nõ solent aperire, quid facere cõstituerint.

V.16. per prolepsin occurrens falsæ opinioni, docet quænam hujus inter se & illos amicitiæ origo seu causa procreans sit, nempe non illos causam esse, sed se: simúlque aliud effectum commemorat, quo demonstrat se illos pro amicis habere: nempe quia eos elegerit ad Apostolatum, munus nimirum omnium honorificentissimum & hominibus utilissimum. quid enim honorificentius quám fungi legatione pro Christo? quid hominibus utilius, quám eos luci facere Christo & colligere in horreum Dei? Simul etiam docet, qua causa instrumentali opus sit ad fructuosam Apostolatus functionem, videlicet invocatione Dei.

V.17. exhortationem hanc concludit.

DE TERTIA PARTE.

18 *Si mundus vos odit, scitis me priùs quàm vos, illis odio habitum.*

19 *Si ex mundo essetis, mundus quod suum est amaret; quia verò ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.*

20 *Memento sermonis quem ego dixi vobis, Non est servus major domino suo. si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt.*

21 *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia non noverunt eum qui misit me.*

22 *Si non venissem & loquutus essem eis, peccatum non haberent; nunc autem non habent quod prætexant peccato suo.*

23 *Qui me odit, is etiam Patrem meum odit.*

24 *Si opera non fecissem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt & me & Patrem meum.*

25 *Sed* hoc faciunt *ut impleatur sermo qui in Lege ipsorum scriptus est, Oderunt me immeritò.*

26 *Quum autem venerit advocatus ille quem ego mittam vobis à Patre (Spiritus* inquam *veritatis qui à Patre emanat) ille testabitur de me.*

27 *Sed & vos testabimini, quoniam á principio mecum estis.*

Ver.18. consolatur Dominus discipulos contra odium ac persecutionem mundi, argumento ducto á suo exemplo. V.19 alterum consolationis institutæ argumentum affert, quod sumtum est ab odii illius causa; quæ est quód electi, id est segregati sunt ex mundo, hoc est, ex numero impiorum ac filiorum Diaboli, adoptati scilicet in filios Dei. Hoc argumentum illustrat á contrario. V.20. repetit primum argumentum, nempe á suo exemplo; & pleniùs exponit: confirmans illud testimonio sententiæ proverbialis, & illustrans antitheſi.

Vers.21. tertium consolationis argumentum affert, quod etiam (ut secundum) á causa odii illius sumtum est, quæ est odium nominis Christi, cujus discipulos sese profitebantur, unde liquet, odium hoc esse iniquum. Simul etiam causam procreantem odii (quo scilicet Christum oderant) exponit, videlicet ignorantiam Dei.

V.22. per prolepsin docet, ignorantiam illam hostium suorum non talem esse,

esse,qua sese possint excusare;quia de Deo fideliter ab ipso sint edocti.Unde liquet,meram malitiam ipsis obstitisse, quo minus doctrinæ Christi crederent, atque ita Deum ex illa rectè agnoscerent.Hanc sententiam syllogismo connexo concludit ad hunc modum;

Si non veniſſem,& loquutus essem eis, peccatum non haberent. Nunc autem vēni,& loquutus sum eis.Ergo peccatum habent.Pro hoc dicit,Ergo non habent quod prætexant peccato suo.

Cæterum syllogismus iste etsi peccat in formâ, quia tollit antecedens ut tollat cōsequens;tamen bonus est potestate; quia potest fieri bonus, si propositio convertatur; tunc enim tollet consequens,ut tollat antecedens.Idē est judicium de syllogismo qui formatur ex posteriore connexo versiculi vicesimi. Quod autem ait,*peccatum non haberent*; non est simpliciter,ut verba sonant,accipiendum;sed ex antithesi sic interpretandum; Possent peccatum suum(nempe odium illud iniquum erga me & inde ortam incredulitatem)aliquo modo excusare,nempe quòd à nemine edocti sint,me esse filium illum Dei, servatorem mundi: ac proinde non odio,sed amore; non contemtu,sed fide dignum esse.

V.23.interserit quartum argumentum consolationis:quia odium illud redundet in Patrem : qui scilicet osores suos suo tempore puniturus sit.

V.24. rursum ostendit, ignorantiam illorum nil facere ad ipsos excusandum,sed petulantem ac malitiosam esse; quia miraculis doctrinam suam confirmarit.

V.25.quintum argumentum consolationis affert,quod sumtum est á prædictione scripturæ,ac proinde ab arcana Dei voluntate, in qua nimirum est acquiescendum:ubi ex Psal.35. citatur sententia,quæ secundum historiam quidem ad Davidem pertinet; sed quatenus David typus fuit Christi, simul ad ipsum quoque Christum refertur.

V.26.sextum argumentum consolationis affert á testimonio Spiritus sancti,quo nimirum vindicanda sit sua gloria á contemtu & iniquo odio hostium suorum.Simul autem exponit, quis Spiritum sanctum ad testandum de ipso missurus sit; & testimonium ejus commendat ab adjuncta testantis veracitate. V.ult.annectit septimum consolationis argumentum,á testimonio scilicet ipsorum Apostolorum; quod commendat ab adjuncta ipsorum notitia; ut qui ipsum optimé notum habeant, quippe cum quo jam diu multúmque versati sint.

SCHOLIA IN CAP. XV.

1 *Vitis illa vera.* ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή. Id est,excellens,insignis:cum qua omnes totius mundi vites non sunt conferendæ. *Agricola ille.* ὁ γεωργός. Id est,vinitor ille. ὁ ἀμπελουργός.

2 *Tollit.*αἴρει αὐτό. Hebræa repetitio antecedentis per pronomen relativum.Sic mox,καθαίρει αὐτὸ. *Tollit* autem,id est ausert,amputat. *Purgat.* καθαίρει. Remotis scilicet superfluis pampinis.

3 *Propter sermonem.*διὰ τὸν λόγον.Nempe Euangelii:cui scilicet creditis, excepto Juda: ut suprá cap.13.v.11.

4 Id est *nisi manserit.* ἐὰν μὴ μείνῃ. Similiter interpretandus est ille locus Gal.2.v.16.εἰδότες ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ χριστοῦ. Scientes non justificari hominem ex operibus Legis, *id est* nisi per fidem Jesu Christi.

5 *Ego ſum vitis, vos palmites* ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος, ὑμεῖς τὰ κλήματα. Ego ſum vitis illa: vos *autem* palmites illius. *Hic.* οὗτος. Epanalepſis antecedentis πλεοναστική. *Seorſim á me.* χωρὶς ἐμοῦ. Id eſt, χωρισθέντες ἀπ' ἐμοῦ, ſeparati á me: nempe ut ſi palmes ſeparatus ſit á vite. Alii vertunt, *Sine me*, vel *Abſque me*. unde nonnullis collegerunt, fideles poſſe aliquid boni ac Deo grati facere partim á ſeipſis ſeu ex ſuis ipſorum viribus, partim veró adjutos á Chriſto ſeu ex gratia ipſius. Hæc opinio falſa eſt, & cum hujus loci doctrina pugnat. nam modó verſ. 4. diſerté negavit Chriſtus, palmitem a ſeipſo fructum ferre poſſe, hoc eſt, credentes á ſeipſis bona opera facere poſſe. *Nihil.* οὐδέν. nempe nihil boni. ſynecdoche generis. nam perinde eſt ac ſi dicat, Nullum fructum poteſtis ferre. Fructus autem nomine intelligit bona opera.

6 *Abjectus areſcit.* ἐβλήθη καὶ ἐξηράνθη. Pro, βάλλεται καὶ ξηραίνεται. quia mox opponuntur, συνάγουσι, βάλλουσι. καίεται. Enallage temporis. *Abjectus extra* vineam *ſtatim ut palmes areſcit.* ἐβλήθη ἔξω ὡς τὸ κλῆμα, καὶ ἐξηράνθη. Abjicitur foras ut palmes, & areſcit. *Deinde coguntur iſti palmites &c.* καὶ συνάγουσιν αὐτά, &c. Ad verb. Cogunt iſtos *palmites*, & in ignē abjiciunt. Impersonaliter, ſubaudiendo vinitores. *Iſti* palmites. αὐτά. Scil. τὰ κλήματα, τὰ ἐξωβληθέντα καὶ ξηρανθέντα. *Et ardent* καὶ καίεται. Id eſt ὥστε καίεσθαι, ut ardeant.

7 *Petite.* αἰτήσασθε. Petetis, id eſt, petere poteritis, petere vobis licebit.

8 *In hoc.* ἐν τούτῳ. In hac re. Scil. quam mox dicam. *Ut fructum.* ἵνα καρπόν. Hæc verba per appoſitionem cohærent cum illis, ἐν τούτῳ, in hoc. *Et eritis.* καὶ γένησθε. Id eſt, Sic enim cognoſcemini eſſe. quippe ex fructibus arbor cognoſcitur: ut alibi Dominus ait.

9 *Manete.* μείνατε. Id eſt, Manere igitur, vel, Manete modó. *In illa mea dilectione.* ἐν τῇ ἀγάπῃ τῇ ἐμῇ. Id eſt, qua ego vos diligo: ex collatione verborum proxime præcedentium. Sic Rom. 8. v 35. & 39. Ergo manere in dilectione Chriſti, hoc loco eſt dilectionem ejus erga ſe retinere. Sed quomodo, inquies, hoc poſſumus conſequi? Id ipſe docet verbis ſequentibus: *Si mandata mea ſervaveritis, &c.*

11 *Gaudium illud meum.* ἡ χαρὰ ἡ ἐμή. Id eſt, ex me tanquam materia gaudii profectum, quo ſcilicet gaudebitis in me tanquam veſtro mediatore.

12 *Ut diligatis.* ἵνα ἀγαπᾶτε. Conjunctio ἵνα non ponitur hic τελικῶς, ſed εἰδικῶς ſeu per appoſitionem, ad declarandum pronomen αὕτη quod præceſſit: ut ſup. v. 8. Similiter verſu ſequente 13.

15 *Quid faciat.* τί ποιεῖ. Id eſt, quid facere cogitet ſeu in animo habeat: dominus ſervo non patefacit conſilia ſua. *Omnia.* πάντα. Nempe omnia ad æternam ſalutem pertinentia & ſcitu neceſſaria.

17 *Hæc.* ταῦτα. Videtur ταῦτα poſitum pro ſingulari τοῦτο: quum mox ſequatur conjunctio ἵνα, poſita εἰδικῶς: quumq; unicum mandatū exponatur.

18 *Mundus.* ὁ κόσμος. Id eſt, impii: ut ſuprā cap. 14. verſ. 19. Porró ſententia hujus verſiculi tali paraphraſi declarari poteſt: Si hoc vos turbat, quód mundus vos odit: contrà conſolari & erigere vos debet, quód ſcitis, me priús quám vos, illis odio habitum: me ſcilicet dominum veſtrum: ut declarat paulo póſt verſ 20. *Scitis.* γινώσκετε. Vulg. Scitote. id eſt, conſideratote: ut ſcilicet hac conſideratione vos ipſi erigatis & conſolemini. *Priús quám vos.* πρῶτον ὑμῶν. Id eſt, πρότερον ἢ ὑμᾶς. *Me illis odio habitum.* ὅτι ἐμὲ μεμίσηκεν. Scil. ὁ κόσμος. id eſt, quód me odio habuit mundus. Unde perſpicitur, pronomen *Illis* referri non ad vocem, ſed ad ſenſum: nam

vocabulo

vocabulo τῷ κόσμῳ, id est mundi, intelliguntur hoc loco impii.

19 *Si ex mundo essetis.* Id est, si ex numero impiorum essetis. *Elegi.* Scil. ad vitam æternam.

20 *Sermonis quem dixi.* τῷ λόγῳ οὗ εἶπον. Pro, ἐκείνου ὃν εἶπον. *Major.* μείζων. Id est, præstantior aut beatior. *Si me.* Scilicet dominum vestrum. Itaq; pronomen *Me* hic pronuntiandum est cum emphasi. *Et vos.* καὶ ὑμᾶς. Etiam vos. nempe seruos meos. *Si sermonem.* εἰ τὸν λόγον &c. Innuit contrarium. quasi dicat: Quum sermonem meum non servaverint, sed contemserint: non debet vobis mirum videri, si & vestrum sermonem contemnant.

22 *Peccatum non haberent.* ἁμαρτίαν οὐκ εἴχον. Nempe grande hoc peccatum, videlicet petulantem contemtum veritatis cælestis: possent se aliquo modo excusare per ignorantiam. Hanc expositionem innuunt verba, *Si non venissem & loquutus essem eis*: item illa in antithesi, *Nunc autem nō habent quod prætexant peccato suo.* Sic mox. v. 24. *Quod prætexant,* πρόφασιν. Dicitur πρόφασις (á verbo προφαίνω) quod quis in lucem profert & obtendit tanquam caussam, quum interim veram caussam dissimulet.

23 *Et oderunt.* καὶ μεμισήκασι. Supplendum *tamen.* Quasi dicat: Quanquam viderunt, tamen oderunt. Non igitur peccant ex ignorantia, sed petulanter.

25 *Sed* hoc faciunt ut. ἀλλ' ἵνα. Supplementum sumitur ex sententia versus præcedentis. *hoc faciunt,* nempe oderunt me petulanter. Similis ellipseos exempla vide suprá cap. 13. v. 18. item cap. 14. v. ult. Ut. ἵνα. Notatur consilium non ipsorum Judæorum Christum odio habentium, sed Dei hoc illis permittentis & hæc omnia providentia sua gubernantis. *In Lege.* ἐν τῷ νόμῳ. Id est, in Scriptura, Etenim verba quæ citantur, extant Psal. 34. Synecdoche membri. *Ipsorum.* αὐτῶν. Id est, ipsis proprié data, quaq; ipsi excellunt aliis populis. *Immerito.* δωρεάν. Proprié, gratis: quomodo Hebræi interdum usurpāt חנם chinnám. Est synecdoche speciei κατα χρηστικὴ. Nam חנם & δωρεὰν usitaté rebus bonis accommodantur. Sic Jonathan ajebat patri Sauli, Quare peccares contra sanguinem innoxium, morte afficiendo Davidem חנם, id est, immerito. 1. Sam. 19. v. 5.

26 *Advocatus.* ὁ παράκλητος. Vide suprá cap. 14. v. 16. *Ille.* ἐκεῖνος. Ut suprá cap. 14. v. 26.

27 *Testabimini.* μαρτυρεῖτε. Pro, μαρτυρήσετε. Enallage temporis, manifesta ex eo quod præcessit, ἐκεῖνος μαρτυρήσει. *A principio.* ἀπ' ἀρχῆς. Inde á principio meæ prædicationis. quasi dicat, Fuistis αὐτόπται & ὑπηρέται mei, ut ait Lucas cap. 1. v. 2.

OBSERVATIONES LOCORUM
DOCTRINAE EX CAP. 15.

1. Ex v. 1. 2. 3. 4. 5. & 7. Quum Christus sit vitis: credentes veró palmites: quæritur, cujusmodi sint hi palmites: nativine an insititii? Respondeo: Non sunt nativi, sed insititii. Rursum quæritur: Quomodo igitur hi palmites isti viti sunt insiti? Respondeo: Insiti sunt fide, quam in eis effecit Spiritus sanctus. De hac insitione testatur Paulus sub similitudine paulúm diversa, videlicet oleæ & oleastri: Rom 11. v. 17. & deinceps. Porró quemadmodum ex vite in palmites influit succus, quo illi vegetantur & apti reddantur ad ferendum dulces uvarum fructus: ita á Christo fidelibus donatur Spiritus sanctus, quo illi vegetantur spiritualiter & apti efficiuntur ad

ferendum

ferendum ſuaves Deoque gratos fructus bonorum operum. Opus eſt autem his palmitibus perpetua purgatione, id eſt meditatione verbi Dei & precibus atque etiam cruce.

II. Ex ver.2. & 6. Hypocritæ, quum fidem profiteantur, videntur & ipſi Chriſto tanquam palmites viti inſiti: unde etiam á nobis pro palmitibus, id eſt fidelibus habentur: ſed quoniam fructum pietatis nullum ferunt, ſequitur eos cum vite Chriſto non coaluiſſe: ac proinde tandem ex vite auferuntur, id eſt hypocriſi detecta, ad Chriſtum non pertinere declarantur: ac præterea extra vineam, id eſt Eccleſiam ejiciuntur: ac tandem ut aridi palmites, in ignem gehennæ ad æternos cruciatus abjiciuntur.

III. Ex ver.8. Scopus qui piis in omni vita propoſitus eſſe debet, eſt gloria Dei. Confer Matth.5.v.16. 1.Cor.10.v.31.

IV. Ex eod.v. Qui vult haberi pro diſcipulo Chriſti, fructibus bonorum operum ſe id eſſe demonſtret. Confer Matth.7.v.21.

V. Ex ver.9. Magna conſolatio eſt, quód Chriſtus nos diligit, ſicut eum diligit Pater: nempe dilectione æterna & conſtante. Sic ſupra cap. 13. v.1. de Chriſto dicitur, Quum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, uſque ad finem dilexit eos. Et Paulus Rom.8. v.35. Quis nos ſeparabit á dilectione Chriſti? Et rurſum v.38.& 39. Perſuaſum mihi eſt, nullam rem creatam ſeparare nos poſſe á charitate Dei quæ eſt in Chriſto Jeſu domino noſtro.

VI. Ex v.9.& 10. Studio pietatis nobis opus eſt ad alendum atq; conſervandum dilectionem Chriſti erga nos. Nec tamen putandum: ſtudium illud pietatis vel ex noſtris viribus proficiſci, vel dilectionem Chriſti promereri.

VII. Ex ver.11. Verum gaudium, quo pii in omnibus ærumnis ſuſtentantur, eſt gaudium ſpirituale, ortum ex ſenſu dilectionis Chriſti: quod ipſum gaudium Chriſtus per Spiritum ſanctum in piis efficit. Vide Rom.14. v.17. Philip.4.v.7.

VIII. Ex ver.12.13.& 17. Ad dilectionem fraternam excitare nos debet tum præceptum, tum exemplum Chriſti. Vide 1.Ioh.3.v.11.& cap.4.v.21.

IX. Ex v.15. Quæcunque nobis ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt, patefacta ſunt nobis in doctrina Euangelii: quæ ipſa doctrina ab Euangeliſtis & Apoſtolis deſcripta extat. Quare peccant Papiſtæ, quum Scripturam imperfectionis arguunt. Sic Paulus Act.20.v.27. ad Eccleſiam Epheſinam dicit: Non ſubterfugi quo minús annuntiarem vobis omne Dei conſilium, nempe de ratione conſequendi ſalutem.

X. Ex ver.16. Qui legitimé ad munus docendi in Eccleſia vocati ſunt: conſolentur ſe hac promiſſione, quód á Chriſto conſtituti ſint ut Deo fructum ferant, multos nimirum ad fidem Chriſti adducendo: & fructum hunc ipſorum manſurum, id eſt ſemel converſos in fide perſeveraturos. Simul tamen meminerint, continenter ſibi precandum eſſe ut Deus laborem ipſorum fructuoſum reddat. Vide 1.Cor.3. v.6.7.8.& 9.

XI. Ex v.18.19.20.& 21. Contra odium & perſecutionem mundi pii ſeſe conſolentur his argumentis: quód mundus ipſum quoq; Chriſtum odio habuerit ac perſecutus ſit, nempe dominum noſtrum: quo molliús haberi velle ſervos non decet. deinde, quód cauſſa illius odii iniqua eſt: odit enim nos mundus propterea quód ab ipſo ſeparati per efficacem vocationem Spiritus ſancti, nolumus ampliús conſentire in ipſius impietatem. denique odit nos mundus, quia Deum & veritatem doctrinæ Euangelii ignorat.

XII. Ex ver 22.23.24.25. Qui doctrinam Euangelii ipſis propoſitam & declaratam oderunt, ejuſq; confeſſores hoſtiliter perſequuntur: illis omnis

excuſatio

excusatio ademta est. Quare tandem justo Dei judicio pereunt.

XIII. Ex v. 26. Quum Spiritus sanctus sit advocatus ille qui efficaciter consolatur fideles: quumque sit Spiritus veritatis, qui veritatem doctrinæ cælestis efficaciter Electis persuadet: denique quum á Patre procedat sive emanet: sequitur eum verum esse Deum, & Patri ὁμοούσιον, persona ab illo distinctum.

ANALYSIS CAP. XVI.

ARGUMENTUM.

Continuat sermonem duobus superioribus capitibus institutum, & tria potissimúm agit. Primúm prædicit eis mala ipsis eventura á Judæis, usque ad v. 5. Deinde consolatur eos rursum contra tristitiam quam conceperant ex futuro ipsius discessu, usque ad v. 29. Postremó prædicit eis futuram ipsorum fugam, seque contra illam consolatur.

DE PRIMA PARTE.

1 *HAEC loquutus sum vobis ut ne offendamini.*

2 *Movebunt vos synagogis: imò veniet tempus quum quisquis trucidabit vos, putabit* se *cultum præstare Deo.*

3 *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.*

4 *Sed hæc loquutus sum vobis, ut quum venerit tempus illud, meminеritis eorum, quòd ego* hæc *dixerim vobis. hæc autem vobis à principio non dixi, quia vobiscum eram.*

Ver. 1. indicat finem seu caussam finalem seu denique scopum hujus sermonis: significans, propositum sibi esse consolari discipulos, ac fidem eorum præmunire contra eventura scandala, ne scilicet á se deficiant.

V. 2. duo genera injuriarum quæ eis á Judæis eventuræ sint, commemorat, videlicet excommunicationem & supplicium capitis: quam posteriorem injuriam amplificat ab adjuncta singulari ignominia, quód scilicet futurum sit, ut supplicio afficiantur tanquam homines omnium sceleratissimi ac pestes reterrimæ: quod significat ex adjuncta opinione istorũ, quippe qui putaturi sint, se Apostolis occidendis singularem cultum præstare Deo.

V. 3. injuriis istis consolationem opponit, ab illarum caussa procreante: quam rursus facit ignorantiam Dei, ut suprá 15. v. 21. Sed hanc ignorantiam nihil facere ad illos excusandum, docuit ibidem v. 22. & 24.

Ver. 4. rursum caussam finalem exponit, cur eos de istis injuriis præmoneat ut scilicet hujus præmonitionis memores, non offendantur. Simul etiam caussam exponit, cur non jam pridem de his præmonuerit. Caussam hanc affert, quia non fuerit opus: quippe cúm ipse corporaliter præsens, eos contra quasvis injurias defenderit.

DE SECUNDA PARTE.

5 *Nunc autem abeo ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me,* dicens, *Quò abis.*

6 *Sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.*

7 *Sed ego veritatem dico vobis, Confert vobis ut ego abeam. nisi enim abiero, advocatus ille non veniet ad vos: sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos.*

8 Et

8 *Et quum venerit ille, arguet mundum de peccato & de justitia & de judicio.*

9 *De peccato quidem, eò quòd non crediunt in me:*

10 *De justitia verò, eò quòd ad Patrem abeam, & amplius non conspicietis me:*

11 *De judicio autem, eò quòd princeps hujus mundi condemnatus sit.*

12 *Adhuc multa habeo quæ vobis dicam, sed nunc non potestis portare.*

13 *Quum autem venerit ille,* id est, *Spiritus ille veritatis, introducet vos in omnem veritatem. non enim loquetur à semetipso: sed quæcunque audierit, loquetur, & quæ ventura sunt renunciabit vobis.*

14 *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & renunciabit vobis.*

15 *Omnia quæ habet Pater, mea sunt: propterea dixi* illum *de meo accepturum, & renunciaturum vobis.*

16 *Paulisper, & non conspicietis me: & rursum paulisper, & videbitis me: quia ego vado ad Patrem.*

17 *Dixerunt ergo* quidam *ex discipulis ejus alii ad alios, Quid est hoc quod dicit nobis, Paulisper, & non conspicietis me: & rursus paulisper, & videbitis me: &, Quia ego vado ad Patrem?*

18 *Dicebant ergo, Quid illud est quod dicit, paulisper? nescimus quid loquatur.*

19 *Cognovit autem Jesus eos velle ipsum interrogare, & dixit eis, De hoc quæritis inter vos quòd dixi, Paulisper, & non conspicietis me: & iterum paulisper, & videbitis me?*

20 *Amen amen dico vobis, flebitis vos, & lamentabimini, mundus autem gaudebit: vos verò tristes eritis, sed tristitia vestra evadet in gaudium.*

21 *Mulier, quum parit, dolorem habet, quia venit hora ejus: quum autem pepererit puerulum, jam non meminit oppressionis, propter gaudium, quòd homo sit natus in mundum.*

22 *Et vos igitur nunc quidem tristitia tenemini: sed rursum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

23 *Et illo die me non interrogabitis quicquam. Amen amen dico vobis, quæcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.*

24 *Usque adhuc non petiistis quicquam in nomine meo: petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.*

25 *Hæc loquutus sum vobis per similitudines: at veniet tempus quum jam non per similitudines loquar vobis, sed apertè de Patre renuntiabo vobis.*

26 *Illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis me rogaturum Patrem pro vobis.*

27 *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis me à Deo prodiisse.*

28 *Prodii à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem.*

Ver.5. iursum meminit sui discessus: & exprobrat discipulis silentium, quód non interrogent quó abeat, hoc est, quód non considerent in quantam gloriam abeat. Ver.6. exprobrat eis tristitiam, quód propter discessum suum nimium contristentur. Ver.7. consolationem illi tristitiæ opponit ab effectu utili, videlicet missione Spiritus sancti. Deinceps v.8.9.10. & 11. utilitates exponit, quas á Spiritu sancto percepturi sint. Commemorat autem tria Spiritus sancti effecta, quæ ille per ipsorum prædicationem effecturus sit in cordibus auditorum. Illa effecta proponit v.8. deinde sigillatim & ordine declarat, tribus versibus sequentibus. Videtur autem hujus loci, qui ab interpretibus varié exponitur, hic esse sensus. *Quum venerit Spiritus sanctus*, missus nimirum in Apostolos in die Pentecostes: *arguet mundum*, id est

id eſt convincet impios Judæos, efficax nimirum per prædicationem Apoſtolorum: Arguet inquam illos primùm *de peccato, eò quòd non crediderint in Chriſtum*, ſed doctrina ejus contemta eum tanquam impium ac blaſphemum occiderint: quem ſcilicet tunc ſentient regnare in cœlo: quippe é quo miſerit Spiritum ſanctum in Apoſtolos, eoſque mirabili dono linguarum & admiranda prorſus atque invicta alacritate & libertate dicendi inſtruxerit ad teſtandum de Chriſto. Agnoſcent igitur, in conſcientiis ſuis convicti á Spiritu ſancto per prædicationem Apoſtolorum, ſe graviſſimé peccaſſe, quód non crediderint in Chriſtum, ſed eum potiús, qui dux eſt vitæ, interfecerint. Hoc impletum legimus Act 2.v.37. ubi auditis iis quæ dicta fuerant à Petro, nempe ipſos Chriſtum innocentem atque adeó filium Dei occidiſſe: illum veró ex mortuis reſurrexiſſe, evectum eſſe dextra Dei in cælum, atque inde Spiritum ſanctum cujus effecta corám ſentiant, effudiſſe: his inquam á Petro auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum ac reliquos Apoſtolos, Quid faciemus viri fratres? Quibus verbis certé peccatum ſuum, nempe incredulitatem ac inde ortum homicidium, agnoſcunt: quippe cúm ſoliciti ſint quid ſibi agendum ſit, ut hujus tanti peccati reatu liberentur. Atque hoc primum eſt Spiritus ſancti effectum. *Deinde* arguet idem Spiritus mundum *de juſtitia*, nempe de juſtitia atque innocentia Chriſti, hoc eſt, convincet eos, Chriſtum quem tanquam blaſphemum ac ſeductorem occiderant, fuiſſe juſtum & innocentem. Hoc autem ex eo agnoſcent, *quòd intelligent eum iviſſe ad Patrem*, hoc eſt, ex mortuis reſurrexiſſe, aſcendiſſe in cælum, conſediſſe ad dextram Patris, atque illic potenter regnare, & ad finem uſque mundi regnaturum: quippe quum inde miſerit Spiritum ſanctum in Apoſtolos, poſthac non amplius corporaliter cum eis in hoc mundo verſaturus. Hoc ipſum impletum quoque eſt in illo ipſo exemplo, quod modó allegavimus ex Actis. nam Judæi illi, ſicut ſuum peccatum agnoverunt, quód in Chriſtum non crediderint, ſed eum interfecerint: ita ſimul agnoverunt juſtitiam ſeu innocentiam Chriſti. Atque hoc ſecundum effectum Spiritus ſancti eſt. *Tertium* & poſtremum eſt, quód arguet mundum *de judicio*, hoc eſt, convincet Judæos ut agnoſcant Chriſtum conſtitutum eſſe á Patre judicem Diaboli & omnium illi adhærentium. Hoc autem intelligent ex eo, *quòd princeps hujus mundi*, id eſt, Diabolus jam ab eo *judicatus ſit*, hoc eſt foras ejectus (ſup. 12. verſ. 31.) & per mortem ipſius abolitus, adeó ut amiſerit, mortis imperium, ac proinde non poſſit poſthac terrere miſeros peccatores qui in Chriſtum credunt, Hebr. 2. v. 14. & 15. quippe quum contra jus Chriſtum per ſua organa occiderit, (ſup. 14. v. 30.) atque ita ei per mortem dominatus ſit ad tempus, nempe uſque dum Chriſtus ex mortuis reſurrexit. Rom. 6. v. 9. Et hoc quoque tertium effectum Spiritus ſancti impletum eſt in jam commemorato exemplo in die Pentecoſtes. quippe Petrus hoc Chriſti judicium & dominationem ad dextram Patris diſerté prædicaverat, citato Pſal. 110. ubi Dauid ait, Dixit Dominus domino meo, ſede ad dextram meam uſque dum ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Ex his verbis utique intellexerunt Judæi illi, Chriſtum conſtitutum eſſe judicem mundi: qui ut jam per mortem ſuam Diabolum principem mundi aboleverit, ademto ei imperio in credentes: ita aliquando, nempe in die extremi judicii, eum unà cum omnibus illi adhærentibus, æternis ſuppliciis ſit adjudicaturus. In ſumma, tria hæc quæ Chriſtus Spiritum ſanctum prædicit effecturum, impleta atque effecta ſunt in die Pentecoſtes in concione illa Petri Act. 2. Nam Petrus de tribus his diſerté teſtabatur: de peccato inquam Judæorum,

rum, de justitia seu innocentia Christi, deque ejusdem judicio ac dominatione. De peccato Judæorum dicebat, Eos manibus sceleratis Christum cruci affixum interemisse, versu 23. & 36. Hoc autem homicidium conjunctum fuit cum incredulitate: de qua hic ait Dominus, *Eò quod non crediunt in me.* quippe ex incredulitate homicidium istud fuit profectum: nam certé si in Christum credidissent, nunquam eum tanquam hominem impium interfecissent. Jam de justitia seu innocentia Christi ajebat Petrus, Jesum illum Nazarenum quem interemerint, esse virum á Deo approbatum apud ipsos præstantibus factis & miraculis & signis, quæ per eum Deus ediderit in medio ipsorum, versu 22. Postremó de judicio Christi ac dominatione dicebat: Quem Deus excitavit solutum doloribus mortis, eó quód impossibile erat ipsum ab ea retineri, versu 24. item, David præscius locutus est de resurrectione Christi, non derelictam esse apud inferos animam ejus, neque carnem ejus sensisse corruptionem, v. 31. Et mox, Hunc Jesum excitavit Deus: cujus rei omnes nos (scilicet Apostoli) sumus testes. Itaque dextera Dei evectus, & promissum Spiritum sanctum adeptus á Patre, effudit hoc quod vos nunc spectatis & auditis. Neque enim David ascendit in cælos: sed dicit ipse, Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dextram meam, usq; dum ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Tandem concludit: Certó sciat ergo tota domus Israël, hunc esse factum á Deo dominum & Christum, v. 32. 33. 34. 35. & 36. Atque hoc erat testimonium Petri de Judæorum peccato, de justitia Christi, deque ejusdem judicio. Huic autem testimonio Judæi illi per efficaciam Spiritus sancti crediderunt: quippe qui eos de his rebus arguebat & convincebat: adeó ut compungerentur corde & exclamarent, Quid faciemus viri fratres?

V. 12. Rejicit pleniorem doctrinæ institutæ expositionem: & hujus rejectionis caussam exponit, videlicet discipulorum imbecillitatem: ut qui præ mœrore non poterant doctrinam Domini assequi. Nec verò nomine *multorum* quæ Christus hic discipulis dicere noluit, intelligi possunt dogmata non comprehensa scriptis Apostolorum: quum certum sit eos de multis illis, quorum commemorationem Dominus hic omisit, edoctos esse á Spiritu sancto, & illa ipsa fideliter suis scriptis mandavisse, ut ad posteritatem transmitterent. Nequaquam verò intelligi possunt dogmata scriptis Apostolorum contraria, aut nugæ ceremoniarum Papisticarum.

V. 13. Imbecillitati discipulorum consolationem opponit, rursum eis promittens Spiritum sanctum: qui eos plenè de mysterio salutis sit edocturus: & hanc doctrinam Spiritus sancti commendat ab adjuncta veritate: cujus authorem facit Patrem: item commendat eam ab adjuncta claritate, quam significat verbo ἀναγγελεῖ, renuntiabit. Porró *futurorum* nomine intelligit futurum regni sui spiritualis statum: qualem pauló post resurrectionem ejus Apostoli viderunt: sed tunc comprehendere nullo modo poterant.

V. 14. commendat doctrinam Spiritus sancti ab effectu, videlicet glorificatione sui, nempe Christi: & hujus rei caussam impulsivam exponit, quód nimirum doctrinam suam accepturus sit ab ipso. Glorificat autem Spiritus sanctus Christum, quando per prædicationem Euangelii testimonium ei reddit, quód ipse sit filius Dei & unicus Servator mundi: maximé verò quando per hoc testimonium est efficax, efficiens nimirum, ut multa hominum millia in Christum credant, eumque dominum ac Servatorem suum profiteantur: quæ res ad gloriam Christi cumprimis pertinet. Vide promissionis hujus complementum Act. 2. v. 41. ubi uno die unica concione Petri ad fidem

Christi

Christi conversi sunt circiter ter mille. Item v.47. Dominus addebat quotidie Ecclesiæ. Item cap.3.vers.13.14.15. & 16. ubi Petrus Christum authorem prædicat claudi suâ operâ sanati. Item cap.4.vers.4. multi eorum qui audierunt sermonem Petri, quo Christum prædicavit authorem sanati claudi, crediderunt: adeó ut numerus discipulorum fieret circiter quinquies mille.

V.15. per prolepsin docet, cur dixerit, Spiritum sanctum doctrinam suam accepturum ab ipso: unde ipsius cum Patre arctissima atque adeò essentialis unio perspicitur.

V.16. brevibus & subobscuris verbis duo prædicit: primùm suam mortem, deinde suam resurrectionem. De morte ait, *Paulisper & non conspicietis me*, hoc est, post paululum temporis non conspicietis me: quia scilicet crastino die crucifixus recondar in sepulchro. De resurrectione ait, *Et rursum paulisper, & videbitis me.* hoc est, Post paululum temporis, nempe tertio die, rursum videbitis me. quia tum ex morte resurgam, meque vobis ostendam. Quod autem dicit; *quia ego vado ad patrem*: synecdochica locutio est: q. d. Quia resurgam ex mortuis, ut post aliquot dies ascendam ad patrem in cælum. Antequam autem ascenderet, conversatus est cum discipulis per 40. dies. Actor.1.ver.3.

V.17 & 18. Euangelista commemorat discipulorum sollicitudinem de intelligendis prædictis Domini verbis.

V.19. narrat quomodo eos alioquin interrogaturos Dominus anteverterit.

V.20. Dominus verba sua declarat, sed ita ut non aperté mortem suam & resurrectionem nominet: sed ex effectis utranque innuat; mortem quidem, ex discipulorum fletu & lamentatione & tristitia, mundiq; (id est impiorum Judæorum) gaudio: resurrectionem verò, ex gaudio discipulorum.

V.21. tristitiam illam discipulorum ex morte ipsius eventuram, simulque gaudium eventurum é sua resurrectione, illustrat & amplificat simili. Comparat enim tristitiam discipulorum cum dolore mulieris parturientis: contrá gaudium eorundem comparat cum gaudio mulieris ob infantem quem peperit.

V.22. similitudinem illam ad discipulos accommodat: & resurrectionem suam atque ostensionem sui promittit: simulque gaudium discipulis inde eventurum, amplificat partim á magnitudine, partim ab æternitate.

V.23. ruditati eorum aliam consolationem opponit: promittit enim eis intelligentiæ lucem; quam innuit ex effecto; quia non sint ipsum interrogaturi. scilicet ut paulo anté volebant interrogare, quum non possent assequi Domini sermonem: sup. versu 17. & 18. Nam quód Act.1.versu 6. post resurrectionem interrogarunt, Domine num hoc tempore restitues regnum Israëli? interrogatio illa non fuit de verbis Domini non intellectis: sed de impletione Scripturę. Alii tamen hanc promissionem referunt ad illud tempus quo Apostoli jam acceperant Spiritum sanctum in die Pentecostes. Sed cohærentia sententiarum istam expositionem non videtur admittere. nam verba hæc, *Illo die*, non videntur posse alió referri quám ad id tempus cujus modó fecerat mentionem: fecerat autem mentionem ejus temporis, quo post resurrectionem sese ostendit discipulis, cumque eis conversatus est per quadraginta dies. hoc enim tempus significatur istis verbis, *Rursum videbo vos*, v.22. & istis, *Et rursum paulisper & videbitis me: quia ego vado ad Patrem.* v. 16. Nisi dicamus verba illa, *Illo die*, referri quidem ad quadraginta illos post resurrectionem Domini dies, sed ita tamen ut tempus consequens non excludant,

excludant, ſed ſynecdochicé ſimul comprehendant. De quo quidem tempore omnino intelligenda eſt promiſſio, quæ proximé ſequitur. Nam ad ſententiam præcedentem confirmandum promiſſionem ſubjungit exauditionis precum, ut doceat, unde & quomodo lucem illam intelligentiæ adepturi ſint, nimirum á Deo Patre cæleſti per preces fundatas in fiducia ipſius, tanquam mediatoris.

V.24 promiſſionem modo-propoſitam illuſtrat antitheſi, qua ſuperiorem Apoſtolorum ſtatum conſecuturo opponit: negans, eos hactenus quicquam á Patre in ſuo nomine petiviſſe. Non quód non invocarint Deum ex legis præſcripto, ex fiducia mediatoris venturi: ſed quód nondum attenderent, ipſum eſſe hunc Mediatorem. Nec mirum: quum ipſe nondum eſſet officio mediatoris perfunctus. nam necdum ſeipſum ad expiandum populi Dei peccata in ſacrificium obtulerat, nec cæleſte ſanctuarium ingreſſus erat. Quoniam autem hæc certó facturus erat: hortatur eos ad petendum, nempe ad petendum á Patre lucem intelligentiæ, ad intelligendum myſteria regni cælorum, idque fiducia ſui tanquam mediatoris: ac promittit, eos exauditum iri: quod ſignificat expoſitione effecti, videlicet gaudii illius veri ac ſolidi, quod ex myſteriis regni Dei intellectis oritur.

V.25. conſolationem præcedentem, qua eis promiſit intelligentiæ lucem, repetit: & antitheſi illuſtrat: qua illi præſentem ipſorum ruditatem opponit. Quód autem ait, ſe eis locutum per ſimilitudines, perinde eſt ac ſi diceret, ſermonem ſuum eis fuiſſe obſcurum ac difficilem ad intelligendum; non quód talis fuerit in ſe: ſed quód illis talis viſus ſit propter ipſorum ruditatem. Tempus autem claræ intelligentiæ quod hic promittit, cœpit poſt ipſius reſurrectionem, ut videre eſt Act.1.3. deinde completum eſt poſt miſſum Spiritum ſanctum in die pentecoſtes.

V.26. rurſum monet, unde & quomodo illam intelligentiæ lucem conſecuturi ſint, nempe á Deo per preces in ipſius nomine, h.e. ipſius tanquam mediatoris fiducia conceptas. Hanc autem ſententiam amplificat correctione, negans ſe pro eis Patrem rogaturum, quod tamen non ſimpliciter negat; ſuprá enim cap.14. v. 16. contrarium affirmavit; ſed tantúm ſignificat, Patrem ſua ſponte eos diligere (ſicut declarat v.26) adeó ut interceſſione ſua non ſit opus, nempe ad hoc ut eis primúm Patris gratiam conciliet. Quód autem Pater eos diligat, probat ex effectu, videlicet dilectione ipſorum & fide erga Chriſtum. Niſi enim Pater eos diligeret, fidem hanc eis non donaſſet. Quare cúm ait, *Pater vos amat, quia vos me amaſtis*; non vult cauſam indicare amoris Patris erga ipſos; ſed argumentum ab effectu ſumtum, unde amorem Patris erga ſe poſſint perſpicere. Simile eſt illud dictum Chriſti de muliere peccatrice ad Simonem Phariſæum; Huic multa peccata remiſſa ſunt: quia dilexit multum, Luc.7.47. Porró fidem Apoſtolorum deſcribit ex objecto per ſynecdochen, ubi ait, *Credidiſtis me á Deo prodiiſſe*; Quam ſententiam verſ.28. aſſeveratione confirmat, & pluribus verbis exponit; docens, & qualis perſona ſit, & quod officium gerat; nempe ſe eſſe filium Dei qui miſſus á Patre, exiverit é cæleſti illa gloria, & venerit in mundum, aſſumendo naturam humanam, ut in illa patiens ac moriens, ſatisfáceret pro peccatis electorum, & ex mortuis reſurgens aſcenderet in cœlum, ibique locum pararet iis quos morte ſua redemiſſet.

DE TERTIA PARTE.

29 *Dicunt ei diſcipuli eius, Ecce, nunc apertè loqueris, nec ſimilitudinem vllam dicis:*

30 *Nunc*

30 *Nunc ſcimus te ſcire omnia, nec opus eſſe tibi ut quis te interroget: per hoc credimus te à Deo prodiiſſe.*

31 *Reſpondit eis Jeſus, Nunc creditis?*

32 *Ecce, veniet tempus, & jam venit, quum diſpergemini unuſquiſque ad ſua, meque ſolum relinquetis: ſed non ſum ſolus: nam Pater mecum eſt.*

33 *Hæc loquutus ſum vobis ut in me pacem habeatis. in mundo oppreſſionem habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.*

Verſ.29.& 30 narrat Evangeliſta occaſionem iſtius prædictionis qua Dominus diſcipulis prædixit ipſorum fugam ac defertionem ſui. Ea occaſio fuit profeſſio fidei, qua profeſſi ſunt ſe credere in Dominum.

V.32 fugam prædicit, ſeq; contra illam conſolatur à præſentia Patris.

V.33. ſermonem hunc concludit, finem ſeu ſcopum illius repetens, nempe ut diſcipuli conſolationem habeant in ipſo; deinde futuras calamitates rurſum prædicens, fore ſcilicet ut à mundo affligantur; poſtremò conſolationem opponens, quòd ipſe mundum vicerit, ita nimirum ut Diabolus & tyranni non poſſint æternam ipſorum ſalutem quicquam lædere.

SCHOLIA IN CAP. XVI.

2 *Movebunt vos ſynagogis.* Vide ſuprà cap.9.v.22. *Imò ἀλλ' ἀ.* Pro, ἀλλὰ ἡ. Sed &: quod plus eſt. *Veniet tempus quum, &c. ἔρχεται ὥρα ἵνα,* &c. Vel, Veniet *tale* tempus, ut quiſquis trucidabit vos, putaturus ſit, &c. Nam conjunctio ἵνα videtur poni εἰδικῶς, ut capite ſuperiore aliquoties: nempe verſ.8. 12.13.17.

4 *Quia vobiſcum eram.* ὅτι μεθ' ὑμῶν ἤμην. Perinde loquitur ac ſi jam cum eis non eſſet: quia paulo poſt diſceſſurus erat, ut ipſe declarat v.ſeq.

5 *Et nemo.* καὶ οὐδείς. Id eſt, Et tamen nemo.

8 *Arguet mundum de peccato, &c.* Hujus loci expoſitionem vide in Analyſi ἐλέγξει. *Arguet.* Id eſt, Convincet.

16 *Conſpicietis.* Θεωρεῖτε. Pro, Θεωρήσετε: ut & ſuprà v.10.

20 *Mundus.* ὁ κόσμος. Id eſt, impii.

21 *Dolorem.* λύπην. Vel, triſtitiam: ut verſu præcedente. *Hora ejus.* ἡ ὥρα αὐτῆς. Tempus ei decretum à Deo ad pariendum. *Quum peperit.* ὅταν γεννήσῃ. Γεννᾶν, generare ſeu gignere, pro τίκτειν, parere, per catachreſin. Sic Matth 2.v.1.& 4. *Puerulum.* τὸ παιδίον. Græcum nomen utrique ſexui convenit. *Jam non.* οὐκ ἔτι. Non ampliùs. *Oppreſſionis.* τῆς θλίψεως. Id eſt, cruciatus quem ſenſit in pariendo.

22 *Triſtitia tenemini.* λύπην ἔχετε. Vel, dolorem habetis. ut verſu præcedente. *Tollet* αἴρει Pro, ἀρεῖ.

25 *Per ſimilitudines.* ἐν παροιμίαις Propriè παροιμία proverbium ſignificat: proverbia autem fere conſtant ſimilitudinib. Eſt igitur ſynecdoche ſpeciei. Ab aliis Euangeliſtis vocantur παραβολαί. Iſtud autem nomen hoc ſenſu à Johanne uſurpari, liquet ex cap.10.v.6. ubi παροιμίαν nominat ſimilitudinem illam Domini de caula ovium. Et ſic Hebræi proverbium nominant משל quo verbo ſignificatur ſimilitudo. *Jam non.* οὐκ ἔτι. Non ampliùs. *Apertè.* παῤῥησίᾳ. Sic infrà v.29. Sic ſuprà cap.10.v.24.& cap.11.v.14. item Marc.8.v.32.

26 *Rogaturum.* ἐρωτήσω. Ut ſuprà cap.14.v.16. *Pro vobis.* περὶ ὑμῶν. Id eſt, ὑπὲρ ὑμῶν. Sic Matth.26.v.28. τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον.

28 *Relinquo mundum.* ἀφίημι τὸν κόσμον. Utique corpore. Quare corpus

Christi jam non est in hoc mundo, sed extra hunc mundum, nempe in tertio illo cœlo.

39 *Nec opus esse tibi.* καὶ οὐ χρείαν ἔχεις. Repetendum ὅτι ex præcedente membro: quasi dicatur, καὶ ὅτι οὐ χρείαν ἔχεις. *Per hoc.* ἐν τούτῳ. Pro, διὰ τοῦτο Hebraismus.

31 *Nunc creditis?* ἄρτι πιστεύετε. Interrogatio significationem habet miserendi simul & reprehendendi inanem jactantiam. quasi dicat, Ah vos miseros: qui vobis videmini adeò constanter in me credere, &c.

32 *Et jam venit.* καὶ νῦν ἐλήλυθεν. Vel, Imò jam venit. Nam est correctio. *Quum dispergemini.* ἵνα σκορπισθῆτε. Vel potiùs sic vertendum: Veniet *tale* tempus, & jam venit, ut dispergamini. ut suprà v.2. *Nam.* ὅτι. Conjunctio causalis, id est, qua causa seu ratio exponitur ejus quod dictum est, è quocunque argumenti genere illa ratio sit desumta. Quod diligenter notandum est propter locum illum Luc.7.vers.47.de muliere peccatrice. Remissa sunt peccata ejus; nam dilexit multum. ὅτι ἠγάπησε πολύ. quo loco Papistæ abutuntur, quasi dilectio nostra causa sit qua Deus moveatur ad remittendum nobis peccata. Cui errori occasionem præbuit vetus interpres, qui vertit; Quoniam dilexit multum.

33 *In me.* ἐν ἐμοὶ. quatenus in me confiditis.

OBSERVATIONES LOCORUM
DOCTRINAE EX CAP. XVI.

I. Ex v. 2. 3. 4. 20. 21. 22. 24. & 33. Sinceri cultores Dei, quum propter confessionem doctrinæ Euangelii persecutionem à Pontificiis & aliis patiuntur; consolentur se his rationibus. quòd similis persecutio acciderit sanctis Christi Apostolis, vers. 2. 3. 20. & 33. quòd persecutio ista proficiscatur ex superstitione seu falsa de cultu Dei persuasione, atque adeò ex Dei ignorantia, v. 2. & 3. quòd à Christo prædicta sit, vers. 4. quòd tristitia ipsorum evasura sit in gaudium, & quidem gaudium constans ac plenum, v. 20. 22. & 24. quòd in media persecutione pacem habituri sint in Christo, id est fruituri sint tranquillitate conscientiæ ex certa persuasione dilectionis Dei erga se in Christo, v. 33. [De hac pace loquitur & Paulus Philip. 4. v. 7. Pax Dei quæ superat omnem intellectum, &c.] denique quòd Christus mundum vicerit, ita ut lædi ab illo non possint, quantum quidem ad æternam salutem attinet, vers. eod.

II. Ex v. 5. 7. 16. & 28. Christus per suum in cœlos ascensum verè ex hoc mundo abiit, videlicet corpore suo. quare errant, qui putant, corpus Christi substantialiter latêre in pane sacræ cœnæ; longè magis autem, qui opinantur, corpus Christi esse ubique.

III. Ex v. 7. 14. 15. 28 & 33. Christi deitas confirmatur his argumentis. quòd misit Spiritum sanctum in Apostolos, v. 7. quòd Spiritus sanctus ab eo accepit sapientiam illam arcanam atque cœlestem quam renuntiavit Apostolis, v. 14. quòd Christus & sapientiam illam & omnia, cum Deo Patre habet communia, nempe omnia quæ ad naturam atque essentiam Dei pertinent, v. 15. quòd à Patre exivit & in mundum vênit, nempe per incarnationem, v. 28. quòd mundum vicit, nempe divina sua potentia. v. 33.

IV. Ex vers. 7. 8. 9. 10. 11. & 13. Spiritum sanctum esse verum Deum, & esse personam à Patre & Filio distinctam, probatur his argumentis. Est παράκλητος, id est advocatus, qui electorum cordibus inspirat vivam consolationem

ſolationem qua ſuperent omnes tentationes. hoc autem efficere, eſt certæ perſonæ, & eſt Dei proprium. Mittitur à Chriſto, verſ.7. item à Patre, ſuprà cap.14.v.26. Ergo eſt perſona à Patre & Filio diſtincta. Eſt ſpiritus veritatis, qui deduxit Apoſtolos in omnem veritatem, id eſt veritatem cœleſtem de æterna ſalute per Chriſtum efficaciter eis perſuaſit, verſ.13. hoc autem efficere, Dei proprium eſt. Denique convicit Judæos in die pentecoſtes per prædicationem Petri, de peccato ſuo quod in Chriſto trucidando admiſerant: item de Chriſti ad ſupplicium ab ipſis rapti juſtitia atque innocentia: denique de Chriſti ex mortuis excitati & in cœlum ad dexteram Patris evecti divina auctoritate judicandi, atque adeò de diabolo jam per ipſum judicato. Hæc convictio, divinæ potentiæ opus fuit.

v. Ex v.32. Si accidat nos in neceſſitatibus deſeri ab amicis: conſolemur nos exemplo Chriſti, cui idem accidit ab Apoſtolis: & hac fide, quòd Deus ſemper nobiſcum ſit, qui nos nunquam ſit deſerturus, ſed conſolatione ſui ſpiritus perpetuò ſuſtentaturus, ſuaque divina potentia protecturus. Confer exemplum Pauli 2.Tim.4.v.16.17.& 18.

ANALYSIS CAP. XVII.

ARGUMENTUM.

Capite decimoſeptimo continetur precatio Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam habuit tanquam populi Dei ſummus ſacerdos, quum ſuum ipſius corpus paulo pòſt in ara crucis oblaturus eſſet: qua & ſeipſum & populum ſuum Patri commendat. Habet autem precatio hæc tres partes. Primum enim orat pro ſeipſo, uſque ad verſ.6. Deinde pro diſcipulis, id eſt undecim Apoſtolis, à v.6. uſque ad 20. Poſtremò pro reliquis electis, qui per doctrinam Apoſtolorum credituri erant uſque ad finem mundi.

DE PRIMA PARTE.

HÆc loquutus eſt Jeſus, & ſuſtulit oculos ſuos in cœlum, dixitque, *Pater, vênit hora illa, glorifica Filium tuum, ut & Filius tuus glorificet te:*

2 *Sicut dediſti ei authoritatem in omnem carnem, ut quotquot dediſti ei, det eis vitam æternam.*

3 *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.*

4 *Ego te glorificavi in terra: opus conſummavi quod dediſti mihi ut facerem:*

5 *Nunc igitur glorifica me tu Pater apud temetipſum ea gloria quam habui apud te priùs quàm mundus eſſet.*

In prima precationis parte petit à Patre glorificari. Rationes petitionis affert quatuor: primam, quia ſit filius ejus: ſecundam, ut viciſſim poſſit glorificare Patrem: tertiam, ut poſſit vitam æternam dare electis: poſtremam, quia fideliter functus ſit officio docendi mandato ſibi à Patre, jamq; paratus ſit ad peragendum ſacrificium itidem à Patre ſibi mandatum.

V.1. Euangeliſta tranſitionem facit à ſuperiore ſermone ad hanc precationem: ubi ſimul geſtum precantis commemorat. Deinde ſequitur precatio: ubi Chriſtus primùm præfatur, inquiens, *Pater vênit hora illa.* hæc præfatiuncula

fatiuncula continet occasionem precationis, videlicet instantem passionem Domini & mortem. Deinde proponit petitionem, *Glorifica filium tuum*. ubi nomen glorificationis cõprehendit resurrectionem Domini ac ascensionẽ in cœlum, sessionem ad dextram Patris & reditum ad judicandum vivos & mortuos. Continetur autem in ipsa petitione ratio petitionis prima, ubi ait; *Filium tuum*, id est me qui sum filius ille tuus unigenitus & unicè dilectus. hæc ratio sumta est à causa impulsiva: etenim amor impellit ad benefaciendum ei quem quis amat.

Porrò antequam ad secundam rationem explicandam progrediamur; observandum est, gloriam hanc, qua Christus se petit glorificari, partim ad naturam ejus humanam, partim ad divinam pertinere. orat enim ut Mediator. Et ad humanam quidem naturam pertinent hæc: Corporis excitatio à mortuis & glorificatio, ascensio in cœlum, sessio ad dextram Patris, plena authoritas super omnia. Ad divinam naturam pertinet illius patefactio. nam per resurrectionem ex mortuis declaratus est filius Dei, Rom. 1. vers. 4. Petit igitur ut deitas sua patefiat orbi, & per totum illustretur mundum. hoc est ut cognoscatur quis sit: nempe non solùm justus & innocens homo, sed verus Dei filius, eoque verus Deus & totius mundi servator: qui corporis sui sacrificio per Spiritum suum æternum oblato, mundi peccata expiarit: & proinde ut pro tali ab omnibus electis fide recipiatur & colatur. Deinde annectit secundam petitionis rationem; *Ut & Filius tuus glorificet te*. hæc ratio sumta est à fine. Non potuisset enim Christus Patrem glorificare, nisi ipse priùs à Patre fuisset glorificatus. Ut enim veritas Patris eluceseeret, oportuit eum præstare quod promiserat: promiserat autem filio glorificationem, Psal. 110. Sede ad dextram meam, donec ponam, &c. Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem: & possessionem tuam fines terræ. Sic alibi passim. Deinde ex glorificatione Christi eluceseit potentia Patris, qui eum excitavit è mortuis.

V. 2. sequitur tertia ratio, quæ est, ut det vitam æternam electis. hæc ratio similiter à fine sumta est. non potuisset autem Christus vitam æternam dare electis, nisi fuisset à Patre glorificatus. Nisi enim excitatus fuisset ex morte: electi, quorum peccata Pater in eum conjecerat, adhuc in suis peccatis essent. 1. Cor. 15. 17. non enim haberent testimonium, quòd pro suis peccatis morte Christi sit satisfactum. Ubi autem peccatum, ibi non habet locum vita æterna, sed mors. Deinde nisi ascendisset in cœlum: non compareret in cœlesti illo sanctuário coram facie Patris, ad gratiam illius erga electos perpetuò conservandum: ex qua gratia vita æterna fluit. Præterea nisi consedisset ad dextram Patris, non potuisset inde mittere Spiritum sanctum in Apostolos, eosq; instruere necessariis donis ad Euangelium omnibus populis prædicandum: perq; illam prędicationem efficere fidem in electis, sine qua ut remissio peccatorum, ita etiam vita æterna non obtinetur. Postremò nisi rediturus esset ad judicium; non posset electos introducere in cœlum, & ad se assumere, ad perfruendum plenè vita æterna. Hæc tertia ratio superiori annexa est, tanquam illius confirmatio. nam salus electorum ad gloriam Dei tanquam summum finem dirigitur. ait enim; *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam*. ubi observandum, particulam καθὼς, id est, Sicut, habere vim particulæ causalis *Quia*. Quemadmodum exponi potest etiam sup. 15. 12. Porrò istis verbis simul causam impulsivam notat, videlicet voluntatem & mandatum Patris; qui scilicet velit, ut Christus vitam æternam det electis, & hoc ipsum ei mandarit,

quasi

quasi dicat: Cupio glorificare te, obediendo voluntati & mandato tuo in hoc, ut vitam æternam dem electis: Ergo ut hoc possim præstare, tu me prius glorifica. Nomine ἐξουσίας intelligit potestatem seu authoritatem regiam seu jus gubernandi tum mundum universum, tum præcipué electos. Carnis vocabulo intelligit homines. Sicut hæc vox accipitur in illo dicto Esaiæ, Omnis caro fœnum. Item in illo dicto Geneseos, Omnis caro corruperat viam suam. Electos describit ab adjuncto mandato Patris, qui scilicet eos dedit Christo cum hoc mandato, ut eis det vitam æternam, primùm quidem promerendo eis remissionem peccatorum sua morte, deinde verò efficiendo in eis fidem vivam per prædicationem Euangelii & Spiritum sanctum.

V. 3. declarat, quomodo electis daturus sit vitam æternam, nempe dando eis cognitionem Patris & sui, per prædicationem scilicet Euangelii & Spiritum sanctum. ait igitur, *Hæc est autem vita æterna*, id est hac in re consistit vita æterna electorum, seu hinc pendet: *ut cognoscant te, illum solum verum Deum*, & (ut cognoscant) *eum quem misisti, nempe Jesum Christum.* Ubi observandum, cùm Christus Patrem vocat illum Deum qui solus verus Deus est: non excludere á Deitate seipsum & Spiritum sanctum, sed tantùm deos falsos, fictitios, commentitios. Deinde observandum, cum cognitione Patris conjungi cognitionem Filii tanquam mediatoris: quia Pater non nisi in Filio tanquam mediatore rectè cognoscitur: sup. 14. v. 6. & 7. Similem locum vide. 1 Corin. 8. 6. Præterea notandum, intelligi hic cognitionem talem quæ cum fide seu fiducia conjuncta est. Qui enim Deum agnoscit in Christo tanquam mediatore, is utique agnoscit eum pro Patre suo, sibi per Christum reconciliato, ac proinde eo tanquam Patre confidit.

V. 4. sequitur quarta petitionis ratio: quia officio á Patre sibi injuncto fideliter functus sit, & jam ampliùs fungi paratus sit. Functus quidem erat officio Prophetæ, in docendo Euangelio. fungebatur eo ipso tempore officio summi sacerdotis in orando pro populo: Et mox functurus erat officio præcipuo summi sacerdotis in offerendo suo corpore in sacrificium expiatorium pro peccatis electorum. ubi observandum, mandato Patris cujus hic fit mentio, tacitè includi promissionem. Ita enim mandaverat Pater Filio officium summi sacerdotis fungendum in terra in summa humilitate, ut simul ei promitteret, se eum officio in terris cum summa humilitate peracto, exaltaturum in cælum, ut ibi porrò in summa gloria fungeretur & summi sacerdotis officio, comparendo in cæleſti sanctuario pro electis: & præterea officio regis, in gubernando tum mundo universo, tum præcipué Ecclesia electorum per verbum Euangelii & Spiritum sanctum.

V. 5. hanc precationis partem concludit, & petitionem repetit, pluribusq; verbis declarat; diserté petens, ut Pater gloriam suæ (nempe ipsius Christi) deitatis patefaciat.

DE SECUNDA PARTE.

6 *Patefeci nomen tuum hominibus quos dedisti mihi* selectos *è mundo. tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servaverunt.*

7 *Nunc noverunt, omnia quæ dedisti mihi, à te esse.*

8 *Quia verba quæ tradidisti mihi, tradidi eis: & ipsi receperunt ea, & verè norunt me à te prodiisse, & crediderunt me à te missum esse.*

9 *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt.*

10 *Et mea omnia, tua sunt, & tua mea sunt: & glorificatus sum in eis.*

11 *Et non sum amplius in mundo, sed isti sunt in mundo, ego autem ad te venio. Pater sancte, serva eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut sint unum prout & nos.*

12 *Quum essem cum eis in mundo, ego servabam eos per nomen tuum: quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius ille perditionis: ut Scriptura impleretur.*

13 *Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum plenum apud se.*

14 *Ego tradidi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt ex mundo, prout & ego non sum ex mundo.*

15 *Non rogo ut tollas eos è mundo, sed ut serves eos à Malo illo.*

16 *Ex mundo non sunt, sicut & ego non sum ex mundo,*

17 *Sanctifica eos tua veritate; sermo tuus veritas est.*

18 *Sicut me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum.*

19 *Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati per veritatem.*

In secunda parte hujus precationis orat Dominus pro undecim Apostolis, eósque Patri commendat. Petit autem *ut Pater eos servet à malo*, id est Diabolo, v. 11. & 15. *utq; eos sanctificet*, id est Spiritus S. donis instruat ad munus Euangelii prædicandi constanter & cum fructu fungendum v. 17. Rationes prioris petitionis affert septem, 1. quód patefecerit eis nomen Patris, nempe ex ipsius mandato. 2. quód Pater eos elegerit é mundo, sibique tanquam proprios vendicarit. 3. quód eos dederit, id est commiserit ipsi, nempe instituendos & servandos. 4. quód sermonem Patris servarint, h. e. fide receperint & vitam ex eo instituerint. Hæ quatuor rationes continentur omnes versu sexto. Deinde v. 7. & 8. prima & quarta ratio repetuntur, & pluribus verbis declarantur.

V. 9 petitionem proponit, sed in genere & indefinitè: & eam sententiam illustrat antithesi, qua opponit Apostolis mundum, id est, reprobos: simulq; repetit rationem tertiam & secundam. V. 10. cõfirmat rationem secundam & tertiam; & quintã rationem attexit, nempe quód glorificatus sit in eis, videlicet per fidem & confessionem eorum. Ver. 11 sextam rationem affert: quia eos in mundo relicturus sit, inter medios scilicet hostes: & petitionem primam specialiter proponit. V. 12. per prolepsin causam exponit, cur non ante hoc tempus Apostolos patrocinio Patris commendarit: eaque occasione fidem suam in eis custodiendis commemorat: simulq; causam exponit interitus Judæ proditoris. V. 13. causam finalem exponit, cur hanc precationem audientibus Apostolis habeat. V. 14. septimam rationem affert, quia mundo exosi sint. V. 15. petitionem repetit, & antithesi illustrat, pleniusque exponit. V. 16. repetit septimam rationem. V. 17. addit alteram petitionem, eamque declarat. V. 18. rationem affert illius petitionis. V. 17. alteram ejusdem petitionis rationem adjungit.

DE TERTIA PARTE.

20 *Non tantùm autem pro istis rogo, sed & pro iis qui per sermonem eorum creditur sunt in me:*

21 *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus me à te missum esse.*

22 *Et ego gloriam quã dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unũ sumus.*

23 *Ego in eis sum, & tu in me: ut sint consummati in unum, & ut cognoscat mundus*

dus me à te missum esse, teque eos diligere sicut me dilexisti.

24 *Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum ego, & illi sint mecũ: ut conspiciant gloriã illam meam quã dedisti mihi, quia dilexisti me, ante jacta mundi fundamẽta.*

25 *Pater juste, mundus te non novit: ego autem te novi, & hi noverunt me à te missum esse.*

26 *Et notum ipsis feci nomen tuum, & notum faciam: ut charitas qua dilexisti me, sit in eis, & ego* sim *in eis.*

In tertia parte orat Dominus pro reliquis electis, qui ab illo tempore usque ad finem mundi erant futuri. Hos v 20. describit ex proprio adjuncto, nimirum fide: simulque instrumentum indicat, quo fides á Deo in cordibus electorum efficitur: quod instrumentum est sermo Apostolorum, id est doctrina Euangelii quam Apostoli prædicarunt, & literis mandatam posteris reliquerunt. Pro his duo petit: primùm ut sint omnes unum in Deo, hoc est, ut per unam fidem inter se devincti tanquam membra unius corporis, cujus caput est Christus, mutuo amore sese complectantur, vers. 21. deinde ut suo tempore transferantur in cœlum, ibique conspectu gloriæ Christi in æternum beati sint: v. 24. Priorem petitionem declarat exemplo arctissimæ conjunctionis quæ est inter ipsum & Patrem: ejusque petitionis rationem affert á fine, nempe á sua gloria: quam significat his verbis, *ut credat mundus me á te missum esse*, hoc est, me esse filium tuum unigenitum; qui obediens tibi factus, descenderim de cælo, & homo factus sim propter hominum salutem. Hic autem finis, ex unitate credentium sic effectus redditur: quia inde perspicitur, eos esse Christi discipulos, sup. 13. v. 35. ac proinde Christum esse filium Dei & servatorem mundi, qui ipsos regat suo Spiritu.

V. 22. alteram petitionis rationem affert, quæ sumta est á destinato: quia in hunc finem eis dederit gloriam filiorum Dei, ut se mutuó instar fratrum ament idq; ardentissimo amore, qualis est inter ipsum & Patrẽ. De hac gloria & dignitate υἱοθεσίας, i. e. adoptionis, vide sup. 1. v. 12. ubi notandum est discrimen inter gloriam Christi & credentium. Christus enim gloriam hanc habet á natura, ut sit filius Dei unigenitus: at credentes gloriam hanc habent ex gratia Dei, ut sint filii Dei adoptivi, adoptati scilicet in filio dilecto, id est Christo. Potest tamen hæc gloria etiam intelligi (& fortasse rectiùs) de futura illa gloria cælesti. nam certum est, credentes pro suo modulo gloriæ cælestis Christi participes fore. Quam quidem gloriam regni cælestis Christus discipulis promisit, Luc. 22. v. 29. & 30. Et de eadem mox rursum loquitur hoc loco vers. 24. Sic autem erit argumentum hoc á fine. nam ut credentes possint gloriam regni cælestis consequi: necesse est, ut in hac vita unum sint, unitate scilicet fidei & charitatis inter se devincti atque colligati, tanquam membra unius corporis sub capite Christo. Porró utramque hanc gloriam credentium conjungit Johannes 1. Joh. 3. v. 1. & 2. Ver. 23. tertiam rationem affert, & primam repetit, & quartam annectit. Tertia ratio á destinato sumta est, videlicet inhabitatione Christi per Spiritum sanctum, quam significat his verbis, *Ego in eis.* Quarta ratio est á fine, nempe gloria Patris, videlicet gloria summæ bonitatis & misericordiæ, ut qui credentes diligat summo amore. quæ dilectio Dei erga credentes eluceſcit, quum in eis perspiciuntur effecta illius, inter quæ non postremum est mutua illa & fraterna dilectio. V. 24. alteram petitionem affert, & gloriæ suæ causſam efficientem exponit, videlicet amorem æternum Patris glorificantis.

V. 25. Redit ad Apostolos: quos rursum Patri commendat ab ipsorũ fide, ac petit, ut sentire possint dilectionem Patris, qua eos cõplectatur in Christo.

SCHOLIA IN CAP. XVII.

2 *Authoritatem* ἐξουσίαν. Vel, poteſtatem. *Ut quotquot dediſti ei, det eis vitam æternam* ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. Pro, ἵνα πάσην ἃς δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ ζωὴν αἰώνιον. Hebræa loquendi ratio: לכל כול אשר נתתה לו יתן להם חיי עולם.

3 *Hæc eſt autem vita æterna.* αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωή. Pro, τοῦτο δέ. hoc autem, id eſt, hæc res, nempe ut te cognoſcant, &c. Nam conjunctio ἵνα hic rurſum ponitur per appoſitionem ſeu εἰδικῶς: ut ſuprà cap. 15. verſ. 8. & 12. &c. Videtur autem pronomen fœmininum αὕτη poſitum abſolutè more Hebræorum. Sic enim illi loquuntur: ut Pſalm. 27. verſ. 4. אחת שאלתי unam petii, Id eſt, unum ſeu rem unam. Porrò cognitio Dei dicitur eſſe vita æterna, per metonymiam effecti: quia illam efficit ſeu parit. Sic Rom. 7. verſ. 7. ὁ νόμος ἁμαρτία; num Lex peccatum eſt? hoc eſt, Num Lex peccatum ex ſe gignit ſeu parit? *Ut cognoſcant te, illum ſolum verum Deum.* ἵνα γινώσκωσι σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν. Id eſt, ut cognoſcant te, qui es ille Deus qui ſolus verus eſt Deus, id eſt, ille Deus præter quem non eſt ullus verus Deus: quum quotquot præter illum nominantur dii, ſint falſi, fictitii, commentitii dii. Hic autem ſolus verus Deus, eſt non ſolùm Pater, ſed etiam Filius & Spiritus ſanctus: ut alibi Scriptura docet. Neque enim ſequitur, Pater eſt ille ſolus verus Deus: Ergo Filius & Spiritus ſanctus non ſunt ille ſolus verus Deus. quippe de Filio expreſſè dicitur: Hic eſt verus ille Deus, οὗτος ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς. 1. Johan. 5. verſ. 20. item Rom. 9. verſ. 5. ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας: qui eſt ſupra omnes Deus laudandus in ſecula. De Spiritu ſancto autem dicit Petrus Actor. 5. verſ. 4. Non es mentitus hominibus, ſed Deo. utique Deo illi vero. neque enim Petrus ullum falſum Deum agnovit. *Et quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. Id eſt, Et ut cognoſcant quoque Jeſum Chriſtum, quem tu in mundum miſiſti ut ſit mediator inter te & ipſos. Poſt conjunctionem καὶ repetenda illa verba, ἵνα γινώσκωσι.

4 *Dediſti.* ἔδωκας Id eſt, commiſiſti, mandaſti.

5 *Ea gloria quam habui.* τῇ δόξῃ ᾗ εἶχον. Pro, τῇ δόξῃ ἐκείνῃ ᾗ εἶχον. *Apud te,* παρὰ σοὶ Hæc verba, licet ad finem verſiculi trajecta ſint, tamen pendent á verbo εἶχον: ut ex ipſa ſententia planum eſt. Similis trajectionis exemplum vide 2. Tim. 2. v. ult.

6 *E mundo* ἐκ τοῦ κόσμου. Id eſt, é genere humano.

9 *Pro eis.* περὶ αὐτῶν Pro, ὑπὲρ αὐτῶν. ut ſuprá cap. 16. v 26. *Rogo.* ἐρωτῶ. Ut ſuprá cap. 14. v. 16. *Pro mundo.* περὶ τοῦ κόσμου. Id eſt, pro reprobis: ut liquet ex antitheſi. *Pro iis quos dediſti mihi.* περὶ ὧν δέδωκάς μοι. Id eſt, περὶ ἐκείνων ἃς δέδωκάς μοι. Eſt autem hæc periphraſis Electorum.

11 *Non ſum amplius.* οὐκ ἔτι εἰμί. Id eſt, paulo-póſt non ero, jam jam diſcedo. *In mundo.* ἐν τῷ κόσμῳ. Id eſt, in terra. Synecdoche integri. *Per nomen tuum.* ἐν τῷ ὀνόματι σου. Pro, διὰ τοῦ ὀνόματός σου. hoc eſt, per cognitionem tui. Metonymia ſubjecti.

12 *Quum eſſem* ὅτε ἤμην. Ut ſupra cap. 16. v. 4. *Filius ille perditionis.* ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. Id eſt, ille perditioni deſtinatus & addictus. Sic Epheſ. 2. v. 3. τέκνα ὀργῆς, filii iræ.

13 *Gaudium meum.* τὴν χαρὰν τὴν ἐμήν. Gaudium illud meum: ut ſuprà cap. 15. verſ. 11. Porrò nomen *plenum* à parte poſteriore cum verbo *habeant* conſtruendum

conſtruendum eſt: non autem cum nomine *gaudium*. ſic enim oporteret Græcé eſſe τῷ πεπληρωμένῳ. *Plenum.* πεπληρωμένῳ. Expletum. *Apud ſe.* ἐν ἑαυτοῖς. In ſe, i. e. in corde ſuo. Synecdoche integri.

15 *Rogo.* ἐρωτῶ. Ut ſup. cap.14. v.16. *A malo illo.* ἐκ τοῦ πονηροῦ. Id eſt, á diabolo: qui uſitaté nominatur ὁ πονηρὸς, ut Matth.5. v.37. & cap.6.v.13. & cap.13. v.19. item 1. Joh.2.v.13.&c.

18 *Miſi eos.* ἀπέστειλα αὐτούς. Nempe ad prædicandum Euangelium & ſuſtinendum propterea mundi perſecutionem.

19 *Pro eis.* ὑπὲρ αὐτῶν. Id eſt, ut eis promerear apud te remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Sic Chriſtus ipſe in inſtitutione ſacræ cœnæ exponit præpoſitionem περὶ poſitam pro ὑπὲρ: quum ait, Hoc eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis (περὶ πολλῶν) effunditur in remiſſionem peccatorum. Item ſuprá cap 6. v.51. ait, ſe carnem ſuam daturũ (nempe in mortem crucis) pro mundi vita, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, id eſt, ad promerendum vitam æternam omnibus totius mundi electis. *Sanctifico me ipſum.* ἁγιάζω ἐμαυτόν. Id eſt, offero me tibi in ſanctam victimam. *Ut ſint & ipſi.* ἵνα ὦσι καὶ αὐτοὶ. Hæc videntur addi per epexegeſin ad declarandum illud ὑπὲρ αὐτῶν. *Sanctificati.* ἡγιασμένοι. Nempe imputata ipſis ſanctitate meæ victimæ: ſicut declarat Apoſtolus Hebr.10. v.10.inquiens, Qua voluntate ſanctificati ſumus (ἡγιασμένοι ἐσμὲν) per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel factam. Et paulo-póſt v.14. Unica oblatione conſecravit in perpetuum eos qui ſanctificantur, τοὺς ἁγιαζομένους. *Per veritatem.* ἐν ἀληθείᾳ. Nempe per veritatem Dei, id eſt, ſermonem Euangelii: ut modó v.17.niſi quis malit, propter omiſſum articulum, ἐν ἀληθείᾳ hîc per Hebraiſmum æquipollere adverbio ἀληθῶς, id eſt, veré: ita ut vera & realis ſanctificatio per oblationem corporis Chriſti facta, opponatur ſanctificationi ceremoniali quæ fiebat olim per oblationem pecudum.

20 *Pro iſtis.* περὶ τούτων. Pro, ὑπὲρ τούτων. ut ſuprá v.9.

22 *Gloriam.* τὴν δόξαν. Nempe felicitatem illam cæleſtem.

24 *Ubi ſum.* ὅπου εἰμὶ. Id eſt, ubi paulo-póſt futurus ſum. *Et illi ſint.* κἀκεῖνοι ὦσι. Nempe ſuo tempore: poſt mortem quidem ſecundum animam, poſt reſurrectionem veró corporum anima ſimul & corpore. *Quam dediſti mihi.* ἣν ἔδωκάς μοι. Id eſt, dare decreviſti. ut 2.Tim.1. v.9. χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν χριστῷ ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων, Gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſecularia. *Ante jacta mundi fundamenta.* πρὸ καταβολῆς κόσμου. *Ante fundationem mundi.* Ad verb. Ante dejectionem, ſcil. fundamentorum, τῶν θεμελίων. Hæc autem verba cenſeo pendêre non á proximo verbo ἠγάπησας: ſed á remotiore ἔδωκας. Similis trajectio fuit ſuprá v. 5.

26 *Ut charitas qua dilexiſti me, ſit in eis.* ἵνα ἡ ἀγάπη ἣν ἠγάπησάς με, ἐν αὐτοῖς ᾖ. Per ellipſin dicitur ἣν, pro κατὰ ἣν. id eſt ᾗ. Sententia eſt: Ut in cordibus ſuis per fidem ſentiant charitatem illam tuam qua dilexiſti me, & ipſos propter me. quo ſenſu ait Paulus, charitatem Dei effuſam eſſe in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, Rom.5.v.5. *Et ego ſim in eis.* κἀγὼ ἐν αὐτοῖς. Et ut ego quoque ſim in eis, hoc eſt, habitem in cordibus eorum per fidem. Epheſ.3.v.17.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. 17.

1. Ex v.1. Inter precandum attollere oculos in cælum, geſtus eſt precationi

tioni conveniens, ad significandum elevationem cordis ad Deum. Sic Paulus 1.Tim.2.v.8. jubet inter precandum attollere puras manus. Verumtamen quum ex animi demissione propter conscientiam peccatorum oculi inter precandum in terram dejiciuntur, ne ille quidem gestus Deo displicet: sicut videre est in exemplo illius publicani, una cum Pharisæo adorantis in templo, Lucæ 18.

II. Ex v.2.5. & 8. Argumenta pro deitate Christi. Christus habet potestatem Electis dandi vitam æternam: v.2. Ergo est Deus. nam solus Deus vitæ æternæ author est. Deinde, Christus habuit gloriam apud Deum Patrem ante mundum conditum, v.5. Ergo est Deus. nam ante mundum conditum nihil fuit præter Deum. Præterea, Christus á Deo Patre exivit, v.8. nempe tanquã unigenitus ille (ut percipitur ex verbis Johannis suprá cap. 1.v.14.)id est, per arcanã illam atq; ineffabilem generationẽ: sicut splendor exit á sole. Ergo Christus est Deo Patri ὁμοούσιος, ac proinde verus Deus.

III. Ex v.3. Vita æterna consistit in cognitione Dei, qua certó persuasi sumus; Deum verum, esse unicum: eumq; esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum: & Filium á Patre missum esse in mundum; ut is assumta nostra natura, esset Jesus Christus, id est noster servator, summus propheta, summus sacerdos & summus rex: qui scilicet arcanum illud consilium Dei de æterna nostra salute nobis exposuerit: qui sese peccatis nostris in se susceptis, pro nobis Deo cum precibus obtulerit victimam expiatoriam, nosq; eo sacrificio Deo reconciliarit: qui sacrificio illo peracto, in sanctuarium cæleste ingressus sit, ibique coram facie Patris pro nobis continenter appareat: denique qui in cælis ad dextram Patris regnans, nos Spiritu suo regat, & potentia sua contra hostes protegat, donec suo tempore hostibus plené abolitis, nos ad se in regnum suum cæleste recipiat.

IV. Ex eod. v. Verus Deus unicus est: & is est Pater, Filius & Spiritus sanctus. nam quum hoc loco Christus de Patre dicit, ipsum esse illum solum verum Deum, τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, id est, Deum illum qui unicus est, & extra quem nullus verus Deus est: observandum est, his verbis á solius illius veri Dei essentia non excludi Filium & Spiritum sanctum: quippe quum illi non sint extra Patrem, sed in Patre: sicut viciſſim Pater est in illis: sed excluduntur tantùm dii isti falsi atque commentitii quos confinxerunt Ethnici: quippe qui sunt extra Patrem, videlicet creaturæ.

V. Ex v.4.6.7.& 8. Sicut Christus glorificavit Patrem, quum seduló docuit Euangelium, sicut á Patre ipsi erat mandatum: ita omnes Euangelii ministri statuant, Deum ministerio suo glorificari, ac proinde seduló Euangelium doceant.

VI. Ex v.9.& 20. Quum Christus sese victimam oblaturus Patri, oraverit pro solis sibi datis á Patre, id est pro Electis, mundo (hoc est reprobis) diserté á precibus suis excluso: certum est, eum etiam pro solis Electis sese obtulisse: de quibus etiam solis loquitur, quum ait v.19. *Ego pro eis sanctifico me*, id est, his precibus consecro me tibi in sanctam victimam. Quare quod dicitur 1.Tim.2. v.6. Christum dedisse sese redemtionis pretium ὑπὲρ πάντων, pro omnibus: item 1. Johan.2.v.2. ipsum esse propitiationem pro peccatis totius mundi: ista & illis similia dicta necessariò ad Electos restringenda sunt. quum certum sit, Spiritum sanctum per Apostolos locutum esse: is autem Christo non contradicit.

VII. Ex v.11. Quum Christus expressé dicat, se non amplius esse in mundo, videlicet corpore suo, post suam in cælos ascensionem: errant igitur qui

putant,

putant, corpus Christi esse in pane sacræ cœnæ, & longé magis, qui opinantur, corpus Christi esse ubique.

VIII. Ex v. 12. Sicut Judas Domini proditor nominatur filius perditionis, eó quód perditioni seu exitio æterno á Deo erat destinatus, idque æterno consilio atque decreto (ut percipitur ex verbis Petri Actor. 2. v. 23. itemque ex verbis Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Act. 4. v. 27. & 28.) Sic de reprobis omnibus statuendum est, quód scilicet ad æternum exitium æterno Dei decreto sint prædestinati. Et sicut Judas, quamdiu latuit ipsius hypocrisis, propter fidei professionem visus est esse in numero Electorum: ita & alii reprobi quamdiu fidem in Ecclesia profitentur, pro Electis ex charitate habentur donec patefiat ipsorum hypocrisis.

IX. Ex eod. v. Quum Scripturæ prophetarum de Christo, in Jesu Mariæ virginis filio sint impletæ; sicut ex hoc loco & aliis plurimis perspicuum est: consequens est, hunc JESUM esse CHRISTUM, id est mundi servatorem. Errant igitur Judæi: qui alium expectant.

X. Ex v. 13. Christus per suam in cælum ascensionem veré ad Patrem vênit, & mundum reliquit: sicut ipse hoc loco & alibi passim testatur. Falsum igitur dogma est, corpus Christi ubique esse.

XI. Ex eod. v. Scopus doctrinæ Euangelii est, ut habeamus plenum gaudium & veram consolationem in cruce. Confer dictum Pauli Rom. 15. v. 4.

XII. Ex eod. Verum gaudium ex fide Euangelii nascitur. Confer Rom. 5. v. 1. & deinceps. Quare ut hoc gaudium consequamur, exerceamus nos in fide Euangelii: quumque Christus promiserit, se hoc gaudium in nobis effecturum, bono animo simus in persecutionibus: Christus juxta promissionem suam replebit nos gaudio quo superemus omnes tentationes, sicut plurimorum Martyrum exempla abundé testantur.

XIII. Ex v. 14. Si propter Euangelii professionem mundus nos odio habet, ne moveamur: sed cogitemus, istud inde fieri, quód ab impio mundo sumus segregati, & Christo adhæremus.

XIV. Ex v. 15 Etiamsi fideles quamdiu vivunt in hoc mundo, odium & persecutionem mundi experiuntur: tamen hac firma consolatione se possunt sustentare, quód Christus pro eis rogavit, ut serventur á malo illo, id est, diabolo, principe illo mundi. quare salus ipsorum æterna in tuto est.

XV. Ex v. 17. Sermo Euangelii, est veritas illa cælestis, qua electi sanctificantur: dum per illius prædicationem virtute Spiritus sancti corda ipsorum illuminantur fide, & renovantur ad serium studium sanctitatis, Quotquot igitur sanctificari cupiunt (cupere autem omnes debent) isti sermoni diligenter attendant.

XVI. Ex v. 18. Doctrina Euangelii per Apostolos annuntiata, est αὐτόπιστος, id est per se fide digna: quia ad illam annuntiandam missi sunt á Christo eadem authoritate, qua ille missus fuit á Patre.

XVII. Ex v. 19. Quum nos perturbat nostra impuritas, quód nimirum peccatis fœdé polluti sumus, ita ut meritó simus abominationi Deo, consolemur nos his verbis Christi, quibus testatur, quód se pro nobis sanctificárit, hoc est, Patri in sanctam victimam obtulerit ad expiandum omnia nostra peccata, per quam oblationem nos quoq; sanctificati sumus, sicut testatur Apostolus Hebr. 10. v. 10. & 14. Quód autem hoc loco dicimur sanctificari per veritatem, ad efficaciam Christi referendum est, sicut alterum ad meritum. Etenim Christus nos sanctificat & servat partim suo merito, partim sua efficacia. Merito, quatenus sanctificans se ipsum pro nobis

in

in victimam, oblatione sui expiavit nostra peccata, atq; ita illorum remissionem est promeritus. Efficacia verò, quatenus curat nobis annunciari veritatem illam cælestem, id est sermonem Euangelii, & per illius prædicationem in nobis efficit fidem virtute sui Spiritus, qua fide purgantur corda nostra, quatenus per illam sanguine Christi in cruce effuso asperguntur.

XVIII. Ex ver. 20. Quicunque per sermonem Apostolorum, id est, doctrinam Euangelii de Christo edocti, in illum credunt, eoq; ut unico suo servatore confidunt: illi certum in se testimonium habent, quód Christus sese pro eis sanctificaverit atque obtulerit, hoc est, quód oblatione sui peccata ipsorum expiaverit. Etenim pro illis Christus Patrem rogavit, ut nimirum sacrificium suum pro illis acceptet, ac proinde peccata eis ignoscat, & ipsos á malo illo servet. Quare salus ipsorum certa est & extra periculum posita. Deus enim preces Christi semper exaudivit.

XIX. Ex eod. ver. Sermo Euangelii est instrumentum seu medium per quod Deus in electis efficit fidem. Quare hoc medium ne contemnamus: sed reverenter ac studiosé eo utamur ad fidem tum consequendum tum conservandum. Confer Rom. 1. v. 16. & cap. 10 v. 17. & 1. Cor. 3 v. 5.

XX. Ex v. 21. 22. & 23. Qui veré in Christum credunt, illi etiam inter sese unum sunt, per mutuam scilicet charitatem.

XXI. Ex v. 22. & 24. Quum á mundo contemnimur & ignominia atque contumelia afficimur: consolemur nos promissione Christi, qua nobis promisit communionem atque societatem cælestis suæ gloriæ. Confer Rom. 8. v. 17. & deinceps. Philip. 3. v. 21. 2. Thess. 2. v. 5. & deinceps. 1. Joh. 3. v. 2.

XXII. Ex ver. 26. Si conscientia nos arguit peccati, ac proinde iram Dei tanquam justi judicis nobis proponit: opponamus promissionem Christi, qua promisit se nobis patefacturum charitatem Patris, nempe charitatem illam summam qua nos diligit eo ipso amore quo Filium complectitur: de quo cælitus pronuntiavit, Hic est Filius ille meus dilectus in quo acquiesco. Confer Rom. 5. v. 5.

ANALYSIS CAP. XVIII.

ARGUMENTUM.

Deinceps cap. 18. & 19. describit Euangelista historiam passionis Domini: quæ universa distribui potest in quatuor principales partes, secundum circumstantiam locorum ubi ea gesta sunt quæ Domino evenerunt. Prima pars continet ea quæ gesta sunt in horto: á principio hujus capitis usque ad v. 13. Secunda pars continet ea quæ gesta sunt in domo Caiaphæ summi sacerdotis, á v. 13. usque ad v. 28. Tertia pars continet ea quæ gesta sunt in prætorio coram judice Pilato, á v. 28. usque ad v. 17. cap. 19. Quarta pars continet ea quæ gesta sunt in loco supplicii, qui nominabatur Calvariæ, Hebraicé Golgotha, á v. 17. usque ad 38. á quo v. 38. usque ad finem capitis decimononi continetur historia sepulturæ Domini.

DE PRIMA PARTE HISTORIAE PASSIONIS.

1 *HÆc quum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ub. erat hortus, in quem introivit ipse & discipuli ejus.*

2 *Noverat*

2 *Noverat autem eum locum etiam Iudas qui prodebat eum, quia Iesus frequenter cum discipulis suis illuc convenerat.*

3 *Iudas ergo quum accepisset cohortem, & à primariis Sacerdotibus ac Pharisæis ministros, venit illuc cum lucernis & facibus & armis.*

4 *Iesus itaque, sciens omnia quæ ventura erant in se, egressus dixit eis, Quem quæritis?*

5 *Responderunt ei, Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus, Ego is sum. Stabat autem cum eis etiam Iudas qui prodebat eum.*

6 *Vt ergo dixit eis, Ego is sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt humi.*

7 *Iterum igitur rogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Iesum Nazarenum.*

8 *Respondit Iesus, Dixi vobis me eum esse. ergo si me quæritis, sinite hos abire.*

9 *Vt impleretur sermo quem dixerat, Ex iis quos dedisti mihi, non perdidi quenquam.*

10 *Simon autem Petrus quum gladium haberet, eduxit eum, & percussit servum summi sacerdotis, & abscidit auriculam ejus dextram. erat autem nomen servo Malchus.*

11 *Dixit ergo Iesus Petro, Reconde gladium tuum in vaginam. annon bibam poculum quod dedit mihi Pater?*

12 *Cohors igitur & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & vinxerunt eum.*

V.1. indicat Euangelista viam qua Dominus in hortum ivit, nempe trans torrentem Kedron: qua in re typus Christi fuisse videtur David, quum fugiens Absalonem transiret eundum torrentem, ut narratur 2. Sam. 15. vers. 23. V.2. & 3. commemorat occasionem, qua Judas proditor usus sit ad Dominum prodendum, nempe consuetudinem Domini quam ille noverat: item comitatum Judæ, videlicet satellitium armatorum. V.4.5.6.7.8.9.10.11.& 12. narrat formam seu modum agendi, quomodo Dominus in horto captus sit: nempe quód obviam iverit iis, quos sciebat adventare ad se capiendum, seque eis ultró indicaverit, versu 4. & 5. deinde quod ex indicio Domini consternati in terram ceciderint, v.6. tum quód se iterum eis indicarit, & discipulos tutos præstiterit, ne & ipsi caperentur, v.7. & 8. cujus rei caussa exponitur ver.9. Præterea quód Petrus conatus sit Dominum defendere gladio, & quód Dominus hoc vetuerit, v.10. & 11. Postremó quód á ministris Judæorum vinctus sit.

DE SECUNDA PARTE.

13 *Et abduxerunt eum primùm ad Annam (erat enim socer Caiaphæ, qui erat summus Sacerdos anni illius) is verò misit eum vinctum ad Caiapham summum Sacerdotem.*

14 *Erat autem Caiaphas is qui consilium dederat Iudæis, expedire ut unus homo moreretur pro populo.*

15 *Sequebatur autẽ Iesum Simon Petrus & alius discipulus. discipulus verò ille notus erat summo Sacerdoti, & simul introiit cum Iesu in aulam summi Sacerdotis.*

16 *Petrus autem stabat extrá ad ostium. Exiuit ergo discipulus ille alter qui erat notus summo sacerdoti, & loquutus est ostiariæ, & introduxit Petrum.*

17 *Dicit ergo Petro ancilla ostiaria, Num & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille, Non sum.*

18 *Adstabant autem servi & ministri qui prunas congresserant, quia frigus erat, & sese calefaciebant. erat verò cum eis etiam Petrus adstans & sese calefaciens.*

19 *Summus*

19 *Summus ſacerdos ergo interrogavit Ieſum de diſcipulis ipſius & doctrina ipſius.*

20 *Reſpondit ei Ieſus, Ego palam loquutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, quò vndique Iudæi conveniunt, & in occulto loquutus ſum nihil.*

21 *Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid ſim ipſis loquutus: ecce, hi ſciunt quæ dixerim ego.*

22 *Hæc autem quum ipſe dixiſſet, unus ex miniſtris qui adſtabat, bacillo cecidit Ieſum, dicens, Ità ne reſpondes ſummo ſacerdoti?*

24 *Reſpondit ei Ieſus, Si malè loquutus ſum, teſtare de malo: ſin bene, cur me cædis?*

24 *Miſerat igitur eum Annas vinctum ad Caiapham ſummum ſacerdotem.*

25 *Stabat autem Simon Petrus, & ſeſe calefaciebat: dixerunt igitur ei, Num & tu ex diſcipulis eius es? Negauit ille, & dixit, Non ſum.*

26 *Dicit ei quidam ex ſervis ſummi ſacerdotis, cognatus eius cuius abſciderat Petrus auriculam, Nonne ego te vidi in horto cum eo?*

27 *Rurſus ergo negauit Petrus, & ſtatim gallus vocem emiſit.*

Verſ. 13. narrat, quo nam deductus ſit Chriſtus omnium primó, antequam domum Caiaphæ deduceretur. V. 14. declarat, quis fuerit ille Caiaphas. V. 15. & 16. narrat, quinam ex diſcipulis Jeſum ſecuti ſint, & quomodo in aulam Caiaphæ intromiſſi ſint. Verſ. 17. & 18. quomodo Petrus Chriſtum negaverit. Ver. 19. 20. & 21. quomodo Chriſtus á Caiapha de ſua doctrina interrogatus reſponderit. Verſu 22. qua contumelia ob illud reſponſum affectus ſit. V. 23. quomodo innocentiam ſuam contra iſtam contumeliam defenderit. V. 24. 25. 26. & 27. redit Euangeliſta ad narrandum lapſum Petri, quomodo ſcilicet Dominum negaverit.

DE TERTIA PARTE.

28 *Ducunt ergo Ieſum á Caiapha in Prætorium. erat autem manè: & ipſi non introierunt in Prætorium, ne polluerentur, ſed vt ederent Paſcha.*

29 *Exivit ergo Pilatus ad eos, & dixit, Quam accuſationem adfertis adverſus hominem iſtum?*

30 *Reſponderunt & dixerunt ei, Niſi iſte eſſet facinoroſus, non tradidiſſemus eum tibi.*

31 *Dicit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram condemnate eum. Itaque Iudæi dixerunt ei, Nobis non licet occidere quenquam.*

32 *Vt ſermo Jeſu impleretur, quem dixerat, ſignificans qua morte futurum erat vt moreretur.*

33 *Introivit ergo rurſus in Prætorium Pilatus, & vocavit Ieſum: dixitque ei, Túne es rex ille Iudæorum?*

34 *Reſpondit ei Ieſus A' teipſo tu hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?*

35 *Reſpondit Pilatus, Num ego Iudæus ſum? gens tua & primarii Sacerdotes tradiderunt te mihi: quid feciſti?*

36 *Reſpondit Ieſus, Regnum meum non eſt ex hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei certaſſent ne traderer Iudæis: nunc autem regnũ meum non eſt hinc.*

37 *Dixit ergo ei Pilatus. Ergo rex es tu? Reſpondit Ieſus, Tu dicis me regem eſſe. ego ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum ut dem teſtimonium veritati. Quiſquis eſt ex veritate, audit vocem meam.*

38 *Dicit ei Pilatus, Quid eſt veritas? Et quum hoc dixiſſet, rurſum egreſſus eſt*

ad Iudæos, & dicit eis, Ego nullum invenio crimen in eo.

39 *Est autem vobis consuetudo ut unum dimittam vobis in pascha: vultis ergo dimittam vobis regem illum Iudæorum?*

40 *Clamaverunt autem rursum omnes dicentes, Ne istum* dimittito, *sed Barabbam. Erat verò iste Barrabbas latro.*

V.28. narrat Euangelista, quando Jesus in prætorium deductus sit, & cur Judæi prætorium noluerint ingredi. V. 29.30.31.& 32. quibus verbis eum Pilato tradiderint, supplicio capitis afficiendum; & cur illud factum sit. V.33. 34. 35. 36. & 37. quomodo Christus à Pilato interrogatus de suo regno, responderit.

Ver.38.39.& 40. quomodo Pilatus eum innocentem pronunciarit, ac proinde dimittere studuerit: sed obtinere istud á populo non potuerit.

SCHOLIA IN CAP. XVIII.

1 *Trans torrentem Cedron πέραν τῆς χειμάῤῥου τῶν κέδρων.* Pro, *τῶν κέδρων.* reponendum *τῆ κεδρών.* Est autem Kedrón (ut Tremellius annotat) nomen tam vallis quám torrentis qui per eam fluit, inter Hierosolymam & montem olivarum: sicut ex 2. Sam. 15. apparet. Syrus vertit, *ad transitum pedis.* id est, ad vadum. Est enim hæc (ut Tremellius annotat) periphrasis vadi, id est loci torrentis minus-profundi ubi pede transiri potest.

2 *Illuc convenerat. συνήχθη ἐκεῖ.* Illic congregatus fuerat.

3 *A' primariis sacerdotibus. ἐκ τῶν ἀρχιερέων.* Hic ponitur ἐκ pro ἀπὸ: ut suprá cap. 17. v. 15.

4 *Quæ ventura erant in se. τὰ ἐρχόμενα ἐπ' αὐτὸν.* Pro, *ἐλευσόμενα*, id est *συμβησόμενα*: quæ eventura erant sibi. *Egressus. ἐξελθὼν.* Nempe ex eo loco horti ubi erat illis adventantibus.

5 *Cum eis. μετ' αὐτῶν.* Hæc verba non pendent á proximo participio *παραδιδούς*, sed á remotiore verbo *εἰστήκει.* Similium trajectionum exempla habuimus suprá cap. 18. v. 5. & 24.

9 *Ut impleretur. ἵνα πληρωθῇ*, &c. Verba Euangelistæ, concisé loquentis. nam præmittenda fuerunt hæc verba: *Hoc autem dixit.* vel, *Hoc autem factum est.*

10 *Eduxit. εἵλκυσεν.* Traxit. id est, extraxit.

11 *An non bibam, &c. τὸ ποτήριον ὃ δέδωκέ μοι ὁ πατὴρ, οὐ μὴ πίω αὐτό;* In Græco est Hebræa repetitio nominis antecedentis, per pronomen relativum: qualis erat suprá cap. 17. v. 2.

15 *Alius. ὁ ἄλλος.* Articulus hominem certum videtur notare, & putatur vulgó is esse Johannes: quod tamen eruditissimo interpreti non videtur. Vulgari quidem opinioni videtur favere hoc, quód nullus cæterorum Euangelistarum hujus discipuli mentionem facit. Solet autem Johannes quædam á se gesta, & á cæteris Euangelistis præterita, nomine suo suppresso, seque per periphrasin notato, narrare: ut quód in extrema cæna recubuerit in sinu Domini, suprá cap. 13. v. 23. Item quód viderit sanguinem & aquam exire ex latere Domini lancea confossо, infrá cap. 19. v. 35. Item quód Dominus sibi commendârit matrem, pendens in cruce: c. 19. v. 27. Quæ opinio si recipitur: tum ὁ ἄλλος hoc loco vertendum erit *alter*, qui scilicet solebat familiariter cum Petro versari: ut colligi potest ex his locis: infrá cap. 20. v. 2. & deinceps, item cap. 21. v. 21.

16 *Qui erat notus. ὃς ἦν γνωστὸς*, &c. Describit se hoc loco Johannes (si tamen

tamen is intelligendus est) periphrasi huic narrationi conveniente: & inde nata: sicut suprà cap. 13. v. 23. alia periphrasi, isti narrationi conveniente, utitur. *Loquutus est ostiariæ.* εἶπε τῇ θυρωρῷ. Dixit ostiariæ. scilicet, ut intromitteret Petrum.

18 *Qui prunas congesserant.* ἀνθρακιὰν πεποιηκότες. Facta strue prunarum, id est, quum adornassent, instruxissent vel accendissent struem prunarum. *Sese calefaciebant.* ἐθερμαίνοντο. Verbum vocis mediæ, significatione reciproca: ut apud Hebræos Hitpaël & interdum Niphál.

20 *Mundo.* τῷ κόσμῳ. Id est, quibusvis hominibus in mundo, qui sese mihi obtulerunt.

23 *Si malè.* εἰ κακῶς. Brevissimé & nervosissimé suam innocentiam demonstrat, & adversarium injuriæ convincit, per dilemma: quod dilemma resolvimus in Animadversionibus nostris Dialecticis.

28 *A Caiapha.* Ἀπὸ τοῦ Καϊάφα. Id est, ex ædibus Cajaphæ. Metonymia vel subjecti recipientis ad se, vel adjuncti contenti. Sic Marc. 5. v. 35.

28 *Ne polluerentur.* ἵνα μὴ μιανθῶσιν. Scil. contactu loci profani ubi degeret homo gentilis, Pilatus: quæ pollutio erat ceremonialis, quanquam nusquam hoc in Lege interdictum erat, hominis profani domum ingredi. *Sed ut ederent pascha.* ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα. Concisa oratio: pro, Sed ut puri permanerent, ac proinde eis liceret edere pascha: á quo edendo arcebantur immundi. Synecdoche membri metonymica. nam ex effectu & unà cum illo intelligitur efficiens. *Pascha.* τὸ πάσχα. Transitum. Id est, agnum illum qui signum memoriale erat illius transitus quo Angelus in AEgypto transiit domos Israëlitarum, quum percuteret primogenita AEgyptiorum. Synecdoche generis & metonymia subjecti.

29 *Exivit* ἐξῆλθεν. Nempe é prætorio.

30 *Nisi iste, &c.* Responsum plane superbum & iniquum. *Non tradidissemus.* Quippe homines tam sancti.

31 *Accipite eum.* Pro, *Accipite igitur eum.* nam ipsorum responsum scité contra ipsos retorquet. quasi dicat: Si ergo non vultis ut ego ejus causam cognoscam, & vos jam illam cognovistis: accipite eum ipsi & condemnate. *Condemnate.* κρίνατε. Proprié, *judicate*, Synecdoche generis. *Non licet,* οὐκ ἔξεστιν. Nempe per Cæsarem: qui illis hoc jus ademerat.

32 *Ut sermo &c.* ἵνα ὁ λόγος. Verba Euangelistæ præcisa, ut suprá v. 9. *Quem dixerat.* Videlicet Math. 20. v. 19.

34 *A' teipso. &c.* Videtur Dominus hæc simpliciter quærere, tanquam ignorans, nempe secundùm humanitatem: quo respectu alibi ait, filium hominis etiam ignorare diem & horam finis seculi.

35 *Num ego Judæus sum, &c.* Videtur Pilatus his verbis objurgare Christum, ut qui non perceperit sententiam & scopum interrogationis suæ: quasi nimirum ideo interrogarit, an ipse sit rex ille Judæorum, ut eo cognito, in ipsum credat. Negat igitur se esse Judæum: qua negatione innuit, se nihil curare regem illũ quem Judæi expectent. Deinde declarat, se ideo istud interrogasse, ut confessione ejus audita, de hoc crimine judicet. Colligitur autem tum ex ista interrogatione Pilati, tum ex hac ejusdem ad Christi interrogationem responsione, primarios sacerdotes Christum detulisse apud Pilatum, tanquam authorem seditionis: ut qui doceret, se Judæorum regem esse.

36 *Certassent.* ἠγωνίζοντο ἄν. Scil. præterita nocte qua Judæis traditus sum. *Nunc autem.* νῦν δὲ. Particula νῦν quum est συλλογιστικὴ, propriè

servit

ſervit aſſumtioni. at hîc præponitur concluſioni, ita tamen ut aſſumtio ſubaudiatur : q. d. Nunc autem quum miniſtri mei non certarint ne traderer Judæis : liquet hinc, regnum meum non eſſe ex hoc mundo. *Hinc.* ἐντεῦθεν. Id eſt, ex hoc mundo : ut antè dixit.

37 *Ergo.* οὐκοῦν. Vel, Nonne igitur. οὐκ ἄν. *Tu dicis.* σὺ λέγεις. Reſponſio concedentis ſeu confitentis. *Ego ad hoc natus, &c.* His verbis videtur declarare rationem ac naturam regni ſui. *Quiſquis eſt ex veritate.* πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας. Similis eſt phraſis & ſententia ſuprà c. 8. v. 47. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.

38 *Egreſſus eſt.* ἐξῆλθε. Videlicet è prætorio ante quod Judæi expectabant : ut colligitur ex v. 28. 29. & 33. ſuprà.

39 *In paſcha.* ἐν τῷ πάσχα. Id eſt, in feſto paſchæ. Metonymia ſubjecti gemina. Nam primùm ex tranſitu intelligitur agnus, tanquam tranſitus ſignum : deinde ex agno tempus illud quod agno ſolenniter edendo adjungebatur. *Vultisne dimittam?* Βούλεσθε ἀπολύσω ; Pro, ἵνα ἀπολύσω, ut dimittam.

40 *Ne iſtum dimittito.* μὴ τοῦτον. Scil. ἀπόλυσον.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. 18.

I. Ex v. 1. Sicut olim David (quem in multis geſſiſſe typum Chriſti, extra controverſiam eſt) metu rebellis filii Abſolonis ex urbe Hieroſolyma egreſſus eſt cum ſervis ſuis trans torrentem Kidronem, ut narratur 2. Sam. 15. ita Chriſtus à rebellibus Judæis extrema paſſurus, trans eundem torrentem ex urbe egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis. Et ſicut in horto Deum cœpimus offendere, tranſgrediendo mandatum ipſius : ita in horto Chriſtus Deum nobis cœpit placare, guſtando iram ipſius adverſus noſtra peccata, & tam vehementer luctando cum morte, tantámque anxietatem ſentiendo ut ſudaret grumos ſanguinis.

II. Ex v. 2. & 3. Si accidat, nos prodi ab intimis noſtris : conſolemur nos exemplo Chriſti, cui idem à Juda diſcipulo accidit.

III. Ex v. 4. 5. 6. 7. 8. & 11. Quum Chriſtus non invitus ad ſupplicium pertractus ſit, ſed ſciens ac volens ſeſe inimicis ſuis obtulerit, quos & abſens poterat evitare, & præſens vel uno verbo perdere : hinc certi ſumus, obedientia ipſius inobedientiam noſtram eſſe expiatam. Confer Rom. 5. v. 19. Philip. 2. v. 8.

IV. Ex verſ. 6. Sicut eadem vox Chriſti, *Ego ſum*, diſcipulis quidem ipſius conſolationem (ſup. cap. 6. v. 20. & 21.) inimicis verò conſternationem attulit, ut videmus hoc loco : ita vox Euangelii (quæ & ipſa vox Chriſti eſt) reprobis quidem eſt odor mortis ad mortem, electis verò odor vitæ ad vitam : ut diſertè affirmat Paulus 2. Cor. 2. v. 16.

V. Ex v. 8. & 9. Chriſtus quoties ei libet, fideles ſuos ſervos ab inſultu hoſtili impiorum tutos præſtat, ſicut hoc loco tutos præſtat diſcipulos, ne quis eorum capiatur. Quare ejus tutelæ fidamus. Confer exemplum Eliæ 2. Reg. 1. quem à militibus ad ipſum adducendum à rege Achaſia miſſis bis ita tutum præſtitit, ut milites illos ad preces Eliæ igne cœleſti conſumſerit. Item exemplum Eliſæi 2. Reg. 6. quem quum exercitus Syrorum à rege Syriæ miſſus capere conaretur : Deus illum copiis angelorum munivit, & milites illos ſubito ſcotomate percuſſit, ut à Propheta non agnito deluſi in urbem Samariam introducerentur, atque ita in poteſtatem hoſtium venirent,

nirent, putantes se duci Dothanem ubi tum Elisæus degebat.

VI. Ex v.10.& 11. Quum Christus Petro prohibeat, gladio se defendere: discimus hinc, vindictam privatam esse prohibitam. neque hic excusat zelus Dei: is enim intra vocationis suæ limites ab unoquoque est continendus. Confer Rom.12.v.19 & Luc 9.v.54 & 55.

VII. Ex v.11. Quum quicquid nobis adversi accidit, sit poculum nobis à Deo datum, id est voluntate ipsius ac providentia destinatum: æquo ac forti animo omnia adversa feramus, certò persuasi, Deum quum fidelis sit, unà cum tentatione daturum evasionem: sicut ait Apostolus 1.Corinth.10. v.13. Etenim sicut paterfamiliàs potum inter domesticos distribuens, tantum cuique infundit quantum judicat valetudini ipsius esse accommodatum: ita Deus calamitates inter domesticos suos distribuens, tantum cuiq; immittit quantum novit ei expedire.

VIII. Ex vers.12.& 13. Si accidat, nos propter confessionem Euangelii ab hostibus illius comprehendi, vinciri, ad concilium prælatorum adduci: consolemur nos exemplo Christi domini ac præceptoris nostri, cui eadem acciderunt; memores, eum discipulis suis tales persecutiones prædixisse, simulque hanc regulam indicasse, Non est servus major domino suo. Supr. cap.15.v.18.19.& 20. Item, Non est discipulus supra magistrum, &c. Matth. 10.v.24 25. Et Petrus ait, Christum patiendo pro nobis (id est propter nos, seu nostræ salutis causa) reliquisse nobis exemplar, ut insequeremur vestigia ipsius.1.Pet.2.v.21.

IX. Ex iisdem versibus. Quum hodie videmus, prælatos Pontificios, qui titulo Ecclesiæ sese jactant, hostiliter persequi confessores Euangelii: ne offendamur tanquam re nova: quum hic videamus idem tempore Christi accidisse.

X. Ex v.15.& 16. Singulari Dei providentia factum est, ut unus & alter ex Apostolis in aulam Pontificis maximi ubi concilium contra Christum congregatum erat, intromitterentur: ut nimirum ipsi viderent & audirent quid illic cum Christo ageretur, ac proinde de illis rebus verum ac fide dignum testimonium apud Ecclesiam possent perhibere.

XI. Ex v.17.25.& 26. In lapsu Petri, qui Christum ter negavit, habemus vivum exemplum humanæ imbecillitatis, etiam in præstantissimis quibusque, simulatq; sibiipsis relinquuntur. Item ex eo quòd Petrus subinde vehementiùs negat, secunda scilicet vice addito juramento, tertia autem vice seipsum execrando, sicut alii Euangelistæ narrant: hinc discimus, homines semel lapsos, non modò non posse sese suis viribus erigere, sed etiam in deterius magis ac magis præcipites ruere, donec nova Dei virtute surrigantur.

XII. Ex v.28. Hypocritæ satagunt in observandis ceremoniis ad cultum Dei institutis, quasi in illa externa observatione, summa pietatis & cultus Dei consistat: quum interim indulgeant pravis animi sui affectibus, ac timoris Dei (quæ non minima nec postrema cultus Dei pars est) vani sint. Hoc planè perspicitur in isto exemplo Judæorum, Christum à se damnatum tradentium judici Pilato, ut illum tanquam facinorosum supplicio capitis plectat. Etenim quum corda ipsorum arderent iniquo odio Christi, interim tamen noluerunt ingredi prætorium, tanquam domum scilicet ethnici, id est hominis profani: ne illius contactu polluerentur hoc est profanarentur seu immundi redderentur secundum legem, atq; ita impedirentur in obeunda ac celebranda ceremonia solenni agni paschalis: de quo nimirum non licebat edere immundis. Simile hypocriseos illorum exemplum

narratur

narratur Matth.27.v.6. ubi receptis triginta illis argenteis pro quibus Christum à Juda proditore emerant, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quoniam pretium sanguinis est. Mira religio: non dubitant emere & tradere ad necem sanguine innoxium; & metuunt ne peccent, si sanguinis illius pretium ad sacram pecuniam apponant. Sic culicem percolant hypocritæ, & deglutiunt camelum: ut eis Christus exprobrat Matth.23.v.24. ubi commemorasset, quòd in minutis anxii, præcipua negligerent: ibid.ver.23. Decimatis mentham & anethum, &c. Et ibid.v.25. & deinceps, ubi Christus ex professo hypocrisin Scribarum & Pharisæorum taxat. Ac eò major fuit præsens hæc hypocrisis, quòd nusquam in Lege prohibitum erat, domum hominis Gentilis ingredi: sed cautio erat à patribus tradita, ne quis per imprudentiam ex domo immunda aliquid contagii acciperet.

XIII. Ex v.29. Exemplo Pilati admonentur judices, ne quę damnent non audita causa. At in Papatu contrà fit, ubi confessores Euangeli ab inquisitorib. hæreseos damnati, traduntur judici politico, & ab illo citra causæ cognitionem ad supplicium damnantur ex solo istorum Prælatorum prejudicio.

XIV. Ex v.30. *Nisi esset iste facinorosus &c.* Sicut isti primarii sacerdotes, scribæ & Pharisæi, ebrii splendore autoritatis & superba opinione sanctitatis, volunt suæ accusationi credi etiam absque probatione: sic hodie idem volunt & factitant Prælati Pontificii, quum confessores Euangelii ad supplicium tradunt judici politico. Quare pii confessores ac martyres sese exemplo Christi, domini & magistri sui consolentur: cui idem accidisse vident.

XV. Ex v.31. *Secundum legem vestram condemnate eum.* Hypocritæ suâ impietate occasionem præbent hominibus profanis irridendi sanctum Dei verbum. ut hoc loco Pilatus quum videret, primarios sacerdotes velle damnari & supplicio affici Jesum causa non audita neque cognita, arripit inde occasionem blasphemandi sanctam Dei legem. quasi diceret, Præclarũ verò legem vestram, quam vos quidem à Deo ipso vobis datam jactatis: quòd secundum illam damnandus est homo qui nullius criminis possit convinci. Sic Rom.2.v.24. Dei nomen propter vos blasphematur inter Gentes.

XVI. Ex eod. *Nobis non licet occidere quenquam.* Quòd Judæis illo tempore judicia capitalia erepta erant per Romanos: debuerunt inde admoneri, tempus jam esse adventus Messiæ, juxta vaticiniũ Jacobi, Gen.49. Non auferetur sceptrum à Juda, donec veniat Schiló. at jam tum præcipua sceptri, id est regii dominatus, pars, nempe potestas criminaliũ judiciorum eis erat ablata. Habebant quidem nascente Christo adhuc aliquam judiciariam potestatem: sed tantùm in causis Ecclesiasticis & civilibus: in criminalibus verò non item. Et senatores illi Sanhedrin dicti, erant ex tribu Juda. Nos verò hac temporum consideratione in fide Christi confirmamur.

XVII. Ex v.33.34.35.36.& 37. Christus est rex Ecclesiæ: hoc enim ipse coram Pilato confessus est: sed regnum ejus non est ex hoc mundo seu terrenum, potentia scilicet opum terrenarum subnixum & vi armata tuendum: sed est spirituale, positum nimirum in potentia Spiritus S. veritatem cœlestem de recto Dei cultu & vera ratione consequendi salutem cordibus electorum persuadentis, & illa in obsequium Dei flectentis. Hanc Christi de suo regno confessionem commendat Paulus 1.Tim.1.v.13.

XVIII. Ex v.37. *Quisquis est ex veritate, audit vocem meam.* Testimonium veritatis cœlestis, id est Euangelium. ab iis tantùm recipitur, qui sunt ex veritate, h.e. ab electis, qui à Deo prædestinati sunt ut credant veritati. Quare quibuscunque hoc datum est ut credant veritati Euangelii, illi certum

apud ſe argumentum habent, quòd ſint ex numero electorum. Nec eſt quód incredulitate aliorum offendamur, ut propterea veritatem cœleſtem in dubium venire apud nos patiamur: ſed acquieſcendum eſt in beneplacito Dei, cui non placuit omnibus hanc gratiam dare ut veritati cœleſti ſubſcribant, ſed tantum electis ſuis. Sic dicebat Chriſtus apoſtolis: Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum: cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, &c. Item Matth. 11. agit gratias Patri, quòd myſteria regni cœlorũ patefecerit parvulis; & contrà occultaverit a ſapientib. atq; intelligentibus hujus ſeculi: & addit, Næ Pater: ſic fuit beneplacitum coram te. Sic ſuprà cap. 8. v. 47. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Item cap. 6. verſ. 36. & 37. Etiam vidiſtis me, nec creditis: Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet. Et rurſus ibid. v. 44 & 45. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes (nempe filii Eccleſiæ, hoc eſt electi) docti à Deo. Quiſquis ergo audivit à Patre & didicit, venit ad me. Item cap. 10. v. 14. Ego ſum paſtor ille bonus: & agnoſco oves meas: & agnoſcor à meis. Nota, A meis, inquit, id eſt ab electis, mihi datis à Patre. Et ibid. v. 26. & 27. Sed vos non creditis, inquit: non enim eſtis ex ovibus meis, ſicut dixi vobis. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego eas agnoſco, & ſequuntur me.

XIX. Ex v. 38. *Dicit ei Pilatus, Quid eſt veritas?* Ratio carnalis irridet doctrinam Euangelii & confeſſores illius, maximè quando propter illius confeſſionem non recuſant vel ſupplicium capitis ſubire. Sicut hoc loco videmus irrideri Chriſtum à Pilato, quòd propter doctrinam veritatis cœleſtis ſubiret internecinum odium Judæorum. Idem docet Paulus 1. Cor. 2. v. 14. Animalis homo (ψυχικὸς ἄνθρωπος) non eſt capax eorum quæ ſunt ſpiritus Dei: ſunt enim ei ſtultitia, &c. Et in ead epiſt. c 1. v. 23. Prædicamus, inquit, Chriſtum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis verò ſtultitiam. Sed nos perverſo huic judicio rationis carnalis opponamus mandatum Dei de Filio audiendo, Matth. 3. & 17. & judicium Apoſtoli in loco modò citato, ubi addit; Ipſis autem vocatis, tum Judæis, tum Græcis, Chriſtum Dei potentiam ac ſapientiam.

XX. Ex eod. v. *Ego nullum invenio crimen.* Quum Chriſtus à judice poſt cauſæ cognitionem innocens pronuntiatus ſit; & tamen ab eodem in gratiam accuſatorum ad ſupplicium crucis poſtea ſit damnatus; obſervandum eſt, Chriſtum non propter ſua (quæ nulla habuit) ſed propter aliena peccata, nempe peccata electorum quæ ut ſponſor in ſe ſuſceperat, maledicta illa morte crucis affectum eſſe, atque ita pro illis ſatisfeciſſe, ipſosque à maledictione Dei liberaſſe.

XXI. Ex v. 39. Mentione conſuetudinis Judæorum, qua petebant in feſto paſchæ ſibi unum ex facinoroſis dimitti, ad celebrandam nimirum feſti ſanctitatem; admonemur de vanitate ac perverſitate cordis humani; quod dum excogitat & inſtituit cultus Dei, hoc ipſo Deum offendit; quippe agens contra expreſſum Dei verbum; Nam, teſte Scriptura, abominatio eſt coram Deo qui nocentem abſolvit.

XXII. Ex eod. v. Habemus hic in Pilato exemplum perverſi judicii ſapientiæ carnalis, facientis malum ut eveniat bonum, dum ſtudet inter duo mala eligere id quod minus eſt. Etenim Pilatus ut poſſet dimittere Jeſum quem iudicabat eſſe innocentem, non dubitavit eum tanquam nocentem cõparare cum nequiſſimo latrone Barabba. Quippe duob. malis propoſitis, nempe ut Jeſum innocentẽ vel damnaret, vel cum nocentiſſimo nebulone

tanquam

tanquam ipsum quoque nocentem componeret; hoc posterius tanquam minus elegit. Eodem pertinet quòd eum flagellavit. Sed nobis tenendum est illud Apostoli, ne faciamus mala ut eveniant bona, Rom. 3. v. 8. Et regula illa de minore malo ex duobus eligendo, non est intelligenda de malo culpæ, id est, peccato: sed de malo pœnæ; seu (ut idem aliis verbis dicam) intelligenda est non de malo turpi, sed de malo molesto atque damnoso, ut quum mercator in periculo naufragii constitutus mavult jacturam facere mercium, quám amittere vitam.

XXIII. Ex v. 40 Quód Christus deterior esse judicatus est nequissimo latrone Barraba: consolationem præbet piis contra maledicta malevolorum, clamantium, eos ipsis Turcis deteriores, item Diaboli martyres esse.

ANALYSIS CAP. XIX.

Argumentum indicatum est in principio capitis præcedentis.

TVnc ergo assumsit Jesum Pilatus & flagellavit.

2 *Et milites contexuerunt coronam è spinis, & imposuerunt ipsius capiti, & pallio purpureo induerunt eum.*

3 *Et dicebant, Ave rex Judæorum. Et bacillis eum cædebant.*

4 *Egressus est ergo rursum Pilatus foras, & dixit eis, Ecce, adduco vobis eum foras, ut noveritis me nullum in eo crimen invenire.*

5 *Egressus est ergo Jesus foras ferens spineam illam coronam, & purpureum illud pallium. Et dixit eis* Pilatus, *Ecce homo.*

6 *Quum ergo intuiti essent eum primarii Sacerdotes &* eorum *ministri, clamaverunt dicentes, Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite. ego enim non invenio in eo crimen.*

7 *Responderunt ei Judæi, Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.*

8 *Quum ergo audivisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.*

9 *Et rursus ingressus est in Prætorium, & dixit Jesu, Unde es tu? Jesus autem responsum ei non dedit.*

10 *Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? nescis me potestatem habere crucifigendi te, & potestatem habere te dimittendi.*

11 *Respondit Jesus, Non haberes potestatem adversum me ullam nisi* hoc *tibi datum esset supernè: propterea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.*

12 *Ex eo* tempore *studebat Pilatus eum dimittere: Judæi verò clamabant, dicentes, Si hunc dimiseris, non es amicus Cæsaris, quicunque se regem facit contradicit Cæsari.*

13 *Pilatus ergo quum audisset hunc sermonem, eduxit foras Jesum, consedit-que in tribunali in loco qui dicitur Lithostroton, Hebraicè autem Gabbatha.*

14 *Erat autem parasceue Paschæ, hora verò quasi sexta: tum dicit Judæis, Ecce rex vester.*

15 *Illi verò clamaverunt, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt primarii Sacerdotes, Non habemus regem nisi Cæsarem.*

16 *Tunc ergo tradidit eum ipsis ut crucifigeretur. Assumserunt autem Jesum, & abduxerunt.*

Quæ continentur à principio capitis usque ad v. 17. cohærent cum extrema parte capitis præcedentis: pertinent enim ad tertiam hujus historiæ

partem, de iis quæ cum Christo gesta sunt in prætorio coram judice Pilato. V.1. exponit Euangelista quid fecerit Pilatus, ut posset á populo impetrare dimissionem Jesu. V.2.& 3. quibus contumeliis Jesus affectus sit á militibus Pilati. V.4. quomodo Pilatus secundó innocentem pronunciarit Jesum. V. 5. quomodo conatus sit populum movere ut pateretur Jesum dimitti. V.6. quomodo sacerdotes Jesum postularint crucifigi: & quomodo Pilatus tertió eum innocentem pronunciarit. V.7. quod crimen sacerdotes Jesu objecerint. V.8. quid illa criminatio effecerit apud Pilatum. V.9. quomodo Pilatus Jesum interrogarit de patria. V.10. quomodo Pilatus superbé jactaverit suam potestatem. V. 11. quomodo Jesus jactantiam illam Pilati retuderit, eumque objurgarit. V.12. quo argumento Pilatus persuasus sit ut Judæis gratificaretur: ubi nova criminatio Christi continetur. V.13.14.15. & 16. quomodo Pilatus á Judæis persuasus, consederit pro tribunali, & Christum tradiderit ad crucifigendum.

DE QUARTA PARTE historiæ passionis.

17 *Et ipse bajulans crucem suam, inde venit in eum locum qui dicitur Calvariæ, Hebraicè autem Golgotha.*

18 *Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Jesum.*

19 *Scripsit autem etiam titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat verò scriptum,* JESUS NAZARENUS REX ILLE JUDAEORUM.

20 *Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus erat Jesus, & erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.*

21 *Dixerunt igitur Pilato primarii Sacerdotes Judæorum, Ne scribito, Rex ille Judæorum: sed illum dixisse, Rex sum Judæorum.*

22 *Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi.*

23 *Milites ergo quum crucifixissent Jesum, acceperunt ejus vestimenta (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam. erat autem tunica insutilis, á summo contexta tota.*

24 *Dixerunt ergo inter se, Ne findamus eam, sed sortiamur de illa cujus futura sit, ut Scriptura illa impleretur, quæ dicit, Partiti sunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam jecerunt sortem. Milites igitur hæc fecerunt.*

25 *Stabant autem juxta crucem Jesu, mater ejus & soror matris ejus, Maria Clopæ uxor, & Maria Magdalene.*

26 *Quum vidisset ergo Jesus matrem ac discipulum adstantem quem diligebat, dicit matri suæ, Mulier, ecce filius tuus.*

27 *Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora recepit eam discipulus ille domum suam.*

28 *Postea, quum sciret Jesus omnia jam consummata esse: ut perficeretur Scriptura, dixit, Sitio.*

29 *Vas igitur illic erat positum aceto plenum. Illi verò impleverunt spongiam aceto, & hyssopo circumpositam admoverunt ori ejus.*

30 *Quum autem accepisset Jesus acetum, dixit, Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum.*

31 *Judæi ergo, ut non manerent in cruce corpora Sabbato, quoniam erat Parasceue, (erat enim magnus dies illius Sabbati) rogarunt Pilatum ut confringerentur eorum crura, ac tollerentur.*

32 *Venerunt*

32 *Venerunt ergo milites, & prioris quidem* latronis *confregerunt crura, & alterius qui crucifixus fuerat cum eo:*

33 *Ad Jesum autem quum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non confregerunt ejus crura.*

34 *Sed quidam ex militibus lancea latus ejus fodit, & statim exivit sanguis & aqua.*

35 *Et qui vidit testatur, & verum est testimonium ejus: ille* inquam *scit se vera dicere, ut & vos credatis.*

36 *Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur*, dicens, *Non confringetur* ullum *os ipsius.*

37 *Et rursus alia Scriptura dicit, Videbunt quem transfixerunt.*

V. 17. narrat Evangelista, quomodo Christus ad locum supplicii deductus sit. V.18 quomodo crucifixus sit. V.19.& 20. qui titulus cruci inscriptus fuerit,& quibus linguis. V.21. quomodo Judæi á Pilato petiverint, ut titulum illum mutaret. V.22. quomodo Pilatus petitionem illam recusarit. V.23.& 24. quomodo milites inter se partiti sint vestes Jesu. V.25. quæ mulieres cruci astiterint. V.26.& 27. quomodo Jesus Johannem commendarit Mariæ matri,& vicissim Mariam Johanni. V.28.& 29. quomodo sitienti præbitum sit acetum. V.30. quomodo exspirarit. V.31.32.33.& 34. quomodo factum sit ne frangerentur ei crura,& quid ex latere ejus lancea confosso effluxerit. V.35. continetur asseveratio rerum proximé narratarum. V.36.& 37. citantur vaticinia Prophetarum, quibus ista eventa prædicta fuerat.

De sepultura Domini.

38 *Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph Arimathæensis (ut qui esset discipulus Jesu, sed occultus propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu: quod permisit Pilatus. Venit ergo & sustulit corpus Jesu.*

39 *Venit autem & Nicodemus (is qui venerat ad Jesum nocte primùm) ferens mistura myrrhæ & aloes libras quasi centum.*

40 *Acceperunt ergo corpus Jesu, & obvinxerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis funerare.*

41 *In eo autem loco ubi fuerat crucifixus, erat hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat.*

42 *Ibi ergo, propter Parasceuem Judæorum, quòd monumentum illud propè esset, posuerunt Jesum.*

V.38.& 39. indicatur, quinam sepeliverint Dominum, nempe Joseph Arimathæensis & Nicodemus Pharisæus. V.40. quo ritu Jesum funeraverint. V.41.& 42. in quali sepulchro posuerint,& quare.

SCHOLIA IN CAP. XIX.

1 *Flagellavit.* ἐμαστίγωσε. Nempe per ministros. Sic Christus dicitur baptizasse, per discipulos: sup.c.4.v.1.

3 *Ave rex.* χαῖρε ὁ βασιλεύς. Pro, ὦ βασιλεῦ. Antiptosis Attica. *Bacillis eum cædebant.* ἐδίδων αὐτῷ ῥαπίσματα. Nomen ῥάπισμα significat ictum, qui virga aut baculo aut fuste incutitur. A verbo ῥαπίζειν, quod idem valet ac τῇ βακτηρίᾳ παίειν, baculo percutere: sicut ex Plutarcho ostendit D. Beza in annot.ad Matt.5.v.39. Porró verbum ῥαπίζειν deductum est á nomine ῥάπις, id est virga.

5 *Spineam illam coronam & purpureum illud pallium.* τὸν ἀκάνθινον στέφανον καὶ τὸ πορφυροῦν ἱμάτιον. Nempe de quibus suprá. v.2. Articuli sunt ἀναφορικοί. *Ecce homo.* ἰδοὺ ὁ ἄνθρωπος. Vel, *En hunc hominem.* quasi dicat: Quám miserè tractatus est hic homo! nam nomen ὁ ἄνθρωπος hic ad Christum refertur, quem ostendebat Pilatus: nec vim habet vocativi, ut suprá v.3. ὁ βασιλεύς.

7 *Filium Dei se fecit.* ἑαυτὸν υἱὸν θεοῦ ἐποίησεν. Sic suprá cap.10.v.33. ποιεῖς σεαυτὸν θεόν, facis te ipse Deum. *Fecit.* autem, scil. verbis seu docendo, hoc est, docuit & persuadere hominibus conatus est, se esse filium Dei. Videtur autem hic deesse articulus τὸν ante nomen υἱὸν. nisi dicamus, eos sermonem accommodasse ad ruditatem Pilati, & indefinitè loquutos: quum Pilatus discrimen filiorum Dei ignoraret; nempe unum esse naturalem, cæteros adoptivos.

11 *Supernè.* ἄνωθεν. E supernis. scil. locis. ut sup. c.3.v.31.

12 *Quicunque.* πᾶς. Pro. πάς γὰρ. nam quicunque. *Qui se regem facit.* ὁ βασιλέα αὐτὸν ποιῶν. Ut sup.v.7. *Contradicit.* ἀντιλέγει. Id est, opponit se, resistit, adversatur.

13 *Lithostrôton.* Λιθόστρωτον. Puto dicendum Latiné Lithostrôton, genere scilicet neutro: quo etiam positum videtur nomen Græcum. neque enim cohæret cum nomine τόπον, tanquam adjectivum illius: sed tanquam nomen substantivum subjicitur participio λεγόμενον: ut quemadmodum hîc dicitur, τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον: ita etiam dicendum sit, τόπος λεγόμενος Λιθόστρωτον. non autem Λιθόστρωτος. Plinius lib.36.cap.28. Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte picturæ ratione: donec Lithostrota expulere eam. Et aliquanto póst: Lithostrota cæptavere jam sub Sylla, parvulis cerré crustis, &c. Nomen ipsum compositum est ex λίθος, lapis, & στρώννυμι sterno. *Gabbatha.* Γαββαθᾶ. Sic nominatur illud pavimentum, quód esset elevatum: á verbo Hebræo גבה gabah, quod significat elevari.

14 *Paraseeue paschæ.* παρασκευὴ τοῦ πάσχα. Id est, dies proximus ante diem paschæ: quo ad festum se præparabant. nam παρασκευὴ præparationem significat.

Ecce rex vester. ἰδοὺ ὁ βασιλεὺς ὑμῶν. Id est, attendite, hic est ille rex vester.

16 *Assumserunt.* παρέλαβον. Nempe milites, ministri Pilati.

17 *Bajulans crucem suam.* Videlicet ex more Romanorum: Sicut ex Plutarcho ostendit D. Beza. *Inde venit.* ἐξῆλθεν. Vel, *exivit.* nempe ex urbe. ductus nimirum á militibus. *Golgotha.* Γολγοθᾶ. Pro, Γολγολθᾶ: terminatione quidem Syriaca. nam Hebraicé est גלגלת Gulgóleth, id est cranium seu calvaria. sic dicta á rotunditate & volubilitate: nam גלל galal volvere significat.

23 *Quod scripsi, scripsi.* Id est, Quod scripsi, scriptum manebit: non muto.

23 *Vestimenta.* τὰ ἱμάτια. Obscurum est, quomodo hic τὰ ἱμάτια & ὁ χιτὼν inter se distinguantur: quum tamen & ὁ χιτὼν videatur contineri τῷ ἱματίων vocabulo. Si legeretur numero singulari τὸ ἱμάτιον, tum perspicua esset antithesis, videlicet inter pallium seu potiús togam, vestem extimam, & tunicam vestem interiorem: qualis harum vocum antithesis reperitur Matth.5.vers.40. & Luc.6. v.29. *Tunicam.* τὸν χιτῶνα. Nomen Græcum χιτὼν videtur ortum ex Hebræo כתנת cuttóneth: pro quo Syrus habet כותינה cutinéh.

24 *Ut Scriptura impleretur.* Verba Euangeliſtæ præciſa, ut ſuprâ cap.18. v.32. *Veſtem.* τὸν ἱματισμόν. Euangeliſta verſu ſuperiore interpretatur χιτῶνα, id eſt tunicam.

26 *Diſcipulum quem diligebat.* τὸν μαθητὴν ὃν ἠγάπα. Periphraſis Johannis: ut intelligitur ex capitis ultimi verſu 20.& verſu 24. inter ſe collatis. *Ecce filius tuus.* ἰδὲ ὁ υἱός σου. Id eſt,hic eſt filius tuus: hoc eſt,hunc tibi commendo tanquam filium: vel potiús te illi commendo,ut tuæ ſenectutis curam gerat pro me,qui jam abs te divellor.

27 *Ecce mater tua.* ἰδὲ ἡ μήτηρ σου. Id eſt, hæc eſt mater tua: hanc tibi ut matrem commendo. Sunt autem hîc manifeſtæ metaphoræ. Etenim Johannes Mariæ filius dicitur, & hæc illius mater: non quód ex ipſa eſſet genitus, ſed quòd filiali amore & cura eam deberet complecti. *Domum ſuam.* εἰς τὰ ἴδια. Ad verb. *In ſua.* Metonymia adjuncti. nam ſuas quiſque facultates domi ſuæ fere habet.

28 *Omnia jam conſummata eſſe.* ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται. Nempe omnia quæ requirebantur ad redimendum electos. Etenim ſenſum iræ Dei jam ſuſtinuerat & ſuperaverat: tum ſudans in horto grumos ſanguinis, tum exclamans in cruce, Deus mi, Deus mi,quare deſeruiſti me? Sic paulo-póſt v.30. *Ut perficeretur Scriptura.* ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφή. Hîc incipit conſequens enuntiati compoſiti ſeu apodoſis periodi. nam verſiculus præſens ſic eſt conſtruendus: Quum ſciret Jeſus, omnia jam eſſe conſummata: dixit, Sitio: *hoc autem ideo dixit,* ut perficeretur Scriptura. Nam etſi omnia jam eſſent conſummata quæ requirebantur ad redemtionem electorum: nondum tamen impletæ erant omnes prophetiæ de Chriſto redemtore: ſed multa adhuc reſtabant,ut mors corporis, ſepultura, reſurrectio, aſcenſio in cælum, miſſio Spiritus ſancti &c. Inter illa autem quæ adhuc reſtabant implenda,erat etiam iſtud quod hoc loco narrat Euangeliſta, nempe ut ei acetum bibendum daretur.

29 *Hyſſopo circumpoſitam.* ὑσσώπῳ περιθέντες. Obſervandum, nomen ὕσσωπος hîc uſurpari non vulgari illa ſignificatione quam habet apud profanos ſcriptores, ſignificans nimirum herbam quam uſitaté appellamus hyſſopum: ſed ex conſuetudine ſcriptorum ſacrorum; apud quos Hebræa vox אזוב eſób, propter affinitatem vocum á Græcis interpretibus reddita eſt ὕσσωπος: ut inter alia loca videre eſt Exod.12. v.22. 1.Reg.4.v.33. Pſal. 51. v.9. Nomine autem אזוב non ſignificari herbam illam quam vulgo nominamus hyſſopum: intelligi poteſt ex loco illo 1.Reg.4.v.33. ubi אזוב inter arbores numeratur, tanquam minima ſcilicet arborum. Sic enim ibi ſcriptum eſt: Et locutus eſt ſeu diſſeruit (nempe Salomon) de arboribus, מן הארז, á cedro quæ eſt in Libano, uſque ad eſób qui exit (i.e. enaſcitur) in pariete. Quid ergo dicemus ſignificari nomine אזוב. Sunt qui muſcum interpretentur: at muſcus non eſt in genere arborum: ſicut אזוב, ut paulo anté oſtendimus. Videtur autem אזוב, ac proinde ὕσσωπος hoc loco, eſſe libanotis arboreſcens,qui vulgo roſmarinus dicitur: idque propter has rationes. primúm, quia Judæi eo ſunt uſi pro aſpergillo, ad aſpergendum ſanguinem victimarum: ut videre eſt Exod.12. v.22. Levit.14. v.6.& 7. item ad aſpergendum aquam, Num.19. v.18. Ad hunc autem uſum inprimis idoneus eſt ros marinus, propter foliorum denſitatem, parvitatem & copiam. Deinde, quia opponitur cedro tanquam arborum minima: libanotidem autem nonnullis locis arboreſcere, notum eſt. Tum, quia dicitur naſci in pariete: libanotis autem locis ſaxoſis gaudere traditur. Poſtremó

quia

quia quod hic á Johanne nominatur ὕσσωπος, id á Matthæo cap.27.v.48. vocatur κάλαμος: quo nomine ipsa stirps libanotidis significari videtur, ramusculis undiquaq; resectis. Ad horum confirmationem addere libet, quę amicus quidam, vir reconditæ doctrinæ inprimis deditus, ex codice quodam suo descripta mecum communicavit: nempe ex libro cujusdam Francisci Georgii Veneti, quem inscripsit Harmoniam mundi. Loca inde excripta, sunt hæc, Tomo 4. cap.31. Cantici primi: Unde non abs re rosmarinus erat in frequenti usu sacrificiorum in lege veteri: quem Hebraicé vocant Ezób: sed ex vicinitate vocabuli, nostri traduxerunt hyssopum. Item cap. 28. cantici primi, tomo 7. Celebratur quoque nimis planta illa, quæ in Hebræo dicitur Ezob: quod ex vicinitate vocabuli traduxerunt hyssopum: sed pro veritate libanotis est: quem Romani priús, sed hodie Italici omnes rosmarinum dicunt: quæ inter plantas quidem nobilissima est, & magis quām existimatur excellens: quamvis multitudine & frequentia vilescat. Item cap. 17. cantici secundi, tom.3. Hyssopus veró aut libanotis (ut alibi declaravimus) planta quidem est omnium excellentissima, ut sapientibus notum est, & aspersioni aptissima: quum ramusculos habeat ligneos, densissimis & minutis foliis. Hinc ipsa jubebātur fieri aspersiones &c. Item capite 6. cantici secundi, tom.4. Aderat quoq; in illa expiatione, altissima larix vel cedrus, & minima omnium hyssopus: quæ aut ipse rosmarinus est, aut species quædam ipsius: ut de mente quorundam alibi diximus: qui est minima arbor, &c.

30 *Consummatum est.* τετέλεσται. Nempe quicquid á me fieri debuit ad redemtionē electorum. Sic paulo-anté v.28. *Tradidit.* παρέδωκε. Nempe in manus patris: Luc.23.v.46. *Spiritum.* τὸ πνεῦμα. Id est, animam.

31 *Non manerent &c.* Mansissent autem nisi mox fuissent sublata: etenim sabbatum instabat, quippe incipiens á vespera statim post occasum solis: in sabbato autem non licebat Judæis quicquam servilis operis facere. *Erat parasceue.* Vide suprá v.14. *Erat magnus dies.* ἦν μεγάλη ἡ ἡμέρα. His verbis ratiò exponitur, cur minimé licuisset Judæis, sabbato de cruce tollere corpus Jesu: quia nimirum sabbatum illud fuerit magnum, id est maxime solenne, concurrente scilicet duplici solennitate, una sabbati, altera festi paschæ. *Ac tollerentur,* καὶ ἀρθῶσιν. Nempe ipsi, αὐτοί. Scil. crucifixi, de cruce.

33 *Ad Jesum autem quum venissent &c.* Hinc apparet, eos cruribus unius latronis confractis, Jesum in medio pendentem præteriisse, & ad extremum reservasse: haud dubié, ut eum diutiús in cruciatu relinquerent.

34 *Latus ejus fodit.* Nempe ad explorandum an esset mortuus. *Exivit sanguis & aqua.* Quod erat certum signum mortis, transfosso nimirum pericardio & aquæ conceptaculo: quo effuso animal quodvis mori protinus necesse est: sicut D. Junius admonuit.

36 *Scriptura.* ἡ γραφή. nempe quæ mox citatur ex Exod.12. At ibi sermo est de agno paschali. Intelligamus igitur, agnum illum fuisse typum Christi, tanquam veri agni qui tollit peccatum mundi.

37 *Videbunt.* ὄψονται. Videlicet oculis mentis. hoc est, cognoscent eum tandem pro suo servatore.

38 *Ut qui esset discip.* ὢν μαθητὴς. His verbis indicatur caussa impulsiva quæ impulit Josephum, ut corpus Jesu á Pilato peteret. *Propter metum Judæorū.* διὰ τὸν φόβον τῶν ἰουδαίων. Id est, propterea quod metuebat Judæos, id est, principes Judæorum, qui decreverant, ut si quis Jesum confiteretur esse

esse Christum, synagoga moveretur: Iup. c. 9. v. 22. *Ut tolleret.* ἵνα ἄρῃ. Id est, ut liceret sibi tollere seu auferre de cruce & sepelire.

40 *Cum aromatibus.* μετὰ τῶν ἀρωμάτων. Cum aromatibus illis. quorum scil. facta est mentio versu superiore, videlicet cum myrrha & aloë quæ attulerat Nicodemus. Veruntamen aromatibus illis non fuit unctus atq; pollinctus: quia non licebat propter temporis brevitatem. Imminebat enim sabbatum. Et mulieres sabbato demum finito, venerunt ad monumentum ut Jesum ungerent. *Funerare.* ἐνταφιάζειν. Sive pollincere. Vide supra ad cap. 12. v. 7.

42. *Propter parasceuen.* Vide supra v. 14.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. 19.

I. Ex ver. 1. Hic recurrit eadem observatio quam paulo-ante annotavimus ad v. 39. capitis præcedentis, de prudentia carnis ex duobus malis minus eligente. Vide illic.

II. Ex v. 2. & 3. Si accidat, nos propter confessionem regis nostri Christi, omnis generis contumeliis á mundo affici: consolemur nos exemplo illius: cui idem accidisse videmus. Sic quum hodie in Hispania confessores Euangelii ad supplicium adducuntur, pileoli flavi ignominiæ caussa eis imponuntur: item infulæ chartaceæ in quibus imagines diabolorum & gehennæ depictæ sunt. Nonnulli quoque ad pileolos ejusmodi flavos perpetuó gestandum damnantur.

III. Ex v. 4. & 6. Quód innocentiæ Christi toties ab ipso judice testimonium est perhibitum, facit ad nostram consolationem: ut videlicet sciamus, Christum non propter sua ipsius peccata passum esse, sed propter nostra: item ut sciamus, sacrificium mortis Christi pro nobis oblatum, Deo fuisse acceptum: quippe quum & sacerdos fuerit sanctus, & victima sancta.

IV. Ex v. 5. & 6. Quód Judæi non fuerunt ad misericordiam commoti miserabilissimo spectaculo Christi flagellati, quo tamen ipse Pilatus homo ethnicus commotus fuit: admonet nos de potentia atque efficacia diaboli in hostibus Euangelii. Quod si accidat ut nos quoq; propter Euangelii confessionem, ab hostibus illius similem inhumanitatem experiamur: consolemur nos exemplo Christi, domini & magistri & denique capitis nostri.

V. Ex v. 7. Criminantur Judæi Christum, quód se fecerit filium Dei, id est, quód docuerit se esse filium Dei, quum tamen non sit: & hanc doctrinam blasphemiæ damnant. At Christus hanc suam doctrinam illustribus miraculis & testimoniis, ac inprimis voce ipsius Dei cælitus pronuntiata, confirmaverat. Verúm ad hæc argumenta Judæi petulanter & oculos & aures clauserunt: indulgentes falsis suis opinionibus de regno Christi, & odio suo adversus Christum qui hypocrisin ipsorum reprehenderat. Similiter hodie inquisitores (ut appellantur) hæreticæ pravitatis criminātur confessores Euangelii, quód sint hæretici, quia scilicet subscribere nolunt ipsorum placitis & humanis commentis: at interim neq; hæreseos illos ex verbo Dei convincunt, neque argumenta quibus illi confessionis suæ veritatem ex verbo Dei demonstrant, audire volunt, sed tantúm eos apud judices politicos ad supplicium deposcunt. Consolentur igitur se confessores Euangelii, exemplo Christi.

VI. Ex v. 8. Pilatus quum audivisset, Jesum accusari quód sese affirmasset filium

filium Dei: magis timuit eum condemnare: existimans nimirum gravius esse peccatum injuria afficere aliquem Deum, quám hominem innocentem. Hinc perspicitur, etiam in Ethnicis aliquem divini numinis sensum ac metum superesse. Quare ethnicis deteriores esse oportet prælatos Papisticos: qui absque ullo Dei metu doctrinam cælestem verbo Dei traditam atque adeó ipsum Dei verbum tam superbé contemnunt & tam securé irrident, imó etiam hæreseos, id est mendacii damnant.

VII. Ex ver. 9. Jesus á Pilato interrogatus, unde esset; hoc est, essétne homo mortalis ex terra oriundus, an veró Deus quispiam immortalis oriundus é cælo: nullum responsum dedit: quia nimirum videbat, Pilatum veritatis illius cælestis de sua persona, capacem non esse; illamque auditam irrisurum, sicut paulo-anté quum Christus declarasset naturam sui regni, affirmans se ad hoc venisse in mundum ut testimonium det veritati: Pilatus per contemtum dixit, Quid est veritas? suprá cap. 18. v. 37. Hinc discemus, non ad quamvis quæstionem respondendum esse: ac nominatim non esse cavillis ac sannis profanorum hominum prostituendam doctrinam cælestem verbi Dei. Sic vetat Christus sanctum dare canibus, & margaritas coram porcis projicere.

VIII. Ex ver. 10. Pilatus ægré fert silentium Jesu, tanquam cum sui contemtu conjunctum, ac proinde quem paulo-anté tanquam Deum quempiam incipiebat revereri, ei nunc tanquam homini mortali minatur, suamq; in illum potestatem superbé jactat. Hinc videmus, in hominibus Spiritu Dei non illuminatis non esse constantem, sed evanidum Dei timorem: & cor hominis fraudulentum esse, sicut Jeremias affirmat, cap. 17. v. 9. Deinde hinc perspicimus, quám cæca sit superbia. Etenim Pilatus dum jactat se habere potestatem Jesum vel absolvendi vel crucifigendi, hoc ipso se injustitiæ damnat. neque enim habuit absolutam potestatem utrumvis faciendi: sed absolvendi insontem, crucifigendi sontem: at Jesum ipse jam aliquoties insontem pronuntiaverat: non igitur habuit potestatem illum crucifigendi, sed debuit eum absolvere.

IX. Ex v. 11. Quum potestas judiciorum criminalium, atq; item civilium, sit á Deo: caveant sibi magistratus, ne illa abutantur pro sua libidine: sed cogitent, se aliquando administratæ illius rationem Deo reddituros.

X. Ex eod. Peccata non sunt æqualia, ut Stoici olim docuerunt: sed aliud alio majus est. Sicut hoc loco affirmat Christus, majus esse peccatum Judæorum qui Pilatum ad injustam ipsius damnationem suis minis adigebant, quàm Pilati qui illorum minis cedens ipsum injustè damnaret.

XI. Ex v. 12. 13. 14. 15. & 16. Pilatus, ne amittat gratiam Cæsaris, non veretur offendere Deum; damnando Jesum, quem judicabat innocentem: ne à Judæis apud Cæsarem accusaretur, quód non coërceret rebelles, quo crimine Jesum gravabant. Nos contrà teneamus illud Christi: ut demus Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt: ac potiorem ducamus gratiam Dei quàm vel potentissimorum hominum.

XII. Ex ver. 15. Sacerdotes dicunt, Non habemus regem nisi Cæsarem. quibus verbis regem sibi promissum, nempe Messiam sive Christum, prorsus repudiant: in quo tamen veram felicitatem repositam esse nôrant. Huc eos adegit vis iniqui odii erga Jesum. Quare caveamus, ne iniquo odio indulgentes, vita æterna nos sponte privemus.

XIII. Ex v. 17. & 18. Considerandum, cur Christum oportuerit ad locum supplicii educi extra urbem: cur crucifigi: cur medium inter duos latrones suspendi?

ſupendi? Cauſa eſt, ut ſciremus, peccata noſtra per mortem ipſius eſſe expiata, nempe quatenus in cruce guſtavit pro nobis mortem æternam. Heb. 2. ver. 9. Etenim peccata noſtra ei fuiſſe impoſita, atque adeó ipſum omnibus omnium electorum peccatis fuiſſe onuſtum: perſpicitur ex eo, quód reputatus eſt inter latrones, ſicut & Eſaias (cap. 53.) fore prædixit, & quidem inter duos latrones medius ſuſpenſus fuit, tanquam illis ſceleratior ac deteſtabilior. Supplicium autem ipſius habuiſſe rationem ſacrificii, quo peccata noſtra ipſi impoſita, expiarentur; liquet ex eo quód extra urbem ad ſupplicium eductus fuit. ſic enim olim hoſtiæ Chriſtum præfigurantes, quarum ſanguis pro peccato fundebatur, ſolebant extra caſtra efferri ex legis mandato, Exod. 29. 14. Levit. 4. 11. quam Legis figuram in Chriſto completam eſſe monet Apoſtolus Heb. 13. v. 11. & 12. Eodem pertinet, quód ſuſpenſus fuit de ligno; ea enim re fuit ſignificatum, Chriſtum pro nobis factum eſſe execrationem, ut nos ab execratione Legis redimeret: ſicut docet Paulus Gal. 3. v. 13. quo ſenſu & Petrus dicit, Chriſtum pertuliſſe peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum, 1. Pet. 2. 24.

XIV. Ex v. 19. 20. 21. & 22. Deus ſua providentia ita gubernavit manum Pilati ut in ſcribendo titulo crucis, teſtimonium honorificũ Chriſto, quamvis aliud agens, perhiberet: Videlicet ipſum eſſe regem illum Judæorum, id eſt populi Dei. Sic antea rexerat linguam Caiaphæ, ut affirmaret, expedire Jeſum mori pro populo: ſuprà cap. 11. v. 50. & cap. 18. v. 14. Diſcamus igitur famam atq; exiſtimationem noſtram commendare providentiæ Dei: hæc facilé eam tutam præſtabit.

XV. Ex v. 23. & 24. Notetur hîc pars argumenti quo demonſtratur, Jeſum Mariæ virginis filium eſſe promiſſum illum Meſſiam ſeu ſervatorem mundi: nempe quód in eo impleta eſt prophetia Davidis quæ extat Pſalm. 22. de veſtibus ipſius.

XVI. Ex v. 25. Quód Maria mater Jeſu, & reliquæ duæ Mariæ cruci Jeſu aſtiterunt, argumentum fuit fidei ipſarum. niſi enim conſtanter in eum credidiſſent, non ita conſtanter ei extrema patienti adhæſiſſent, Hanc fidem imitemur, & Chriſto conſtante confeſſione adhæreamus: ídque eo magis, quód jam non pendet in cruce cum ignominia, ſed regnat in cœlo cum gloria, ſedens ad dexteram patris.

XVII. Ex v. 26. & 27. Quód Jeſus commendat matrem Johanni, alendam ſcil. ac defendendam: exemplum eſt pietatis erga parentes nobis ad imitandum propoſitum. Item, quód Johannes ad commendationem Jeſu, Mariam ſtatim ad ſe recipit: exemplum eſt promtitudinis atque alacritatis in perficiendis mandatis Chriſti, nobis item ad imitandũ propoſitum. Commendavit autẽ nobis pauperes: ergo his promté & alacriter benefaciamus.

XVIII. Ex v. 28 & 29. Rurſum notetur pars argumenti quo probatur, Jeſum eſſe promiſſum illum mundi ſervatorem: nempe quod in eo impleta eſt prophetia quæ extat Pſal. 69. de potu aceti qui ipſi præbendus erat.

XIX. Ex v. 30. Quum ſentiemus adeſſe horam mortis: commendemus unuſquiſque animam ſuam in manus Dei: exemplo Chriſti. Sic Stephanus animam ſuam commendavit in manus Chriſti. Act. 7. penult.

XX. Ex v. 31. 32. 33. 34. 35. 36. & 37. Rurſum hic notentur duæ partes argumenti, quo oſtenditur, Jeſum eſſe Chriſtum: quia videlicet in eo impleta eſt ſcriptura de oſſibus ejus non frangendis, & de ipſo transfigendo.

XXI. Ex v. 31. Exemplo Judæorum rogantium ut corpora tollerentur è crucib. ſicut nimirum Deus in lege præceperat: admonemur de ingenio hypocrita-

pocritarum: qui rebus minutis atque externis tantùm intenti, sine ullo scrupulo maxima scelera prætereunt. nam ut sabbatum suum religiosè celebrent, de externa pollutione anxii sunt: interea non reputant quàm nefandum fuerit scelus, vita privare hominem innoxium. Sic supra cap. 18. v. 28. noluerunt ingredi prætorium ne se polluerent: quum tamen interim totam regionem pollueret eorum impietas. Vide illic.

XXII. Ex v. 34. Christus in cruce mortuus duplici symbolo testificatur, sanguinem ipsius habere vim expiandi, itemq; purgandi seu abluendi nos à peccatis, quatenus nimirum paulo antè effusus fuit cum sensu iræ Dei.

XXIII. Ex v. 36. Quod Moses scripsit de agno paschali, id Johannes ad Christum transfert. hinc intelligitur, Agnum paschalem fuisse typum Christi. quod ipsum Paulus quoque significat, 1. Cor. 5. inquiens, Pascha nostrum pro nobis immolatum est, nempe Christus.

XXIV. Ex v. 38. & 39. In Josepho & Nicodemo proponitur nobis exemplū confessionis Christi. Et certè si illi sese Christi discipulos profiteri non sunt veriti, quum is in extrema jaceret ignominia: quanto magis nos hodie confitebimur Christum, quum jam regnet in cœlesti gloria?

XXV. Ex v. 40. Sicut olim Judæi spem suam de resurrectione carnis testati sunt pretiosa aromatum conditura: ita nos hodie spem eandem profiteri debemus, sed longè clariore argumento, videlicet exemplo resurrectionis Christi.

XXVI. Ex vers. 41. & 42. Singulari providentia Dei factum est, ut corpus Christi sepeliretur in monumento novo, in quo nondum quisquam positus fuerat: ne diabolus posset cavillari, non esse certum an corpus ipsius Christi, an verò alterius alicujus ex illo sepulchro excitatum sit. Sic igitur Deus fidem nostram undiquaque munitam esse voluit.

ANALYSIS CAP. XX.

ARGUMENTUM.

Deinceps per duo postrema capita narratur, quomodo Christus post resurrectionem suam ex mortuis, sese vivum ostenderit discipulis suis.

PRimo verò die *hebdomadis, Maria Magdalene venit manè quum adhuc tenebræ essent, ad monumentum: videtque lapidem sublatum à monumento.*

2 *Currit ergo & venit ad Simonem Petrum, & ad alterum illum discipulum quem amabat Jesus: & dicit eis, Sustulerunt Dominum è monumento, & nescimus ubi posuerint eum.*

3 *Exivit ergo Petrus, & alter ille discipulus, & venerunt ad monumentum.*

4 *Currebant autem duo simul: sed alter ille discipulus præcurrit citiùs Petro, venitque prior ad monumentum.*

5 *Et quum se incurvasset, vidit posita lintea: non tamen introivit.*

6 *Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum, & conspexit lintea ibi posita:*

7 *Et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteis positum, sed seorsum involutum in unum locum.*

8 *Tunc ergo introivit etiam alter ille discipulus, qui venerat prior ad monumentum, viditque, & credidit.*

9 *Nondum*

9 *Nondum enim noverant Scripturam videlicet, quòd oporteret eum à mortuis resurgere.*

10 *Redierunt ergo illi discipuli ad suos.*

11 *Maria verò stens stabat ad monumentum foris. Dum ergo fleret, incurvavit se in monumentum:*

12 *Et conspexit duos Angelos albatos, sedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes, illic ubi jacuerat corpus Jesu.*

13 *Qui etiam dixerunt ei, Mulier, quid fles? Dicit eis, Sustulerunt dominum meum, nec scio ubi posuerint eum.*

14 *Et quum hæc dixisset, conversit se retrorsum, conspexitque Jesum stantem: nec sciebat Jesum esse.*

15 *Dicit ei Jesus, Mulier, quid fles? quem quæris? Illa, putans hortulanum esse, dicit ei, Domine, si tu asportasti ipsum, dicito mihi ubi posueris eum: & ego eum tollam.*

16 *Dicit ei Jesus, Maria. Illa se convertens dicit ei, Rabboni, quod dicitur Præceptor.*

17 *Dicit ei Jesus, Ne me tangito: nondum enim ascendi ad Patrem meum: sed vade ad fratres meos, & dic eis. Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum.*

18 *Venit Maria Magdalene annuntians discipulis quòd vidisset Dominum, & quòd ea sibi dixisset.*

19 *Quum ergo vespera esset die illo primo hebdomadis, & fores essent clausæ illic ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus: stetitque in medio* iplorum *& dixit eis, Pax vobis.*

20 *Et quum hæc dixisset, ostendit eis manus ac latus suum. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.*

21 *Dicit autem eis iterum. Pax vobis: sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.*

22 *Et quum hæc dixisset, afflavit eos & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum.*

23 *Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt.*

24 *Thomas autem, unus ex illis duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venerat Jesus.*

25 *Dixerunt igitur ei cæteri discipuli, Vidimus Dominum. Ille verò dixit eis, Nisi videro in manibus eius vestigium clavorum, & immisero digitum meum in vestigium clavorum, & immisero manum meam in latus eius, nequaquam credam.*

26 *Octo ergo post diebus rursus erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis: venit Jesus foribus clausis, & stetit in medio* iplorum, *& dixit, Pax vobis.*

27 *Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & profer manum tuam, & immitte* eam *in latus meum: & ne esto incredulus, sed credens.*

28 *Respondit autem Thomas, & dixit ei, Domine mi & Deus mi.*

29 *Dicit ei Iesus, Quia vidisti me, Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

30 *Multa verò etiam alia signa edidit Iesus in discipulorum suorum conspectu, quæ non sunt scripta in hoc libro.*

31 *Hæc autem scripta sunt, ut credatis Iesum esse Christum Filium illum Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen eius.*

Capitis hujus sunt quatuor principales partes. In prima narratur, cui omnium primo innotuerit Domini resurrectio, & quomodo: nempe Johanni & Petro, qui moti indicio Mariæ Magdalenæ de sublato corpore Jesu, sepulchrum inspexerunt, ac linteis solis repertis, Dominum resurrexisse credide-

crediderunt, vsque ad versic.11. In secunda parte narratur, quomodo eadem Maria viderit in sepulchro duos angelos,& mox extra sepulchrum Jesum ipsum: quem tamen initió non agnovit, donec nominatim ab eo compellaretur: item quomodo mandata Domini ad discipulos detulerit, usque ad v.19. In 3.parte narratur, quomodo se Jesus patefecerit discipulis in domo clausa congregatis; & quibus mandatis, quaque facultate simul & potestate ad ministerium verbi eos instruxerit, usque ad v.24. In quarta parte narratur de Thoma, quomodo is narrationi condiscipulorum, testantium Dominum resurrexisse, fidem detraxerit,& quomodo post octiduum Dominus se ei patefecerit, ejusque incredulitatem reprehenderit: ipse verò fidem suam plenissimé confessus sit,usque ad v.30.Duobus postremis versibus rejicit Euangelista narrationem plurium miraculorum Christi: & causam finalem duplicem exponit,cur ea quæ hoc libro continentur conscripserit.

SCHOLIA IN CAP. XX.

1 *Primo verò die hebdomadis.* τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων. τῇ μιᾷ, pro τῇ πρώτῃ, scilicet ἡμέρᾳ. Hebraismus. Sic Gen.1.v.5.Facta est vespera & factum est mane dies unus,id est, primus. Σαββάτων autem vocabulo, numero plurali, significatur hebdomas: quanquam apud Hebræos,in sacris quidem literis, in hac significatione non nisi numero plurali reperitur, ad significandum non hebdomadem unam,sed plures: ut Levit.23.v.15.& cap.25.v.8.Ad eundem plané modum loquitur & Matthæus cap.28.v 1.item Paulus, 1.Corint. 16.versu 2. *Lapidem.* τὸν λίθον. nempe qui obvolutus erat ostio monumenti.

2 *Alterum illum,&c.* Periphrasis Johannis. Vide suprá cap.19.v.26. *Sustulerunt.* ἦραν. Pro,Sublatus est Dominus. Oratio impersonalis.nam ignorabat,quis sustulisset.

3 *Ad.* εἰς. Pro,πρὸς.

4 *Prior.* πρῶτος. Id est,πρότερος.

5 *Quum se incurvasset.* παρακύψας. Vel,Quum introspexisset. παρακύπτειν, est prono capite & propenso collo accuratè introspicere. Contrà ἀνακύπτειν est suspicere, oculis & capite sursum erectis: ut Luc.21. versu.28. Quum hæc fieri incipient,ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν, suspicite & attollite capita vestra. Propria illa significatio verbi παρακύπτειν liquet etiam ex usurpatione ejus metaphorica Jacob.1.ver.25. ὁ δὲ παρακύψας εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας. Qui autem introspexerit in perfectam illam legem libertatis.

8 *Viditque.* καὶ εἶδε. Scilicet lintea & sudarium. *Et credidit.* καὶ ἐπίστευσεν. Etsi ex collatione versiculi sequentis,itemque versiculi secundi suprá,videri possit hoc ita exponendum, quód crediderit Johannes Christum é sepulchro surreptum esse: tamen quia verbum *credendi* absolute positum intelligi solet de fide in Christum,videtur potiús ita exponendum, quód crediderit Christum resurrexisse, sicut narraverant mulieres teste Luca: ex cujus narratione liquet Petrum tum demum ad monumentum cucurrisse, quum jam unà cum cæteris apostolis nuntium illum de Domini resurrectione ex mulieribus audivisset: Vide Luc.24.

9 *Nondum enim noverant.* οὐδέπω γὰρ ᾔδεισαν. His verbis rationem exponit, cur tum demum crediderit, Dominum surrexisse, quum resurrectionis vestigia vidit in monumento. Nam si cognitam jam tum habuisset

Scripturam

Scripturam quæ Christum resurrecturum prædixit: credidisset, etiam signis resurrectionis non conspectis.

10 *Illi discipuli.* οἱ μαθηταὶ. nempe Petrus & Johannes. *Ad suos.* πρὸς ἑαυτούς. Ad se. id est, domum suam. Metonymia.

11 *Incurvavit se.* παρέκυψεν. Vel, *introspexit.* Vide suprà v. 5.

12 *Albatos.* ἐν λευκοῖς. Ad verb. *In albis.* Subaudi ἱματίοις, vestimentis. *Ad caput.* πρὸς τῇ κεφαλῇ. Id est, ad eam sepulchri partem in qua situm fuerat caput Jesu. Metonymia. Sic Gen. 47. v. ult. Incurvavit se Jsraël ad caput lecti sui. id est, ad cervical. Sic mox, ad pedes.

13 *Dominum meum.* Id est, corpus domini mei. Synecdoche integri.

17 *Nondum enim ascendi.* Οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα. Ex his verbis & proxime sequentibus licet colligere, Mariam ea mente Christum voluisse tangere, ut cum eo maneret tanquam jam in plenum suæ gloriæ statum ingresso. hunc errorem Christus reprehendit: ac monet, familiarem illam ipsius in gloriam recepti fruitionem reservari alii tempori, quum scilicet ipse jam in cælum ascenderit. Nunc autem aliud urgere quod Mariæ agendum sit, nempe ut resurrectionem ipsius annunciet discipulis. *Fratres meos.* τοὺς ἀδελφούς μου. Intelligit discipulos: ut liquet ex collatione versus sequentis. *Ad patrem.* πρὸς τὸν πατέρα. Post articulum τὸν, videtur subaudiendum participium ὄντα quasi dicat: Ascendo ad eum qui est pater meus & pater vester, item Deus meus & Deus vester.

18 *Et quòd ea sibi dixisset.* καὶ ταῦτα εἶπεν αὐτῇ. Post conjunctionem καὶ repetenda est conjunctio ὅτι ex præcedente membro.

19 *Die illo primo hebdomadis.* τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων. Ut suprà ver. 1. *Propter metum Judeorum.* ut suprà cap. 19 v. 38.

21 *Sicut misit me, &c.* Ut suprà cap. 17. v. 18.

22 *Afflavit eos.* ἐνεφύσησε. Scilicet αὐτοῖς. *Accipite Spiritum sanctum.* Ergóne flatus ille erat Spiritus sanctus? Respondeo: Flatus ille sic erat Spiritus sanctus, sicut columba illa quam vidit Johannes Baptista é cælo descendentem super Christum: nempe ut signũ seu symbolum. nam hoc flatu testatus est Dominus se discipulis dare Spiritũ sanctum, eóq; ilios quasi afflare.

23 *Remiseritis.* Nempe annuntiando eis remissionem peccatorum, testandoque remissa eis esse. Metonymia subjecti. nam in remissione peccatorum annuntianda ministri occupantur: propriè autem loquendo solus Deus peccata remittit. *Retinueritis.* Testando scilicet quód eis retineantur, ut suo tempore puniantur á Deo.

24 *Qui dicitur Didymus.* ὁ λεγόμενος Δίδυμος. Nempe si interpreteris Græcé. nam Hebraicé gemini dicuntur תאומים theomim: Græcé verò δίδυμοι, qui διὰ τῆς γαστρὸς ἐξέδυσαν. id est, qui gemini unoque partu ex utero matris emerserunt.

25 *Vestigium.* τύπον. τύπος á τύπτω, quod percutiendo imprimitur, & á percussione in corpore percusso relinquitur. Hinc τυπογραφία dicta, ars illa scribendi non calamo, sed characterib. in chartam percussis atque impressis.

26 *Intus.* ἔσω. Nempe in illa domo in qua sedebant conclusi: suprà v. 19. *Venit.* ἔρχεται. Pro, τότε ἔρχεται. tum venit. Asyndeton. *Foribus clausis.* τῶν θυρῶν κεκλεισμένων. Id est, Quum fores essent clausæ. Genitivi absolute positi, notantes circumstantiam temporis. ut si quæras, Quando vênit? respondet Evangelista, Foribus clausis, id est eo tempore quo fores erant clausæ. Quomodo autem ingressus sit, non exponitur. Ac nimis impudentes sunt,

qui contendunt, per fores clausas ingressum esse: & quidem idipsum hoc loco dici.

28 *Domine mi & Deus mi.* ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου. Pro, ὦ κύριέ μου καὶ ὦ θεέ μου. ut suprà cap. 19. vers. 3. His verbis Thomas suam de Christo fidem confitetur: quam Christus versu sequente approbat.

29 *Quia vidisti me.* Scilicet jam á mortuis excitatum. *Credidisti.* Nempe me á mortuis resurrexisse, ac proinde dominum ac Deum tuum esse. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Id est, Beati qui quamvis me non viderunt, tamen crediderunt. Prorsus veró inepti sunt qui hoc trahunt ad commendandum errorem eorum qui opinantur, corpus Christi esse in pane cænæ Dominicæ, etsi id ibi non videant. At, inquam, hęc valde dissimilia sunt. nam Christum á mortuis resurrexisse credimus, etsi ipsum nondum videamus: sed credimus, quia Apostoli id testati sunt: & Thomas quoque eandem ob causam id credere debuit, tum etiam quód Christus ipse non semel id prædixerat. At corpus Christi esse in pane cænæ non credimus: nec debemus nec possumus credere: quia Apostoli id nusquam testati sunt: imó contrarium testati sunt, nempe oportere ut cæli Christum capiant usque ad tempora restitutionis omnium. Facessant igitur isti cum puerili sophismaté suo.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. XX.

1. Ex toto hoc capite & sequente, Articulus nostræ fidei, quo credimus & confitemur, Christum ex mortuis resurrexisse tertio die, certus est: quia plurimis iisque fide dignissimis testimoniis & argumentis confirmatus: quæ partim in hoc capite, partim in sequenti recitantur. Hæc autem res primúm facit ad demonstrandum, quód Jesus ille crucifixus in quem credimus, sit Christus seu promissus ille Messias: quia inter alia hoc quoque in Scriptura de Christo prædictum erat: sicut meminit Euangelista hoc capite, vers. 9. Unde & Christus ipse hoc signum dederat Judæis ad probandum suam doctrinam: Matth. 12. versu 39. Joh. 2. versu 19. Deinde facit hoc ad demonstrandum, quód peccata nostra (quæ nimirum Christo tanquam nostro sponsori erant imposita) jam sint per sacrificium mortis ejus expiata, nosque ab illis justificati seu absoluti. Etenim si vel unum ex illis peccatis quę Christus expianda susceperat, inexpiatum mansisset: non potuisset Christus ad vitam æternam & gloriam cælestem adeundam resurgere. Nam ubi peccatum adhuc imputatur, ibi mors adhuc regnum habet. Hunc resurrectionis Christi fructum indicat Paulus, Rom. 4. versu ult. ubi dicit, Jesum traditum esse (nempe in mortem) propter lapsus nostros (videlicet expiandos, suæ mortis sacrificio) & excitatum esse (videlicet ex morte) propter justificationem nostri. Videlicet testificandam seu demonstrandam. Item 1. Cor. 15. ver. 17. Si Christus non est excitatus: adhuc estis in peccatis vestris. Ergo é contrario, Si Christus est excitatus: non sumus amplius in peccatis nostris. id est, non sumus amplius obnoxii pœnis peccatorum nostrorum: sed sumus á peccatis nostris justificati seu absoluti, atque ita á pœnis eorum liberati: quippe quas scimus Christum pro nobis luisse, & judicio Dei pro illis plené satisfeciisse: sicut resurrectio ipsius claré demonstrat.

Tertius fructus est, quód sicut Christus resurrectione sua demonstravit se morte sua impetrasse nobis remissionē peccatorum, irā patris placasse & favorem

favorem conciliasse: ita ex consequenti simul demonstravit, se impetrasse nobis à Patre Spiritum S. per quem donaremur fide atque ita vivificaremur; item serio studio pietatis, atque ita in novitate vitæ ambularemus. Hic igitur fructus in genere unus est, videlicet donatio Spiritus sancti: in specie autem duplex; vivificatio, & vitæ novitas. De priore loquitur Christus Johannis 5. v. 25. inquiens; Amen amen dico vobis, veniet tempus & nunc est, quum mortui audient vocem filii Dei; & qui audierint, vivent. De posteriore loquitur Paulus Rom. 6. v. 4. & deinceps; Sepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem; ut sicut excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, &c.

Quartus fructus resurrectionis Christi est, quód inde certam spem concipimus, nos quoque similiter, hoc est, ad eandem vitam & gloriam resurrecturos. Cujus rei ratio est, quód per fidem sumus Christi membra. Non convenit autem, ut caput sit in gloria, ac interim membra relinquantur in ignominia. Item quia ipse est primogenitus inter fideles tanquam fratres. Ergo fideles communem cum ipso habent hæreditatem. Hunc fructum indicat Paulus 1. Cor. 15. vers. 12. & deinceps. Ad quem fructum illustrandum & confirmandum pertinent verba ejusdem Col. 1. v. 18. Rom. 8. v. 29.

II. Ex vers. 12. & 13. Videmus hîc primùm, Angelos esse: contra errorem Sadducæorum. deinde, illos á Deo mitti ad sanctos homines, ut eis annuntient ea quæ ipsos scire, salutis eorum interest. Vide Heb. 1. ver. ult. Sunt autem cum hoc Johannis loco conferenda quæ de eadem re pleniùs narrant cæteri Euangelistæ.

III. Ex v. 17. Jam nondum est tempus ut fruamur corporali præsentia & consuetudine Christi: sed istud tum demum futurum est, quum Christus nos in cælum ad se receperit. Interim quærendus & tangendus est manu fidei, in cælum porrecta. Sicut monet Paulus Col. 3. v. 1. Si resurrexistis cum Christo, superna quærite; ubi Christus est, ad dextram Dei sedens.

IV. Ex v. 21. Quum Apostoli á Christo ipso sint missi ad docendum Euangelium; certum est, Euangelii doctrinam cælestem veritatem esse, ac proinde promta fide recipiendam.

V. Ex v. 22. Quum Christus Apostolos ad prædicandum Euangelium mittens, afflatu testatus sit, se per Euangelii prædicationem afflaturum Spiritu S. corda electorum, ut Euangelio credant; ne dubitemus, eum istud adhuc hodie præstare: ac proinde libenter Euangelii prædicationem audiamus, ut subinde magis ac magis per Spiritum sanctum afflemur ac vivificemur. Hinc autem simul perspicitur, Euangelii prædicationem per se non efficere fidem: sed necesse esse ut accedat afflatus Spiritus sancti. hinc dicitur Act. 16. v. 14. Dominum aperuisse cor Lydiæ ut attenderet ad ea quæ dicebantur á Paulo. Idem docet Christus Johannis 6. v. 44. & 45. Nemo potest venire ad me (id est, credere in me) nisi Pater qui misit me, traxerit eum, id est, cor á natura refractarium flexerit ad obsequendum mandato Patris quo jubet audire Filium. Item, Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes (nempe omnes filii Ecclesiæ, id est, electi) docti á Deo. Quisquis ergo audivit á Patre & didicit, venit ad me. Sic Matth. 16. v. 17. quum Petrus suam de Christo fidem confessus esset, videlicet quòd ipse sit Christus, filius ille Dei viventis; subjecit Christus; Beatus es Simon Bar jona; quia caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cælis; nempe per Spiritum sanctum.

VI. Præterea observandum hic est exemplum loquutionis Sacramentalis. Christus quum afflasset in Apostolos, dixit, *Accipite Spiritum sanctum.* ubi

afflatum illum nominat Spiritum S. non quód proprie-loquendo is eſſet, nec quód Spiritus S. cũ illo afflatu ſubſtantialiter unitus eſſet: ſed quõd eſſet ſignum, quo promittebat ſe per ipſorum prædicationẽ afflatum Spiritus S. exerere velle in cordibus electorum. Simili ratione in inſtitutione ſacræ cœnæ panem nominavit corpus ſuum, & vinum ſanguinem ſuum; non quòd corpus cum pane itemque ſanguis cum vino ſubſtantialiter ſit unitus; ſed quód ſint ſigna, quibus promiſit, corpus ipſius pro nobis traditum iri, & ſanguinem ipſius pro nobis effuſum iri in remiſſionem peccatorum.

VII. Ex ver. 23. Officium miniſtrorum Euangelii eſt, non ſolúm annuntiare remiſſionem peccatorum reſipiſcentibus & credentibus; verúm etiam denuntiare retentionem peccatorum impœnitentib. & incredulis. Ne autem vel hi vel illi annuntiationem iſtam parvi faciant, ac proinde nec illi ſolidam conſolationem, nec iſti convenientem timorem inde percipiant: obſervandum, teſtimonium illud quod utriſque perhibent miniſtri, tam certum eſſe, ac ſi á Deo ipſo eſſet pronunciatum. hinc enim eſt, quód miniſtri ipſi dicuntur peccata & remittere & retinere: quum tamen proprie-loquendo ſolus Deus peccata remittat aut retineat: miniſtri autem remiſſionem illam & retentionem ſolummodó annuncient.

VIII. Ex v. 27. Habemus hic exemplum inſigne bonitatis ac manſuetudinis Chriſti: qui ad tollendum incredulitatem Thomæ paratus fuit illi præſtare ea quæ expetiverat: nempe ut immitteret digitum ſuum veſtigio clavorum &c. quum ſi pro merito illum tractare voluiſſet, prorſus eum abjeciſſet, aut certé graviter eum propter incredulitatem increpaſſet: ut qui reliquorum Apoſtolorum teſtimonio fidem habere noluerit.

IX. Ex ver. 28. & 29. Vera fides de Chriſto eſt, ut credamus & confiteamur, ipſum eſſe dominum noſtrum & Deum noſtrum. Hanc enim fidei confeſſionem Dominus ipſe in Thoma probat. Eſt autem dominus noſter, non ſolúm jure creationis, ſed etiam jure redemtionis, quia precio ſui ſanguinis nos ſibi acquiſivit: Act. 20. v. 28. 1. Cor. 6. v. ult. Deus item noſter eſt, non ſolúm quia nos creavit, ſed etiam quia é poteſtate diaboli nos eripuit, & ſalutem æternam nobis contulit: Heb. 2. v. 14. Epheſ. 5. v. 23.

X. Ex v. 29. Vera fides ab ore Dei, non ab oculis carnis pendet. Hîc autem inprimis curandum, ut verbum Dei rectè intelligamus: ne ſi illi affinxerimus falſam ſententiam, falsó de fide gloriemur, ſicut hodie accidit multis: qui verbis Chriſti in inſtitutione ſacræ cœnæ ab ipſo pronunciatis falſam ſententiam affingunt: quaſi videlicet docere voluerit, ex pane ſuum corpus fieri, aut cum pane ſuum corpus ſubſtantialiter conjungi: quum tamen nihil aliud voluerit docere, quam quód panis ſignum ſit ſui corporis, quo ſignificet ac teſtetur, corpus ipſius pro nobis crucifixum iri: atque ita cibum vivificum animarum noſtrarum effectum iri, quibus illæ per fidem cibentur ad vitam æternam. Similiter intelligenda verba quæ de vino pronuntiavit: At inquiunt nonnulli, Chriſtus hoc loco beatos pronuntiat eos qui non viderunt, & tamen crediderunt: Ergo etſi corpus Chriſti cum pane preſens nõ videamus, tamen illud credere debemus. At, inquam, Chriſtus nõ loquitur in illis verbis de præſentia corporis ſui apud panem: ſed de præſentia corporis ſui apud eos quibus ſeſe poſt reſurrectionem vivum ſiſtere ipſi placuit. Quare verba iſta imperité ad fictitiam illã præſentiam detorquẽtur.

XI. Ex v. 31. Finis ſeu ſcopus atque etiam fructus Euangelii eſt, fides in Chriſtum. Fidei autem finis ac fructus eſt vita æterna. Conſer Rom. 10. v. 10. & 17. Rom. 1. v. 16. 1. Pet. 1. v. 9.

ANALY-

ANALYSIS CAP. XXI.

ARGUMENTUM.

Argumentum indicatum est in principio capitis præcedentis.

1 *POstea patefecit se rursus Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. patefecit autem sic:*

2 *Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanaël qui erat ex Cana Galilææ, & filii Zebedæi, aliique ex discipulis ejus duo.*

3 *Dicit eis Simon Petrus, Abeo piscatum. Dicunt ei, Imus & nos tecum. Profecti sunt, & ascenderunt in navigium statim: & illa nocte nihil ceperunt.*

4 *Mane autem jam exorto stetit Jesus ad litus; non tamen cognoverunt discipuli Jesum esse.*

5 *Dicit igitur eis Jesus, Pueri, num quid opsonii habetis? Responderunt ei, Non.*

6 *At ille dicit eis, Jacite rete in dextram navigii partem, & invenietis. Jecerunt ergo, & non amplius valebant istud trahere præ multitudine piscium.*

7 *Dicit ego discipulus ille quem diligebat Jesus, Petro, Dominus est. Simon ergo Petrus quum audisset Dominum esse, amictum succinxit, (erat enim nudus) & abjecit se in mare.*

8 *Cæteri verò discipuli navigio venerunt, (non enim longè aberant à terra, sed circiter cubitis ducentis) trahentes rete illud piscium.*

9 *Ut autem descenderunt in terram, vident prunas positas, & piscem impositum, & panem.*

10 *Dicit eis Jesus, Adferte ex piscibus quos modò cepistis.*

11 *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus: & quum tot essent, non tamen est fissum rete.*

12 *Dicit eis Jesus, Venite, prandete. Nullus autem discipulorum audebat eum interrogare, Tu qui es? quum scirent Dominum esse.*

13 *Venit ergo Jesus, & accepit panem & dat eis, & piscem similiter.*

14 *Hac jam tertia vice patefecit sese Jesus discipulis suis, quum resurrexisset à mortuis.*

15 *Quum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus, Simon fili Jonæ, diligis me plus quàm hi? Dicit ei, Certè Domine: tu nosti quòd amem te. Dicit ei, Pasce agnos meos.*

16 *Dicit ei rursum secundò, Simon fili Jonæ, diligis me? Ait illi, Certè Domine: tu nosti quòd amem te. Dicit ei, Pasce oves meas.*

17 *Dicit ei tertiò, Simon fili Jonæ, amas me? Tristitia fuit affectus Petrus quòd tertiò dixisset ipsi, Amas me? Dixitque ei, Domine, tu omnia nosti, tu nosti quòd amem te. Dicit ei Jesus, Pasce oves meas.*

18 *Amen amen dico tibi, quum esses junior, cingebas te, & ibas quò volebas: quū autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & transferet quò noles.*

19 *Hoc autem dixit, significans qua morte glorificaturus esset Deum. Et quum hoc dixisset, dicit ei, Sequere me.*

20 *Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem,*

qui

qui & recubuerat in cœna illa ſuper pectus ejus, & dixerat, Domine, quis eſt ille qui te prodit?

21 *Hunc ergo quum vidiſſet Petrus, dicit Jeſu, Domine, hic autem quid?*

22 *Dicit ei Jeſus, Si velim eum manere donec veniã, quid ad te? tu me ſequere.*

23 *Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, diſcipulum illum non moriturum: ſed non dixerat ei Jeſus, Non morietur: ſed, Si eum velim manere donec veniam, quid ad te?*

24 *Hic eſt diſcipulus ille qui de his teſtatur, & hæc ſcripſit: & ſcimus verum eſſe teſtimonium ejus.*

25 *Sunt autem & alia multa quæ fecit Jeſus; quæ ſi ſcribantur ſigillatim, ne mundum quidem ipſum opinor capturum eos qui ſcriberentur libros. Amen.*

Cohæret hoc caput cũ præcedente: continet enim adhuc unam patefactionem Jeſu poſt reſurrectionem. Sunt autem duæ partes. In prima parte narratur, quomodo ſe patefecerit Jeſus diſcipulis ad mare Tiberiadis, uſq; ad v. 15. In altera parte narratur colloquium Domini cum Petro: ubi Dominus ei commendat paſcendas oves ſuas: prædicit ei mortem violentam ſeu martyrium: & reſpondet de Johanne, nempe hoc ipſo Euangeliſta, qui hunc librum ſcripſit.

SCHOLIA IN CAP. XXI.

3 *In navigium.* εἰς τὸ πλοῖον. Nempe τὸ τῦ Πέτρυ. ut percipitur ex verbis Petri, Abeo piſcatum.

5 *Opſonii.* προσφάγιον. Vox προσφάγιον compoſita eſt ex πρὸς & φάγω: ſignificat enim omne id quo cum pane veſcimur.

6 *In dextram partem.* εἰς τὰ δεξιὰ μέρη. Hinc intelligi poteſt, in illa phraſi, ἐκ δεξιῶν, quæ ſæpe occurrit, ſubaudiendum μερῶν. *Præ multitudine.* ἀπὸ τῦ πλήθους. Hebraiſmus. Sic enim Hebræi uſurpant præpoſitionem מן. pro διὰ τὸ πλῆθος, propter multitudinem.

Diſcipulus ille quem diligebat &c. Periphraſis Johannis: ut percipitur ex collatione verſ. 20. & v. 24. infrá. *Dominus eſt.* ὁ κύριός ἐστι. Scil. ὁ ἡμῶν. *Amiculum.* τὸν ἐπενδύτην. Induſium. *Succinxit.* Nempe partim pudoris cauſſa (ut D. Beza annotat) partim etiam (ut opinor) ne induſio laxato ac diffluente impediretur in natando.

8 *Trahentes.* σύροντες. Suprá v. 6. pro verbo *trahere* in Græco eſt ἑλκύσαι: quod eſt generale. at σύρειν eſt proprié per pavimentum vel ſolum trahere: unde σύρμα veſtis caudata matronarum nobilium, cujus cauda per ſolum trahitur. *Rete illud piſcium.* τὸ δίκτυον τῶν ἰχθύων. id eſt, in quo erant illi piſces quos ceperant.

10 *Quos cepiſtis.* ὧν ἐπιάσατε. Pro, ἐκείνων ἃ ἐπιάσατε.

13 *Panem.* τὸν ἄρτον. Panem illum de quo v. 9. Sic mox, *Piſcem.* τὸ ὀψάριον, piſcem illum.

18 *Cingebas te.* ἐζώννυες σεαυτόν. nam Judæi, more populorum orientalium, prælongas veſtes gerebant: quas ambulaturi ſuccingebant, ne eſſent impedimento. *Extendes manus tuas.* Nempe præbens eas carnifici vinculis conſtringendas. *Et alius.* Nempe carnifex. *Te cinget.* σε ζώσει. Antanaclaſis eſt in verbo *Cingendi:* quippe quòd hic paulo aliter accipitur quám antè.

19 *Qua morte.* ποίῳ θανάτῳ. Nempe morte violenta, propter confeſſionem Chriſti.

20 *In cœna illa.* ἐν τῷ δείπνῳ. ſcilicet ultima: ſuprá cap. 13. v. 23.

21 *Quid?*

21 *Quid?* τί; Scil. patietur propter nomen tuum.

25 *Ne mundum quidem.* Hyperbole. *Capturum.* χωρῆσαι. Pro χωρῆσαι ἄν. id est, capere posse. Capere autem hic est loci, qui capit, hoc est, in suum quasi sinum recipit rem locatam. Sic suprà cap. 2. versu v. 5.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. XXI.

I. Præcipua ex hoc capite observatio annotata est ad principium capitis præcedentis, videlicet de certitudine resurrectionis Christi & ejusdem fructibus. Illic vide.

II Ex v. 3. & 5. Apostoli quum noctu piscantes, nihil cepissent: manè ad mandatum Christi jacientes rete, ceperunt magnam piscium multitudinem. Hinc apparet divina potentia Christi, qua bruras quoque animantes pro suo arbitrio gubernat: idque ad commodum eorum quos diligit. Quare potentiæ ac benevolentiæ ipsius confidere discamus. Simile exemplum vide Luc. 5. v. 4. & deinceps.

III. Ex ver. 15. 16. & 17. Ministri Euangelii officium est, diligenter pascere oves Christi: id est, proponere electis pabulum doctrinæ cælestis quo pascantur corda eorum ad vitam æternam, & custodire animas eorum ne á lupis id est falsis doctoribus occidantur. Confer Act. 20. v. 28. & deinceps. item 1. Pet. 5. v. 1. & deinceps, item Rom. 12. v. 6. 7. & 8. 1. Tim. 3. v. 2. & deinceps. Tit. 1. v. 7. & deinceps.

IV. Ex v. 18. Christus prædicit Petro, fore ut alius (nempe carnifex) eum cingat, & transferat quó nolit, nempe ad locum supplicii. Hinc discimus, tametsi martyres promti sint secundum spiritum ad patiendum cruciatus propter confessionem Christi: id quod historiæ martyrum abundé testantur: tamen secundum carnem eos á cruciatibus istis abhorrere. Verúm carnis infirmitatem virtus spiritus superat.

V. Ex v. 19. Martyres, id est, qui sanguine suo testimonium perhibent veritati Euangelii, sua morte Deum glorificant: quatenus nimirum toti mundo testatum faciunt, Deum in suo verbo veracem esse, & confessores suæ veritatis virtute ex alto induere, ut toti mundo insultare possint: quippe quum non possint á mundo ullis cruciatibus á veritatis confessione dimoveri.

VI. Ex vers. 20. 21. & 22. Petrus reprehenditur á Christo, quód quæreret, quid vellet fieri de Johanne. Hinc discimus cavendum nobis esse, ne curiósè inquiramus ea quæ scire nostra non interest: sed potiús operam dandam, ut diligenter attendamus quid nobis á Domino mandetur, atque illius mandatis promté obsequamur.

VII. Ex v. 23. Cavendum ne quod connexé enuntiatum est, tanquam simpliciter dictum accipiamus: ac omnino ne quid certi statuamus de eo de quo nihil certi nobis constat.

VIII. Ex v. 24. Fideles sciunt (nempe per virtutem Spiritus sancti) testimonium Apostolorum de Christo verum esse.

IX. Ex v. 25. Quum Spiritui sancto non sit visum plura dictare Euangelistis quæ scriberent de Christo quám ea quæ scripserunt: non est quód plura desideremus: sed iis quæ scripta sunt, contentos nos esse decet, ac certó statuere, abundé in illis contineri, quæ nobis ad salutem scitu necessaria sunt.

FINIS.

qui & recubuerat in cœna illa ſuper pectus ejus,& dixerat,Domine, quis eſt ille qui te prodit?

21 *Hunc ergo quum vidiſſet Petrus,dicit Jeſu,Domine, hic autem quid?*

22 *Dicit ei Jeſus, Si velim eum manere donec veniã,quid ad te? tu me ſequere.*

23 *Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, diſcipulum illum non moriturum: ſed non dixerat ei Jeſus, Non morietur: ſed, Si eum velim manere donec veniam, quid ad te?*

24 *Hic eſt diſcipulus ille qui de his teſtatur, & hæc ſcripſit: & ſcimus verum eſſe teſtimonium ejus.*

25 *Sunt autem & alia multa quæ fecit Jeſus; quæ ſi ſcribantur ſigillatim, ne mundum quidem ipſum opinor capturum eos qui ſcriberentur libros. Amen.*

Cohæret hoc caput cũ præcedente: continet enim adhuc unam pateſactionem Jeſu poſt reſurrectionem. Sunt autem duæ partes. In prima parte narratur,quomodo ſe patefecerit Jeſus diſcipulis ad mare Tiberiadis, uſq; ad v.15. In altera parte narratur colloquium Domini cum Petro: ubi Dominus ei commendat paſcendas oves ſuas: prædicit ei mortem violentam ſeu martyrium: & reſpondet de Johanne,nempe hoc ipſo Euangeliſta,qui hunc librum ſcripſit.

SCHOLIA IN CAP. XXI.

3 *In navigium.* εἰς τὸ πλοῖον. Nempe τὸ τῦ Πέτρυ. ut percipitur ex verbis Petri, Abeo piſcatum.

5 *Opſonii.* ϖροσφάγιον. Vox ϖροσφάγιον compoſita eſt ex ϖρὸς & φάγω: ſignificat enim omne id quo cum pane veſcimur.

6 *In dextram partem.* εἰς τὰ δεξιὰ μέρη. Hinc intelligi poteſt, in illa phraſi, ἐκ δεξιῶν, quæ ſæpe occurrit, ſubaudiendum μερῶν. *Præ multitudine.* ἀπὸ τῦ πλήθους. Hebraiſmus. Sic enim Hebræi uſurpant præpoſitionem מן. pro διὰ τὸ πλῆθος, propter multitudinem.

Diſcipulus ille quem diligebat &c. Periphraſis Johannis: ut percipitur ex collatione verſ.20. & v.24. infrá. *Dominus eſt.* ὁ κύριός ἐςι. Scil. ὁ ἡμῶν. *Amiculum.* τὸν ἐπενδύτην. Induſium. *Succinxit.* Nempe partim pudoris cauſſa (ut D.Beza annotat) partim etiam (ut opinor) ne induſio laxato ac diffluente impediretur in natando.

8 *Trahentes.* σύροντες. Suprá v.6.pro verbo *trahere* in Græco eſt ἑλκύσαι: quod eſt generale. at σύρειν eſt proprié per pavimentum vel ſolum trahere: unde σύρμα veſtis caudata matronarum nobilium, cujus cauda per ſolum trahitur. *Rete illud piſcium.* τὸ δίκτυον τῶν ἰχθύων. id eſt, in quo erant illi piſces quos ceperant.

10 *Quos cepiſtis.* ὧν ἐπιάσατε. Pro, ἐκείνων ἃ ἐπιάσατε.

13 *Panem.* τὸν ἄρτον. Panem illum de quo v.9. Sic mox, *Piſcem.* τὸ ὀψάριον, piſcem illum.

18 *Cingebas te.* ἐζώννυες σεαυτόν. nam Judæi, more populorum orientalium,prælongas veſtes gerebant: quas ambulaturi ſuccingebant, ne eſſent impedimento. *Extendes manus tuas.* Nempe præbens eas carnifici vinculis conſtringendas. *Et alius.* Nempe carnifex. *Te cinget.* σε ζώσει. Antanaclaſis eſt in verbo *Cingendi*: quippe quòd hic paulo aliter accipitur quám antè.

19 *Qua morte.* ποίῳ θανάτῳ. Nempe morte violenta, propter confeſſionem Chriſti.

20 *In cœna illa.* ἐν τῷ δείπνῳ. ſcilicet ultima: ſuprá cap.13.v.23.

21 *Quid?*

21 *Quid?* τί; Scil. patietur propter nomen tuum.

25 *Ne mundum quidem.* Hyperbole. *Capturum.* χωρῆσαι. Pro χωρῆσαι ἄν. id est, capere posse. Capere autem hic est loci, qui capit, hoc est, in suum quasi sinum recipit rem locatam. Sic suprà cap. 2. versu v. 5.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. XXI.

I. Præcipua ex hoc capite observatio annotata est ad principium capitis præcedentis, videlicet de certitudine resurrectionis Christi & ejusdem fructibus. Illic vide.

II Ex v. 3. & 5. Apostoli quum noctu piscantes, nihil cepissent: manè ad mandatum Christi jacientes rete, ceperunt magnam piscium multitudinem. Hinc apparet divina potentia Christi, qua bruras quoque animantes pro suo arbitrio gubernat: idque ad commodum eorum quos diligit. Quare potentiæ ac benevolentiæ ipsius confidere discamus. Simile exemplum vide Luc. 5. v. 4. & deinceps.

III. Ex ver. 15. 16. & 17. Ministri Euangelii officium est, diligenter pascere oves Christi: id est, proponere electis pabulum doctrinæ cælestis quo pascantur corda eorum ad vitam æternam, & custodire animas eorum ne á lupis id est falsis doctoribus occidantur. Confer Act. 20. v. 28. & deinceps. item 1. Pet. 5. v. 1. & deinceps, item Rom. 12. v. 6. 7. & 8. 1. Tim. 3. v. 2. & deinceps. Tit. 1. v. 7. & deinceps.

IV. Ex v. 18. Christus prædicit Petro, fore ut alius (nempe carnifex) eum cingat, & transferat quó nolit, nempe ad locum supplicii. Hinc discimus, tametsi martyres promti sint secundum spiritum ad patiendum cruciatus propter confessionem Christi: id quod historiæ martyrum abundé testantur: tamen secundum carnem eos á cruciatibus istis abhorrere. Verúm carnis infirmitatem virtus spiritus superat.

V. Ex v. 19. Martyres, id est, qui sanguine suo testimonium perhibent veritati Euangelii, sua morte Deum glorificant: quatenus nimirum toti mundo testatum faciunt, Deum in suo verbo veracem esse, & confessores suæ veritatis virtute ex alto induere, ut toti mundo insultare possint: quippe quum non possint á mundo ullis cruciatibus á veritatis confessione dimoveri.

VI. Ex vers. 20. 21. & 22. Petrus reprehenditur á Christo, quód quæreret, quid vellet fieri de Johanne. Hinc discimus cavendum nobis esse, ne curiósè inquiramus ea quæ scire nostra non interest: sed potiús operam dandam, ut diligenter attendamus quid nobis á Domino mandetur, atque illius mandatis promté obsequamur.

VII. Ex v. 23. Cavendum ne quod connexé enuntiatum est, tanquam simpliciter dictum accipiamus: ac omnino ne quid certi statuamus de eo de quo nihil certi nobis constat.

VIII. Ex v. 24. Fideles sciunt (nempe per virtutem Spiritus sancti) testimonium Apostolorum de Christo verum esse.

IX. Ex v. 25. Quum Spiritui sancto non sit visum plura dictare Euangelistis quæ scriberent de Christo quám ea quæ scripserunt: non est quód plura desideremus: sed iis quæ scripta sunt, contentos nos esse decet, ac certó statuere, abundé in illis contineri, quæ nobis ad salutem scitu necessaria sunt.

FINIS.